FRANCISCI


FERNANDII DE CORDOVA CORDVBENSIS

DIDASCALIA MVLTIPLEX.

Nunc primùm in lucem emissa.

CVM QVINQVE INDICIBVS necessariis.





LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Suma del priuilegio.

TIene don Francisco Fernandez de Cordoua, Racionero de la santa Yglesia de Cordoua, priuilegio por diez años, para poder imprimir y vender vn libro que compuso, intitulado, *Didascalia*, con prohibicion, que ninguna persona lo pueda imprimir, ni vender sin su licẽcia, como consta de su original, despachado en el oficio de Iuan Aluarez del Marmol escriuano de Camara, su fecha en Madrid, a dos dias del mes de Dediziembre de 1611. años, y refrendado de Iorge de Touar secretario de su Magestad.

Assimismo tiene licencia de su Magestad para poder imprimir el dicho libro fuera del Reyno, como mas largamente consta de la dicha licencia, que se despachô en el dicho oficio de Iuan Aluarez del Marmol escriuano de Camara, su fecha en Madrid a veynte y tres dias del mes de Febrero de 1613. años: refrendada del dicho Iorge de Touar secretario de su Magestad.

¶ TASSA

TASSA.

YO Iuan Aluarez del Marmol, escriuano de Camara del Rey nuestro señor, de los que residen en su Consejo: doy fe que auiendose visto por los señores del dicho Real Consejo, vn libro, que con su licencia fue impresso, intitulado, Didascalia multiplex, *compuesto por don Francisco Fernandez de Cordoua, Racionero de la santa Yglesia de Cordoua, tassaron cada pliego del dicho libro, a razon de a quatro marauedis, el qual tiene veynte y siete pliegos y medio, y al dicho respecto monta cada cuerpo del dicho libro tres reales y vn quartillo, y al dicho respecto mãdaron se vendiesse el dicho libro y no mas: y que esta tassa se panga al principio de cada libro. Y para que dello conste, di esta fee en la villa de Madrid, a diez dias del mes de Iulio de mil y seyscientos y quinze años.*

Iuan Aluarez del Marmol.

Errata in 1. fol. ante Didascaliam.

IN Epistola dedicatoria, elegangia, elegantia.
In Epigram. D. Gonsalui, &c. Vortce, Vortice.
In Epistola P. Ojeda, quid nimirum, quid mirũ. ibiden, fructificenturq;, fruticenturq;. ibid. tuam editionem, tuam eruditionem.
In censura Bernardi Aldrete, abstrusioresq; illustrantur disputationes, abstrusioreq; illustrantur disputatione.
In Elencho autorum, Lucius Cœlius
Lactantius Firmianus.
Lucius Cœlius Lactarius Firmianus. ibid. Thocritus, Theocritus.

Errata in Didascalia.

PAgina 28. Gerrenum, Terrenum. P. 42. exitit, existit. 59. corruſco, coruſco 61. aenei, æneis. 63. Doctylis, Dactylis. 71. Volveris, volucris. ibidem, ad nos, ad eos. 72. exinaviuit, exinanivit. 75. quod nunc, quod non nunc. 84. pernnes, perennes. 85, sentireq. moriturum, sentireq. se morituram. 86. ex 6840, ex 68040. P. 88. mon, non. 106. Inda, India. 113. bouina, bona. P. 114. viuat, bibat. 116. proponitur, præponitur, 121. a pleriq.. a: plerisq.. 137. nomon, nomen. 145. tei, rei. P. 153. Iam procul, Tam procul. 160. in iudirij, in iudicijs. 175. iuxa, iuxta. ibid. Capitolini, Capitolinis. 179. an non essent alij, an essent alij. 182. quo autem, quo autem. 209. Corata, Coreta. 211. saltem in carminibus, saltem in pangendis carminibus. 212. referatur, referãtur. 214. Vero iuventi, Vero iuventuti. 221. oris, oras. 223. Floridus Labinus, Floridus Sabinus. P. 224. constituendum,

constituentem. 226. terno, paterno. 233. optima, opima. 234. Farini, Earini. 238. altinuit, attinuit. 239. ſcrptionibus, ſcriptionibus. 240. deprehenditur: ea, deprehenditur comparatum: ea. ibidem, contactu comparatum Venerem, contactu Venerem. 241. coniunctus, coniectus. 246. ſcrepto, ſceptro. 246. quinquagenario, quingenario. 250. Demorgon, Demogorgon. ibidem, vocat, vocato. 259. huius, huic. 272. tetoletas, tejoletas. ibidem, clauis, cavis. P. 274. vecituit, vocitauit. 282. Sino, quem ille ſenoſum. Sinu, qué ille cenoſum 283. dulcidinem, dulcedinem 293. ne factus, ne faſtus. 299. M. Filius, NP. Filius. ibid. Stario, Statio. 300. nimæ, animæ. 305. aui, cui. 309. ſed nomen: ſiue cognomen. ſed nomen: quoniam ſiue prænomen eius dixiſſes, ſiue nomen, ſiue cognomen. P. 328. tupi, turpi' 329. potus, potius. 334. concini, concinit. 337. la compoſicion, i a compoſicion. ibid, Moroſo, lloroſo. 339. flebilem, flexibilem. 340. pluridus, pluribus, ibid. Servius, Servio. 348. familiarius eſt leucæ nomẽ, familiarius eſt milliarij, quam leucæ nomen. 349. ſeruata, ſervata: 351. Strabo (inquit, Strabo. Prima (inquit. 360. procopos, procos. 369. Vlyſſa Strabonis, Vlyſſea Strabonis. Pag. eadem. Turdita, Turditania. 372. inffuit, influit. ibid. Silonius, Poſidonius. 374. Bilbitanarum, Bilbilitanarum. 377. Seruval, Setuval. 380. qaæ, quæ. 381. de equis, de equabus. 397. Domitis, Comitis. ibid. cooperam, coopertam. 400. Badiz, Cadiz. Pag. 409. Arabes, Alarabes. 411. Europæ, Europeæ.

Licenc. Franciſcus Murciade la Llana.

ILLVSTRISSIMO, ET EXC.MO PRINCIPI D.D. LVDOVICO FERNANDEZ

de Cordoua, Cardona, & Aragon, Sueſſæ, Somæ, Vaënæ Duci: Marchioni de Poza: Comiti de Cabra, Palamos, & Oliuito: Vicecomiti de Iznajar: Baroni de Belpuche, Liñola, & Calonge: Neapolitani Regni Magno Ammiranti, Domino ſuo clementiſſimo

FRANCISCVS FERNANDEZ de Cordoua S. P. D.

DIMOS laborum meorũ fructus (vereor ne præcoces, & inſuaues) excellentiſſime Dux, cui potiùs quàm tibi Cordubenſis familiæ in Vaënæ domo principatũ tenenti dicarẽ ego ex eadem ortus familia,

ac in eodem oppido Vaëna (Baniana, vt credo, Ptolemæi) natus, & altus? Iniurium quidem esset, non ei me, meáque omnia subdere, cuius me obsequio iura sanguinis, ac Patriæ iamdudum addixerant. Strictum medius Fidius hoc; strictius tamen grati animi vinculum, quo ingenuè fateor deuinctum me à Patre tuo Antonio immortalis memoriæ Principe, cuius beneuolentiæ quicquid sum acceptum refero: quòd si illi, vtpote inter cœlites beatissimam degẽti vitam, gratiam referre minùs possim; par est vt tibi paternarum non actionum modò, & fortunarum, sed virtutum etiam hæredi quantulamcunque valeam, referam semper. Accipe igitur libẽs hunc quem offero Didascaliæ librũ, imò animum offerentis Artaxerxes alter; neque enim ita valde exiguum obtulisse videbor munus: quod si

hilari

hilari fronte accipere, ac nominis tui patrocinio fouere dignatus fueris, adeò mihi ingentes dabis animos, vt viribus maiora, mente tamen iampridem concepta, & ardenti concupita ſtudio aggrediar conſcribenda, maiorum nẽpe tuorum geſta nũquam pro meritis laudata, nec laudanda ſatis, alio ſcilicet Thucydide, Xenophonte alio, Salluſtio, vel Liuio (ſi per tempora licuiſſet) dignũ opus: cùm vel ſummis hiſtoricis illis abundè ſuppeditarint conſcribendi materiam, cámque toto orbi notiſſimam, inter complures alios ex Cordubenſi familia nobilitate, ac præclaris facinoribus illuſtres, & celeberrimos viros Didacus vterque Ægabrenſis alter Comes *, Regiæ alter militiæ Præfectus *; ac nunquam morituræ gloriæ Conſaluus ille, qui poſt tot fæcula intermiſſum Magni nomen,

* *Vulgò Conde de Cabra.*

* *Vulg. Alcayde de los Donzeles.*

ipſis id illi facientibus hoſtibus tunc temporis Gallis, inter ſtrenuos aſſecutus eſt duces: nec non Raimundus de Cardona Neapolitanus Prorex, & Magnus Ammiras *. Quotus enim quiſque eſt, qui ignoret, Reges ab his victos, ac vinctos? Regna ſublata, oblata, ſpreta, Fidem prælatam? Rerumpublicarum fractas vires, debilitatos ſpiritus, frœnatam audaciam, inclyti nominis Imperatores fugatos, validiſſimos debellatos exercitus, munitiſſimas vrbes ad deditionem compulſas, aut vi captas? Vix tamen tua hæc (ſi Satyrographo credendum) tua verè morum elegantia, Comitas, Magnanimitas, Prudentia, Liberalitas, Muſarum Patrocinium; quibus certè animi bonis vt maiores tuos adæquas, vt plurimos huius æui Principes ſuperas, ita ad Fortunæ, quæ poſſides, bona, vel longè etiam maiora viam tibi ſternere,

* *Vulgò Gran Almirante.*

nere, ſin minùs præueniente natura hæreditario tibi obtigiſſent iure, facili negotio potuiſſes. At quia non Panegyrica hæc, commodiori, ſuo inquam tempori tuas, tuorúmque laudes prædicandas reſeruabo. Interim D. O. M. incolumem te nobis, ac patriæ ſeruet Hiſpaniæ decus.

AD D. FRANCISCVM DE CORDOVA VIRVM NOBILISSIMUM, Doctissimum, Integerrimum, Ecclesiæ Cordubensis Senatorem meritissimum, Mystenque digniſſimum P. Petri Manjonij Societatis IESV Theologi

CARMEN PHALEVCIVM.

MAGNORVM *satus alte Corduba-*
barum
Ingens Corduba, quid rudes Camœnas
Nostras sollicitas, & in tuarum
Compellis pelago natare laudum?
Sic das Oceano ratem ruendam?
Pygmæum Herculeo paras labori?
Pluto quisquilias dicare cogis?
Sic Nerêa iubes rigare guttis?
Sic vis doctificas strepens Athenas
Tanta noctua luce transfretetur?
In te nobilitas refulget ingens:
Qui, cùm plurima signa plurimorum
Heroum referas, imaginésque,
Maiorésque tuos Duces, Dynastas,

Multos

Multos adnumeréſque Marchiones,
Tum nomen regeris, ſimulque numen
Fernandi illius vſque prædicandi,
Cui, ſub nomine Cordubæ, dederunt
Cognomen Ducis acta magna Magni:
Quem Saturnia terra, quem Sicambri
Sensêre Annibalemque, Cæſaremque.
Sed nec tot generis beatitates
Actis dedecoras; beatiores
Natales facis ipſe mente, vita.
Naſcenti reor vſque te Mineruæ,
Non iam Cecropios, docente Phœbo,
Primum ſacrificaſſe cum pio igne.
Tam totum mihi corculum Mineruæ
Expreßiſſe videre, dum per omnes
Hortos Palladis antè peruagatus
Promis faſciculo nouos odores,
Edis multiplicem Didaſcaliam.
In qua cùm ſpecimen paras Sophiæ;
Morum das documenta rara mundo.
Te qui nouit, is inſtar abſolutum
Cernit relligionis eminentis
Te Myſten pietate ſingulari,

Cu'men, præſidium, decus ſacrorum:
Qui Myſteria dignus adminiſtres.
Cui te de facie ꝟidere nondum
Conceſſum eſt, legat is tuum libellum;
Mox ex ꝟngue ratus, quod eſt, leonem
Dicet nobilium, ſimul Sophorum,
Summæ ſe integritatis intueri.
Exemplum nouitate prædicandum.
Ut dici queat altiore ꝟoce,
(Seu Phœnix fuerit repertus ꝟnquam,
Idem ſeu fuerit ꝟel irrepertus)
Te, nuſquam quod erat, dediſſe vt eſſet:
Phœnix nobilitatis ꝟnus ipſe,
Phœnix ingenij ꝟel ꝟnus idem:
Phœnix omnigenæ Didaſcalîas,
Phœnix, quod caput eſt, nouus piorum.
Ceſſo, Corduba parce: quaſſa cymba
Tanto pondere degrauata rerum
Peſſum fertur: & hinc neque enataſſet,
Ni Pollux, Cynoſura, ni Celeuſtes,
Ni dux ipſe meo fores Phaſello.

De Eiuſdem D. Franciſci libro ad lectorem Eiuſdem P. Petri Manjonij

EPIGRAMMA.

ASpicis hunc librum, nitidus qui prodit in auras,
Corduba Palladia quem tulit arte potens:
Caſtalides vidêre Deæ, inuidêre ſorores,
Inviduleq́ anidis conſonuêre modis.
Fabula Parnaſſus: Parnaſsia fabula, Tempe:
Fabula cantati ſunt Heliconis opes.
Sordet vterque ſitu: latices Aganippidos arent:
Flora negat flores, numen Apollo ſuum.
Quid ceſſamus? ait Clio; veram Hippocrenem
Corduba flos equitum ſufficit ecce librum.
Hic Heliconis apex: hîc ſunt Parnaſsia Tempe:
Ver Charitum hîc: ducit Corduba Apollo chorũ.

P. Ioan

P. Ioannis Baptiſtæ Benitez Societatis Ieſu Theologi V. C. Ad Cordubam

EPIGRAMMA.

FLoribus intextũ variis opus, æmula ſorti
Chloridos, è propriis Corduba cõflat agris.
Congerit huc Graioſq; ſimul, Latioſq; colores,
Queis picturatum vernat vtrumq; ſolum.
Lilia ſeu linguæ fundit Polymnîa diſertæ
Siue roſas Clio parturit hiſtoriæ.
Vidit, & obſtupuit florum ſpectacula Chloris,
Elyſiaſq; iterum credula finxit opes.
Priſcáne Bæthicolæs inter reuireſcere prata?
Ergo Hellas fictis vnde ſuperbit? ait.
Corduba, dein tu ſola meis dominabere campis:
Marcet ad Elyſium gloria noſtra nemus.
Nominis ecce tui, generisq; Auguſta Propago
Tranſtulit Elyſias in ſua ſcripta plagas.
Tranſtulit & Lethen: veteris nam obliuia ſæcli,
Pagina Lethæas cuncta propinat aquas.

P. Bene

P. Benedicti Sojo Societatis Iesu
Theologi, & in Cordubensi Collegio
Eloquentiæ Professoris in laudem
D. D. Francisci de Cordoua

EPIGRAMMA.

CArpit apis studiosa thymos, quos congerit alueo,
Mélque ibi virgineum nectaris instar agit.
Seligit atque Hyblæ pretij libamina florum,
Munera sacra Diis Ambrosiúsque latex.
Quî tamen? in varias hortorum libera cellas
Rore salutatas exuit ore rosas.
Nunc violis cõponit opus, nunc pabula thymbræ,
Tum casiæ viridis germina grata legit.
Author apũ simulat propriis in floribus artem,
Quos struit ingeniis suauia mella magis.
Alueus hic vario constructus melle, palato
Ingenuo, haud credam, dulcior vllus erit.

M. Ioan

M. Ioannis Aquilarij humaniorum literarum Antiquariæ Doctoris. V. Eruditissimi in D. Franciſci de Cordoua laudem ad Muſas

EPIGRAMMA.

CIngite Pierides, certatim cingite veſtri
Præſidis æternæ frondis honore caput.
Officiis certate piæ, celebrate per artes
Quæque ſuas magni nomina magna viri:
Qui veſter Phœbus meritò cluet, artibus illis
Phœnix, quæ faciunt nomina veſtra coli.
Si linguæ quæris dulces Polyhymnia flores;
En Hyblæ paſſim fragrat amœnus odor.
Si cauſas, & ſacra cupis penetralia rerum;
Naturæ myſtes hîc tibi ſummus adeſt.
Lipſius antiſtes Sophiæ, cui lampada curſu
Tam meritò poſſit tradere, nullus erit.

D. D. Gon

D. D. Gonſalui de Cordoua, & Carrillo V. C. Nobiliſſimi, Theologi præſtantiſſimi in operis laudem ad Bœtim

EPIGRAMMA.

BOetis Athlãtiacas elato vectus ad vndas
Vortce, nũc tumidis parce voraginibus.
Iure tumes, fateor, breuibuſq́ arctaris ab oris,
Perteſſiſq́ vada campis inundat aquis.
Auriferis Daurus, gemmatis Singilis vndis
It tibi, cuncta tibi flumina Ibera fluunt.
Fluminis hinc magni nomen vernacula Mauri
Lingua dat; hinc regio Bœtica nomen habet.
Magnifico at titulo maior nunc detrahit amnis,
Cui tu, cui Daurus, amnis & omnis eat.
Maximus omniflua, variáque Didaſcalus arte
Nunc fluit: huic parua guttula Bœtis eris.
Huc Sophus, huc Rhetor, diuino huc dogmate doctus
Confluit; inde fluit cuncta Didaſcalia.

D. Fran

D. FRANCISCO DE CORDOVA V. C.

Eruditiſſimo, Eccleſiæ Corduben-ſis Senatori ſacro meriſſimo

PETRVS DE HOJEDA

Societatis Ieſu Theologus S. D.

LEgi, Vir clariſſime, variam hanc tuam *Didaſcaliam*: perlegi iucundiſſimè. Et quidni ſeu tanta varietate pellectus, ſeu tam ſuaui fructuum dulcedine delectatus hoc repeterem Heliconium nemus? Quidni ſemel guſtatas ſæpius reguſtarem ambroſias, quibus menti tam ampliter fiat ſatis? Næ ego perlibenter tanti Didaſcalici frequens adſim Didactos. Fœlices Muſæ tantum nactæ Phœbum! Fœlix Muſæum tali dignum chelio! Fœlix iterum Didaſcalion, vbi Aonias virgines iam conſertim, iam ſingulatim, ſemper concinnè nullas non choreas ducere, agitare, modulari videas! Vbi omnes videas ſuas quamque gazas in hanc tuæ *Didaſcaliæ* Pandoram certatim profudiſſe Deas. Ipſum credas Iouem Amaltheæ miſiſſe cornu, ex quo

quo tanta, tam varia permanaſceret copia! Et quidem communi vtriſque veſtrûm iure, vir nobiliſſimè, tu illas, te illæ ſacræ ardent ſorores: Iouis quippe clara proles clariſſimam tuam ambiunt nobilitatem, qua Iouium ipſum genus purant nobilitatum. Etenim (vt ex diuiniori noſtra Muſa, quæ Sionids amat vertices, quæ Salomonico inſidet tetrapodi hoc promam) ſi vera Sapientia altas ſe egiſſe gloriatur radices *in populo honorificato* * Græcè *in populo illuſtri*: quid nimirum ſi Didaſcalicæ tuæ Muſæ celſiſſimæ iſtius Corduben-ſis nobilitatis ſumma depereant culmina? Nobiles illæ nobilem hanc animam, illuſtres illuſtrem affient mentem? Imò ſpem faciunt, fore vt Hiſpania noſtra, te, tuíque ſimilibus parariis, plures habeat tanti exemplaris ſummares æmulos: fœliciſſimáque noſtræ gentis ingenia feraciùs excolendo vigeántque, floreántque, fructificentúrque. Sed erit his votis aliàs fortaſſe locus. Addo nunc eam, quam tu nobiliſſimæ tuæ Sapientiæ, ſapientiſſimæ nobilitati coronam addis, virtutem. Perfectam nobilitatem, ſi qui alij, hi abſoluunt numeri: Genus, Doctrina, Virtus. Illud dedêre maiores Bœticæ, atque adeò Hiſpanicæ Nobilitatis decora: Illam tute eximiam tibi peperiſti, quam tam varia, tam multiplex teſtatur *Didaſcalia*; teſtabuntur & quæ apparas, non minùs docta, non minùs erudita. Quid verò de virtute? Veráne vt ſapientia, vera vt ſine illa ſit vſquam Nobilitas? Auſculta quæſo aliud de Cherubica illa Porticu Sapientię reſponsũ, *Generoſitatem illius* (Sapientię) *nobilitat cõtuberniũ habẽs Dei.** Ex Græco ſic interpretêre: *Nobilitatẽ generis illius hoc illuſtrat, quod cõ-*

*Eccleſ. 24. 16

*Sap. 8. 3.

**

victu Dei vivunt. Veteris tu, & quidem arctissimo pro tua in alma Ecclesia Cordubensi senatoria dignitate; Quòd autem sic veteris, illustras planè, vt cum Salomone dicam, generositatem tuæ Sapientiæ, illustras tuam nobilitatem. Macte igitur animo vir: hoc tantùm velim: vno hoc nomine omnes tuas virtutes censeo. Macte egregie didactice: hoc variam tuam editionem habeo; Macte, inquam, clarissime Cordoua, postremo hoc, primæ Hispanicæ nobilitatis apicem dico. Perge porrò tuos gloriâ, Musas doctrinâ, omnes religione, Patriam perfecta exornare nobilitate. Vale, nósque in tuum Didascalion admittito. In Collegio Societatis Iesu, & D. Catharinæ. XIV. Kal. Octobris. CIↃ. IↃC. XIII.

Bernar

Bernardi Aldrete I. V. Doctoris, Canonici Cordubensis V. C. de hoc opere iudicium ex decreto Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Episcopi Cordubensis.

HOc variæ *Didascalias* opus, quod noster confacerdos literarum, & generis nobilitate conspicuus Don Franciscus Fernandez à Corduba politissimè coagmentauit, non sine delectatione legi. Maiorine cura, an curiositate elaboratum ambigo, haud tamen ambiguè vtramque tum multiplicem doctrinam, tum purâ, ac minimè fucatam dictionem laudo: & Illustrissimo, sanctissimóque Episcopo nostro Cordubensi iubente approbo: In eo quippe nihil offendi, quod offendat: ornatè omnia splendida, abstrusioresque illustrantur disputationes, nec vt paululùm addubites, vllus relinquitur locus. Sic iudico, & censeo. Cordubæ pridie Idus Nouembris anni 1511.

Bernardus Aldrete.

P. Ioannis Ludouici de la Çerda ex Societate IESV V.C. eruditissimi, religiosissimi, Primarij Rhetorices professoris in Madritiensi eiusdem Societatis Collegio iudicium ex Regij Senatus decreto.

VIdi *Didascaliam D. D. Francisci Fernandij de Cordoua*, in qua doctrina multiplex, sed cum iudicio: à qua politioris facultatis cupidi, non modò iuuenes, sed viri etiam, eruent thesauros doctrinæ, & haurient Musarum vndas. Dignum opus quod lucem videat ad vtilitatem, ad iucunditatem. Datum Madriti in Collegio Societatis IESV. 16. Kal. Ianuarias anni 1612.

Ioannes Ludouicus de la Çerda.

APPROBATIO.

IOANN. CLAVD. DEVILLE, in Sacra Theologia Magister & Diuini verbi Prædicator, in Sancti Pauli huiusce Ciuitatis Canonicus, atque in Lugdunensi Diœcesi Librorum Censor designatus: Fidem facimus nos hunc librum, cui inscriptio est, *Didascalia Multiplex Francisci Fernandy de Coraoua Cordubensis*, percurrisse, nihilque in eo contra Apostolicam & Catholicam Romanæ Ecclesiæ fidem, & bonos mores, sed omnifaria eruditione eximium inuenisse. Lugduni apud S. Paulum XVIII. Cal. Decembr. M. DCXIV.

I. Claudius Deuille.

R.D. D. Thomæ de Meschatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus, quod inscribitur, *Didascalia Multiplex, Francisco Fernandio de Cordoua Cordubensi authore*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 16. Nouembris 1614.

Meschatin la Faye.

VOlumen hoc inscriptum, *Didascalia Multiplex, Francisco Fernandio de Cordoua Cordubensi authore*, ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus: simul, ne quis citra factam ei ab ipso potestatem, denuò excudat, interdicimus. Datum Lugduni 20. Nouembris 1614.

SEVE.

SVM

SVMMA PRIVILEGII
à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautũ, ne quis in Regno suo, aliísve locis Ditioni suę subiectis, intra proximos annos decẽ, à die impressionis primę inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmq; quouis modo & ratione conetur librũ, qui inscribitur, *Didascalia Multiplex, Francisco Fernandio de Cordoua Cordubensi authore*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunẽsem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum cu-

rare, vel quépiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti Horatij Cardon. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate cótra delinquentes expressis. Datum Parisiis, die 25. Octobris, anno millesimo sexcentedecimo quarto.

De mandato Regis, Signatum

BRVLART.

PHILIPPI III. Hispaniarum Regis Licentiâ, data Madriti vigesima tertia Februarij 1613. & signata, IORGE DE TOVAR, concessum est *Francisco Fernandio de Cordoua Cordubensi*, vt suum Opus quod inscribitur *Didascalia Multiplex*, extraneo Bibliopolæ cui voluerit, tradat manuscriptum, quod excudatur, atque in lucem emissum virtute istius Licentiæ in omnibus terris suæ potestati subiectis, liberè diuendatur.

AVTORVM, QVI IN HOC opere citantur, Elenchus.

A.

ABrahamus Ortelius.
Acron.
Actius Syncerus Sanazarus.
Adrianus Turnebus.
Ælianus.
Ælius Antonius Nebrissensis.
Ælius Donatus.
Ælius Lampridius.
Ælius Spartianus.
Æneas Syluius.
Albius Tibullus.
Albertus Krantius.
Albertus Magnus.
D. Alchimus Auitus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Carrerius.
Alphonsus Card. Toletus.
Aloysius Cadamustius.
D. Ambrosius.
Ambrosius Calepinus.
Ambrosius Morales.
Ammianus Marcellinus.
Anacreon.
Andreas Alciatus.
Andreas Pozza.
Andreas Resendius.
Angelus Politianus.
Antiphanes.
Antoninus Augustus.
Antonius Augustinus.
Antonius Clarus Syluius.
Antonius Minturnus.
Antonius Pigafeta.
Antonius Possevinus.
Appianus Alexandrinus.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Arnoldus Ferrotus.
Arrianus.
Artemidorus.
Ascensius Badius.
Athenæus.
Augustinus Niphus.
A. Gellius.
Aulus Persius.
D. Aurelius Augustinus.
Aurelius Cassiodorus.
Aurelius Prudentius.

B

BArnabas Brissonius.
Bartholomæus Chassaneus.
D. Basilius Magnus.
Beda.
Benedictus Arias Montanus
Bernardus Aldrete.
Biblia Sacra.
Blondus Flauius.
Bucardus Pylades.

C

CAius Crispus Sallustius.

Caius Iulius Cæsar.
Caius Pedo Albinouanus.
Caius Plinius.
Caius Suetonius Tranquillus.
Caius Valerius Flaccus.
Carolus Sigonius.
Cedrenus.
Claudius Claudianus.
Claudius Gallenus.
Claudius Ptolemæus.
Claud. Rutilius Numatianus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Cœlius Calcagninus.
Cœlius Rhodiginus.
Concilium Tridentinum.
Conimbricenses.
Conradus Lycosthenes.
D. Cyprianus.
D. Cyrillus Hierosolymitanus.

D

DAntes Aligerius.
Decimus Magnus Ausonius.
Decretales.
Decretum Gratiani.
Desiderius Erasmus.
Didacus Couarruuias.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius
Dion Cassius.
Dionysius Afer.
Dionysius Halicarnasseus.
Dionysius Lambinus.

E

D. EPiphanius.
Euripides.
Eusebius Cæsariensis.
Eustathius.
Eutropius.

F

FAbius Plantiades Fulgentius.
Fernandus Pincianus.
Flauius Sosipater Charisius.
Florentinus I. C.
Florianus de Ocampo.
Franciscus Floridus Sabinus,
Franciscus Luisinus.
Franciscus Nausea.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Titelmanus.
Franciscus Vatablus.

G

GArcias Lassus.
Gaspar Barreyrus.
Germanicus Cæsar.
D. Gregorius Magnus.
D. Gregorius Nazianzenus.
Gilbertus Genebrardus.
Guido Panzirolus.
Guillielmus Budæus.
Guillielmus Xilander.

H

HEgesippus:
Heliodorus.
Henricus Stephanus.
Hesiodus.
D. Hieronymus.
Hieronymus Fracastorius.

Hiero

Hieronymus Vida.
Hieronymus Zurita.
Hipponax.
Homerus.
Horus Apollo.
Hugo Cardinalis.

I

IAnus Parrhasius.
Ioannes Antonius Magninus.
Ioannes Barros.
Ioannes Boccacius.
Ioannes Boëmus.
Ioannes Bouincontrus.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Georgius Trissinus.
Ioannes Iouianus Pontanus.
Ioannes Leo.
Ioãnes Pierius Valerianus.
Ioannes Pineda.
Ioannes Mena.
Ioannes Sambucus.
Ioannes Tzerzes.
Iosephus Iudæus.
Iosephus Scaliger.
D.Isidorus.
Iulius Camers.
Iulius Cæsar Bulengerus.
Iulius Cæsar Scaliger.
Iulius Obsequens.
Iulius Pollux.
Iulius Solinus.
Iunius Iuuenalis.
Iunius Moderatus Columella.
Iustinianus Imperator.
Iustinus Historicus.
D.Iustinus Martyr.
Iustus Lipsius.

L

LAmbertusHortensius.
Laurentius Palmyrenus.
Laurentius Surius.
Leges Partitarum.
Lilius GregoriusGiraldus.
Lucianus.
Lucius An. Seneca Philophus.
Lucius An. Seneca Tragicus.
Lucius Apuleius.
Lucius Cœlius.
Lactant. Firmianus.
Lucius Florus.
Ludouicus Ariostus.
Ludouicus Barthemanus.
Lycophron.

M

MAcrobius.
MarcellinusComes.
Marcus Accius Plautus.
Marcus An.Lucanus.
Marcus Antonius Muretus.
Marcus Antonius Sabellicus.
Marcus Cato.
Marcus Fabius Quintilianus.
Marcus Manilius.

Marcus Paulus Venetus.
Marcus Terentius Varro.
Marcus Tullius Cicero.
Marcus Valerius Martialis.
Marcus Vitruuius.
Marius Niger.
Marius Seruius Honoratus.
Martianus Capella.
Martianus I.C.
Martinus Antonius del Rio.
Matthæus Raderus.
D. Maximus Monachus & Martyr.
Maximus Tyrius.
Menander.
Mercurius Trismegistus.

N

Natalis Comes.
Nauigationes Hollandiensium.
Nicander.
Nicephorus Calistus.
Nicolaus Leonicenus.
Nonnius Marcellus.
Noua compilatio legum Hispaniæ.

O

Odoardus Barbosa.
Olaus Magnus.
Onuphrius Panuinus.
Oppianus.
Orpheus.

P

Palladius Rutilus.
Paulus Diaconus.
Paulus Iouius.
Paulus Orosius.
Pausanias.
Petronius Arbiter.
Petrus Bellonius.
Petrus Crinitus.
Petrus Nannius.
Petrus Victorius.
Philippus Bergomas.
Philo Iudæus.
Philostratus.
Photius.
Pindarus.
Placidus Lactantius.
Plato.
Plutarchus.
Polybius.
Polydorus Vergilius.
Polyenus.
Pomponius I.C.
Pomponius Mela.
Procopius.
Publius Cornelius Tacitus.
Publius Ennius.
Publius Ouidius Naso.
Publius Terentius.
Publius Vergilius Maro.

Q

Quintus Aurelius Symmachus.
Quintus Curtius.
Quintus Horatius Flaccus.

Quintus

Qvintus Valerius Catullus.

R

RAphael Volaterranus.
Rufus Festus Auienus.

S

SEbastianus Munsterus.
Septimius Florens Tertullianus
Septuaginta interpretum versio.
Sextus Aurelius Propertius.
Sextus Aurelius Victor.
Sextus Empiricus.
Sextus Festus Pompeius.
Sextus Iulius Frontinus.
Sextus Rufus.
Sidonius Apollinaris.
Silius Italicus.
Simon Majolus.
Sophocles.
Statius Papinius.
Strabo.
Suidas.
Sulpicius Seuerus.
Summa conciliorum.

T

TErentianus Maurus.
Thocritus.
Theodorus Canterus.
Theophanes.
D. Thomas.
Thomas Boccius.
Thomas de Vio Card. Caietanus.
Thomas Morus.
Thucydides.
Titus Liuius.
Titus Lucretius Carus.
Torquatus Tassus.

V

VAlerius Maximus.
Velleius Paterculus.
Vincentius Speculator.
Vlpianus I.C.

X

XEnophon.
Xiphilinus.

Z

ZOnaras.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI HVIVS.

DE mira Dæmonis impostura, qua hominum mentibus ante Christi Seruatoris aduentum illusit; Poëtarum loca aliquot explicata. Caput 1.

Quid in sacris literis Pascha significet. Cap. 2.

Quid sit adorare; vnde dicatur; varij Antiquis adorandi ritus; Plauti locus in Mostellaria declaratus; Beati Iob illustratus alter; origo deosculandi manum gestu, ac verbis, Italis, & nobis communis. Caput 3.

Non ignaros fuisse Antiquos mundi exitus; animarum examinis, corporeæq; resurrectionis; & vnde illi didicerint. Caput 4.

Aquas in cœlo nullas esse; declarati aliquot Scripturæ sacræ loci, nec non & Sanctorum Patrum. Cap. 5.

An priùs æs in vsu fuerit, quàm ferrum; & an Heroum arma ænea fuerint; de vtriusque metalli inuentione; ac de Hierosolymitani Salomonici templi structura nonnulla. Caput 6.

An detur in rerum natura Phœnix auis; & an vera sint, quæ de illa vulgò circumferuntur. Cap. 7.

An verum sit fuisse in rerum natura Centauros, siue Hippocentauros, aut Onocentauros. Cap. 8.

An detur Monoceros in rerum natura; & an idem sit cum Rhinocerote. Caput. 9.

An pulmonem habeant Pisces, & an respirent. Cap. 10.

An verum sit Pisces alicubi fossiles dari. Cap. 11.

An verum sit viperas in Venerem furentes suos mares truci

trucidare ipſaſq́ deinde dirupto vtero à filiis naſci geſtientibus occidi. Caput 12.
Quomodo fiat ſternutatio, & quare ſacra & ominoſa Antiquis; morem ſalutandi ſternuentes ab eis emanaſſe. Caput 13.
Defenſus à multorum calumnia Iuſtinianus Imperator. Caput 14.
Quid ſit ſeruitus, & vnde dicta, ipſius origo, & quare à iure gentium introducta, & iuri Naturali dicatur contraria, cum ab ipſomet emanarit. Cap. 15.
Quis fuerit I.C. Labeo, & cur Horatio inſanus dictus. Caput 16.
An Noë idem cum Iano fuerit.. Caput 17.
Lucanus in enarrandis Maſſilienſium ſacris à Ioſephi Scaligeri calumnia vindicatus; humanis litandi hoſtiis gentium aliquot ritus. Caput 18.
Quis primus carmina fecerit; Ianus Parrhaſius, & Iulius Cæſar Scaliger reprehenſi. Caput 19.
Quis ſit Poëticæ finis; aliquot autorum concilata loca. Caput 20.
Comœdiæ, ac Tragœdiæ differentiam aliam eſſe ab ea, quæ vulgò creditur. Caput 21.
Morem appendendi ad parietes ædium ſacrarum tabellas pictas, cereos, hominum ſimulachra, arma, veſtes, cæſariem, donariaq́ alia ab Antiquis deſumptum, & cur voti cauſa capilli tondeantur. Caput 22.
Petronij locus alter explicatus. Caput. 23.
De Cothurni ſignificatione multiplici ad Bernardum Aldrete virum eruditiſſimum, amicum optimum. Caput 24.
Dæmogorgonis fictitiũ numẽ, & nomẽ, nullãq́ eius reperiri mentionem, aduerſus Boccaciũ, & alios. Cap. 25.

Ioui

Ioui Taurum immolari nefas fuisse; defensus à recentiorum calumnia Seruius; Poëtarum loca aliquot explicata. Caput 26.

Qui sint Machaonæ Martiali; & à calumnia Petri Victorij vindicatus Cicero; Lucani locus illustratus. Caput 27.

Quid sint sculponeæ; Plauti locus in Casina declaratus Caput 28.

Saltationem variè audiuisse apud Antiquos, inter plurima tamen eius genera pessimè Gaditanam, à qua hodie lasciuæ Hispaniensis vulgi saltationes originem ducunt. Caput 29.

Germana Tibulli lectio tribus in locis à Iosephi Scaligeri calumnia veriùs, quàm castigatione vindicata. Caput 30.

De Choaspis fluminis aqua; Festus Auienus, & Dionysius Afer reprehensi; Tibullus duobus in locis, in unico Ausonius explicati. Caput 31.

Quid sit Lunæ silentiũ, Vergilij locus explicatus. Cap. 32

Somni parentes qui fuerint; Senecæ in Hercule furente locus aduersus aliorum sententiam congruè declaratus. Caput 33.

Lapsum fuisse Donatum in expositione illius Terentiani loci. Accede ad ignem hunc. Caput 34.

Qui essent Fasti dies, qui nefasti; illorum origo; Ouidij locus explicatus. Caput 35.

Mortem sibi consciscẽtes malè audiuisse ab antiquorum sapientissimis; Rem ad Restim redire quid Terentio; Martialis locus restitutus; quid restio Plauto. Caput 36.

Antiquis vt & nobis digitus medius contractis cæteris in alterius contemptum erigi solitus. Martialis, Persius,

ſius, Iuuenalis illuſtrati. Caput 37.

Quot nominum generibus vſi fuerint Romani tum viri, tum fœmina, quot Græci; trium literarum homo quid apud Antiquos, quid apud Plautum. Caput 38.

Nubere pro meretricari veteribus quandoque dictum. dicterij cuiuſdam Hiſpani origo; vxor pro meretrice, Martialis illuſtratus. Caput 39.

Quid ſit Soricina nænia Plauto in Bacchidibus. Næniæ ſignificatio quotuplex; diuerſorum Poëtarum, nec non prædicti loci aliquot declarati, vnicus in Milite reſtitutus. Caput 40.

Puerilis iuriſiurandi formulam, Edios, ab antiquis emanaſſe, ac de iureiurando quædam non vulgaria. Caput 41.

Fabulam Scyllarum; fabulam itidem Prognes, & Philomelæ; ac fabulam Heliadum variè, & confuſè prodi ab autoribus; defenſus tribus in locis Vergilius, in vnico Garcias Laſſus. Caput 42.

Quid ſit nobilitas, & vnde dicta; nobilem pro noto, ignobilem pro ignoto Antiquos vſurpaſſe. Caput 43.

Quid ſit Leuca, & vnde dicta; Iſidori locus reſtitutus; Regia lex Partitarum declarata. Caput 44.

Plures fuiſſe fluuios Lethes nomine; vnicum in Hiſpania noſtra, neque illum (vt vulgò creditur) qui hodie, Guadalete. Caput 45.

Caſtam fuiſſe Penelopem; Vlyſſis mortem in mari; Dictym Cretenſem commentitium autorem aduerſus Floridum Sabinum. Caput 46.

Vlyſſis peregrinantis monumenta conſeruata in Hiſpania, inter ea Olyſſiponem nobiliſſimam vrbem; & an hæc eadem cum Vlyſſea Strabonis, an verò diuerſa.

ſa. Caput 47.
De Hiſpanorum equorum pernicitate, de eis fabella quædam exploſa; Varronis locus caſtigatus. De Salone item fluuio, ac Bilbili Martialis patria, & eiuſdem Poëtæ locus reſtitutus. Caput 48.
Rubrum mare à rubro colore dictum contra quorundam ſententiam; ac defenſus in Troadibus Seneca. Caput 49.
De Ægyptianis, ſeu Zingaris; & vnde illis origo. Caput 50.

FRAN

FRANCISCI FERNANDII DE CORDOVA CORDVBENSIS

Didaſcalia multiplex.

CAPVT I.

De mira Dæmonis impoſtura, qua hominum mentibus ante Chriſti ſeruatoris aduentum illuſit; Poëtarum loca aliquot explicata.

EA fuit ſemper Dæmonis calliditas, vt ſin minùs ſimilis eſſe Altiſſimo (vt in votis habuit) in ſecundo ſuæ creationis inſtanti potuit, debitum ſaltem ſoli Deo honorem ſibi arrogare conatus fuerit miris impoſturis; nec mirum, quandoquidem ſerpens (cuius nomine

Genesis 3. Ioann. 2. Diabolus significatur in sacris literis) *& callidior cunctis animantibus terræ,& homicida erat ab initio, ac mendax* : neque incœpto destitisset, ni parturiens virgo illius contriuisset caput, moriénsque vita, Christus videlicet, illius tyrannidem, ac mortem simul nostram moriendo destruxisset. Quod nec Antiquos demum latuit: Tiberij enim Augusti tempore, quo Christus passus, nauta quidam Thamus nomine apud Echinadas insulas voce quadam mari emissa magnum Pana (Dæmon ille erat) obiisse nunciare iussus, cùm ad Palodes peruenisset, quo facto magnus multorum exauditus fuit confusus gemitus, quem quidem casum plurium testimonio Tiberius Princeps comprobauit. rem longiùs narrat Plutarchus. Verùm de tyrannide, ac fallaciis Diaboli bene Clemens Alexandrinus ; *Maligna* (inquit) *& serpens bellua oculos perstringens, redigit in seruitutem, & in hodiernum vsque diem homines affligit, barbarorum ritu* (*vt mihi videtur*) *puniens, qui dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipsis quoque putrescant. Hic ergo malus tyrannus,& Draco quoscunque ab ortu sibi potuerit vendicare, lapidibus, & lignis,& imaginibus, & aliquibus eiusmodi simulachris misero superstitionis vinculo viuos, vt dicitur, adducens vnà cum eis sepelit, donec vnà cum ipsis interierint. Quamobrem, vnus enim est seductor, qui à principio quidem Euam, nunc autem alios quoque iam homines ad mortem adducit, vnus & idem est nobis adiutor,& opitulator Dominus.* Hæc ille de lignorum, ac lapidum adoratione diabolica inducta fraude, vt *similes illis fiant, qui faciunt ea*, quemadmodum

De oraculorum defectu. Inexhortat. ad Gentes.

Psal. 113.

modum Regius cecinit vates. Sed mirum magis est Dæmonem adeò hominibus illudere voluisse, vt in ea forma in qua humanum genus sua circumuenit fraude, eíque perniciem molitus est, ac mortem, in ea inquam sese adorandum præbuerit, ac miseris persuaserit mortalibus. Nam præter quàm quòd Regem, ac Dominum Ægyptij (vt Horus Apollo autor est) sub Serpentis depingebant forma, apud Eleos Serpens quidam colebatur veluti seruator, ac tutelaris, cui à seruata vrbe Sosipoli Deo nomen imposuerunt, Seruatoris inquam nomen (proh dolor) orbis destructori; causam narrat Pausanias. Salutis etiam signum fuisse, illíque Diuæ consecratum serpentem certo certius est: nam & Macrobius refert, & ostendunt complura antiqua numismata, in quibus serpens insculptus cernitur cum inscriptione, SALVTIS SALVS PVLICA, SALVS AVG. aut AVGG. Neronis aureũ, & æreũ, M. Aurelij argenteũ æreúmque, Antonini, Cómodi, Valeriani ærea, Munatij Accilij Triumuiri Valetudinis argenteũ, quorũ pleraque in nostro visuntur Musæo. Quod etiam populum intellexisse Israëliticum, quandoquidem serpenti æneo, quem fecerat Moyses, incensum adolebat, extra controuersiam esse debet. Quare Ezechias Rex maxima cum laude (vt inquit Augustinus) illum confregit, vt in libris habetur Regum; *Confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum.* Cur autem salutis signum gentibus esset serpens, in promptu causa est, quia nimirum Æscu-

Hierogly. 56.57.58.

In Eliacis.

l. Saturnal. c. 20.

l. 10. de Ciuit. c. 8. Regum 4. c. 18.

lapio salutis Deo dicatus erat; qua de causa Æsculapius depingebatur virgam manu gestans, cui complicatus erat anguis: ita in pluribus Græciæ locis Pausanias, ita in Antiquis lapidibus reperiri depictum refert Guilielmus de Choul. Quin & Æsculapius ipse sub serpentis forma depingebatur, vt in Antiquo Epidauri vrbis (vulgò hodie multis Ragusa) æreo visitur numismate, quod erectum serpentem insculptum habet cum hac inscriptione Græca, ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΝ, & iure quidem: nam apud illos Æsculapius Deus, seu potiùs Cacodæmon sub serpentis forma & visebatur sępe, & colebatur semper, autore Pausania; sub hac etiam Draconis specie Pergami colebatur, Statius.

In Corinthiacis. De Relig. Romanorum.

In Corinthiacis.

Pergameas intrasse domos, vbi maximus ægris
Auxiliator adest, & festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.

Liuius l. 11. qui est in epit. red. Val. Max. l. 1. c. 8. Plutar. in in Quæst. Cent. Rom. Lact. l. 2. c. 8. Arnob. l. 7. Aug. l. 10. de Ciuit. c. 16. In lib. de Medicina in initio. Metamor. l. 15.

Et sub hac quoque forma Epidauro Sycionium iugo mulorum aduectum testatur Pausanias: nec non Epidauro Romam etiam translatum, è naue ique in Tiberinam insulam descendisse, ac nusquam deinceps comparuisse, multi retulêre autores, Liuius, Valerius Maximus, Plutarchus, Lactantius, Arnobius, Augustinus. Ex Poëtis verò Quintus Serenus medicus, & poëta.

Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidauri,
Qui quondam placida tectus sub pelle Draconis
Tarpeias arces, atque inclyta tecta petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos.

Latè Ouidius in libris Metamorphoseon, & Fastorum. Vnde Horatius.

Cur

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Sed de ſerpente hoc mirum quoddam retulit inter omnes Plinius his verbis; *Atqui anguis Æſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgóque paſcitur & in domibus: ac niſi incendiis ſemina exurerentur, non eſſet fœcunditati eorum reſiſtere.* Sacratus etiam ſerpens fuit aliis Diis Ioui nimirum, in cuius Sabaziis myſteriis ex ſinu eorum qui initiabantur, Draco extrahebatur, vt teſtatur Alexandrinus Clemens. Quod bene confirmat Artemidorus ſignificationes alias Draconis enumerans, hæcque addit; *& Deos omnes quibus eſt ſacratus; ſunt autem hi Iupiter reuerendus, Sol, Ceres, Proſerpina, Hecate, Æſculapius, Heroes.* adde & Mineruæ ex Plutarcho: quod innuiſſe mihi videtur Vergilius in illis Æneidos verſibus.

At gemini lapſu delubra ad ſumma Dracones
Effugiunt, ſæuæq; petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibuſq; Deæ, clypeiq; ſub orbe teguntur.

l. 29. c. 4.

Inexhortat. ad Gentes.

De interpretat. ſomniorum l. 2. c. 13.

In libell. de Iſide, & Oſiride. lib. 2.

Nec non & Baccho, cuius ſacris qui initiabantur, ſerpentibus coronati Euam, Euam inclamabant, quo magis appareat Dæmonis calliditas generis, ac erroris noſtri parentem Euam veluti fraudis adminiſtram ſuæ iterato, & ingeminato ſæpius nomine conclamari volentis. Primus huius fraudis detector Clemens Alexandrinus. *Dionyſium Mænolem orgiis Bacchi celebrant crudarum carnium eſu ſacram agentes inſaniam, & caſarum carnium peragunt diuiſionem coronati ſerpentibus vlulantes Euam, Euam illam, per quam error eſt conſecutus, & ſignum Bacchicorum orgiorum eſt ſerpens myſteriis*

In exhortat ad Gentes.

initiatus. Iam verò si accurata vox spectetur Hebraica, nomen Heua aspiratum exponitur Serpens fœmina. Eadem ferè verba ex illo Eusebius Cæsariensis.

l.2.de Præparat. Euāgel.c.5.

Quid dicam de Dionysio, quem Mœnolem Græcè, id est Latinè totum furentem appellant? cui Bacchæ orgia celebrant & crudas carnes comedentes sacro furore initiantur, Euam, Euam conclamantes, quæ vox aspirata secundùm exquisitam Hebræorum linguam fœminæi sexus serpentem significat. Diuus quoque Epiphanius.

Contra hæreses l. 3. to. 2. in fin.

Item Dionysii alij, qui Curetes, & carnium distributionem in sacris habent serpentibus coronati clamantes, ac Euātes, Væ, Væ, illam adhuc Euam à serpente deceptam inuocantes, aut per aspiratam vocem ex Hebraica lingua serpentem ad suum errorem vocantes. Eua enim citra aspirationem Hebræis mulierem, cum aspiratione serpentem significat. Ex Antiquis multi hoc indicarunt: inter Græcos enim Orpheus, & Euripides Euion Bacchum à voce, quæ in eius mysteriis frequētabatur, sæpe vocitarunt, inter Latinos verò optimè ritum hunc depinxit Catullus.

Orph. in hymnis. Euripid. in Bacchidib.

In Argo.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thyrso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens Ariadna, tuóque incensus amore,
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant.
Euoë bacchantes, Euoë capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.
Pars è diuulso iactabant membra iuuenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustrà cupiunt audire prophani.

Atque ita (vt de Græcis Pindaro, & Euripide diximus)

diximus) Latinorum Poëtarum multi Euan, & Euion Bacchum dixerunt. Idem Catullus.

Saxea vt effigies Bacchantis prosticit Euæ. Ibidem.

Lucretius.

Inde Autumnus adit, graditur simul Eubyus Enã. lib. 5.

Horatius.

Euæ recenti mens trepidat metu, Carm. l. 2.
Plenoq́ Bacchi pectore turbidum Od. 19.
Lætatur Euæ, parce Liber,
Parce graui metuende thyrso.

Naso.

Nicteliusq́ Eleusq́ parens, & Iacchus, & Euan. Metamor.
&, *——Indis vlulantibus Euan.* l. 4.

Persius.

Euion ingeminat, reparabilis assonat echo, Satyra 1.

Papinius.

Latous vatum pater, & Semelius Euan. Syluarum l. 1.

Idem. *——Bassaridum rotator Euan.* Syluar. 2.

Idem etiam, *——& à summis auditus mõtibus Euã.* Thebaid. 5.

Vnde Bacchæ ipsæ Euantes dictæ. Catullus.

Thyadas effusis euantes crinibus egit. In Argonaut.

Virgilius.

Illa chorum simulans Euantes orgia circum Æneid. 6.
Ducebat Phrygias.

Propertius.

Egit vt Euantes dux Ariadna choros. lib. 2.

Silius.

Non ille Euantis Massylæ palluit oras. lib. 1.

Vltimò animaduertere visum est, Genio etiam dicatum fuisse anguem, eo quòd sæpe sub hac visum sit forma tam domi, quàm foris: Vnde credo emanasse superstitionem illam, quæ ad hunc

vsque diem in aliquorum animis infixa, domesticos angues occidi, religionem esse prædicat: hac tamen de causa Antiquis consecrationis nota, aut loci sacri duo depicti angues, quemadmodum apud nos Diuorum Antonij, aut Martialis imagines, siue salutaris crucis effigies. Seruius in illud Æneidos.

Æneid. l. 5. *Incertus geniúmve loci, famulúmve parentis*
Esse putet.

Idque Persij testimonio. *Nullus enim* (inquit) *locus caret genio, qui per anguem plerunque ostenditur. Persius. Pinge duos angues, pueri locus est sacer, extrà meite, discedo.* Hæc Seruius, quem deinde secutus est Nebrissensis noster in commentariis in Persium. Sed demum tam turpes Deos non minùs detestabile decuit symbolum: meritóque (si spiritus carnem, & ossa haberent) credere Pherecidi Syro deberemus, Deos omnes, seu potiùs Dæmonas serpentinis esse pedibus affirmanti.

Quid in sacris literis Pascha significet.

CAPVT II.

ADcò variè nomen hoc tam in nouo, quàm in veteri accipitur instrumẽto, vt quæ sit vera eius, ac genuina significatio iure possit dubitari: Iam enim facere Pascha, iam immolare Pascha, comedere Pascha, iam festũ Paschæ legimus

mus in ſcriptura: quæ omnia, ſi vnica nomen hoc ſignificatione eſſet cõtentũ, inter ſe proculdubio pugnarẽt. Sciendũ ergo idẽ eſſe Hebræis Paſcha, quod nobis tranſitus, ſiue trãſcenſus, aut trãſgreſſio, cuius Feſtum (quod alio etiam, & veriùs Hebræo vocabulo, Phaſe vocabatur; Paſcha enim Chaldaicum eſt, vt paulò inferiùs patebit) à Deo fuit per Moysẽ Iſraëlitico populo pręceptũ celebrari decima quarta die mẽſis primi, is erat Nyſan, qui apud nos Martio reſpondet, vt ex quãplurimis aliis tenent Sigonius, & Genebrardus. Celebrabatur autem ſic. Decima quarta Nyſan agnum anniculum immaculatum immolabant Hebræi, quem aſſum, & integrum accinctis renibus, calcaris pedibus baculos in manibus tenentes, ac feſtinantes comedebant, vt videre eſt Exodi 12. Cur autem tranſitus appellaretur feſtiuitas iſthæc, curque viatorum more illam celebraret Deo tunc temporis dilectus populus in eodem capite redditur ratio; *Cúmque introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis ceremonias iſtas. Et cùm dixerint vobis filij veſtri: Quæ eſt iſta religio? dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſraël in Ægyto percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans.* Porrò Paſcha nihil aliud ſignificare quàm tranſitum docent viri & ſanctitate, & literarum cognitione inſignes. Hieronymus in Micheam. *Vnde à tranſitu Phaſe, id eſt Paſcha nomen accepit*; & in Matthæum. *Paſcha quod Hebraicè dicitur Phaſe, non à paſſione, vt plerique arbitrantur, ſed à tranſitu nominatur; eo quòd ex-*

Sig. in libr. 1. Sulpicij Genebrard. Chronol. 2.

l. 2. c. vlt. t. 6.

c 26. tom. 9.

terminator videns sanguinem in foribus Israëlitarum pertransierit, nec percusserit eos: vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo desuper ambulauerit. Hæc Hieronymus: mitto enim alium, qui sub eius nomine citatur etiam à Nebrissensi nostro, locú ex opusculo de celebratione Paschæ: opusculum enim illud, vel ex eo solùm, quòd autor Græcam se, & Hebræam linguam ignorare fateatur, Hieronymi non esse planè conuincitur. Verùm Pascha nil aliud, quàm transitum significare docet etiam Ambrosius. *Pascha enim Hebraicè transitus dicitur.* Nazianzenus. *Nam sanctam Paschatis diẽ ad quam venimus, bonorum, quæ istic sunt, mysticum ductum, ac disciplinam esse noui, vt quæ transitus festiuitas existat.* Augustinus. *Pascha enim Hebræum verbum dicitur, quod transitus interpretatur: vnde & Ioannes Euangelista dicit. Ante diem festum Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius vt transcat ex hoc mundo ad Patrem.* Quod ipsum plurimis repetit in locis, sed clariùs multò in Psalmum 78. *Pascha ipsum Latinè transitus interpretatur, non est enim Pascha Græcum nomen, sed Hebræum. Resonat quidẽ in Græca lingua passionem, quia πάσχειν pati dicitur, sed consultum Hebræum eloquium aliud indicat; Pascha transitum commendat, quod admonuit etiam Ioãnes Euangelista, qui imminente passione, cùm veniret Dominus ad cœnam, qua commendauit Sacramentum corporis, & sanguinis sui, ita loquitur; cùm autem venisset hora, qua transiret Iesus de hoc mundo ad patrem. expressit ergo transitum Paschæ.* Ita Augustinus, quanuis idem in quæstionibus ex nouo testamento, & in quæstionibus ex vtroque mix-

In 3. Quinquagen. c. 33

Tom. 3. ser. 53. Operum D. Basilij t. 4. epi. 16.

l. 2. de Trinit. t. 3.

l. 2. q. super Exod. tom. 4. l. 16. de ciuit. c. vlt. & in Ps. 120 t. 8. & t. 10. de verbis Domini ser. 26. & de verb. Apost. serm. 6.

To. 4. q. 96. Eodem. t. q. 116.

tim nomen Paſcha non tranſitum, ſed immolationem, & à pati dictum videatur ſentire. Hiſpaniarum doctor Iſidorus. *Paſcha autem vocabulum non Græcum, ſed Hebraicum eſt: nec à paſſione, quoniam πάσχειν Græcè dicitur pati, ſed à tranſitu Hebræo verbo Paſcha appellatum eſt, eo quòd tunc populus Dei ex Ægypto tranſierit. Vnde & in Euangelio: cùm vidiſſet (inquit) Ieſus, quòd venit eius hora, vt tranſiret de mundo ad Patrem.* Hactenus Iſidorus, qui etiam quædam alia ad Paſcha vetus, ac nouum pertinentia ſubiungit, quæ prorſus verba in libro de officiis Eccleſiaſticis ipſe deinceps refert. Philo Iudæus (quem ſummis laudibus in Catalogo Scriptorum proſequitur Hieronymus) in libello de Sacrificiis Abelis, & Caini. *Poſtremò* (inquit) *iubentur properando cibum edere, quia Paſcha creaturæ mortalis tranſitus ad Deum dicitur: & valde conuenienter.* Idem de migratione Abrahami. *Cum feſtinatione immolate Paſcha, quod interpretatur tranſitus.* & de vita Moſis l. 3o. *Eius menſis die quarta decima ſub ipſum tempus, quo Luna ſuum orbem ſolet complere lumine, celebratur migrationis publica feſtiuitas, quam Chaldaicè Paſcha nominant.* Ioſephus. *Vnde nunc quoque ſolenne manet nobis idem ſacrificium, quam feſtiuitatem vocamus Paſcha: id tranſitum ſignificat, eo quòd Deus illa die præteritis illæſis Hebræis Ægyptios morbo percuſſit.* Idem ex regentioribus docent Nebriſſenſis, Viues, Polydorus Vergilius, & alij plurimi. Ex quibus omnibus habemus iam & Paſcha nihil aliud ſignificare, quàm tranſitum, & (vt ſuperiùs pollicitus ſum) nomen hoc eſſe Chaldaicum, ita atteſtante

Origin. l. 6. c. de Paſcha.

l. Antiq. 2. c. 5.

Nebriſſ. vbi ſup.

Viues. in c. vlt. l. 16. de Ciuit. Dei Auguſt.

Polyd. l. 5. de inuent. rer. c. 7. & 12

testante Philone, cui in hac parte vt maternæ linguæ peritissimo credendum potiùs puto: quod confirmatur ampliùs, quia Scriptura sacra Festũ hoc semper Phase nominat ante Babylonis trãsmigrationem, neque vnquam Pascha, deinceps verò frequenter Pascha, fortè quia à Chaldæis nomen hoc, vt multa alia captiuitatis tempore mutuati fuerant Hebræi. Primo enim Esdræ capite sexto primum legitur Pascha. *Fecerunt autem filij Israël transmigrationis Pascha quartadecima die mensis primi.* Esdr 3. cap. 1. Ezechielis 45. *In primo mense quartadecima die mensis erit vobis Paschæ solemnitas.* Matthæi verò, Marci, Lucæ, Ioannis, Actuum, ac Pauli plurimis in locis. Quæ cùm ita se habeant, illud certè aliquid nobis negotij facit, quod huius tractationis initio in Sacra legi pagina diximus: nempe immolare Pascha, comedere Pascha, & reliqua huiusmodi. non enim transitus, aut Festum transitus (corpore quippe carentia) vel immolari, vel comedi poterant. At quomodo eadem dicit Scriptura, *Immolare Phase, comedere Phase, Assauerunt Phase, elegerunt Phase,* si ipsamet Exodi 12. ait? *Est enim Phase, id est transitus, Domini.* quod nec immolari, nec assari, neque comedi, aut eligi, quando præfixum habebat tempus, dicendum est potuisse. quare reliquum est, vt dicamus Pascha, seu Phase Festum transitus propriè significare, vt tot, ac tantorum virorum autoritate comprobatum vidimus, nec non Sacræ paginæ locis, sed illo præcipuè Ioannis 2. *Cùm autem esset* (scilicet Iesus) *Hierosolymis in Pascha in die festo.* Translatitiè tamen,

Deuter. 16. 2. Paralipo 30. & 35. Esdræ. 3. c. 1. Exod. 12. 2. Paralip. 30. & 35.

ac

ac figuratè (pulcherrimis enim figurarum ornamentis tota eſt condecorata illa iuxta Patrũ ſententiam) per metonymiam, ſeu hypallagen accipi in ſcriptura pro hoſtia, quæ in Paſchæ feſto immolari, & comedi per vniuerſas Iſraëlis domos ſolebat: & ita intelligi debent quæcunque loca de mactatione, comeſtione, atque electione Phaſe, ſiue Paſchæ in vtroque contenta teſtamento, nec non illud quod ex Diuo Paulo quotidie in ſolemni miſſæ ſacrificio Paſchali tempore canit Eccleſia, nimirum. *Cùm Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, ipſe enim verus eſt agnus*, &c. licèt ibi etiam poſſit Paſcha pro tranſitu ſupponere, vt Auguſtinus, & Iſidorus locis præallegatis videntur ſenſiſſe, qua de re, qui pluſcula quædam velit, noſtrum conſulat Nebriſſenſem eruditiſſimè, vt aſſolet in ſua Quinquagena de Phaſe, & Paſchæ nominibus differentem.

Vide Quintil. l. 8. c. 6.

cap. ſup. dicto.

Quid

Quid sit adorare; vnde dicatur; varij Antiquis adorandi ritus; Plauti locus in Mostellaria declaratus; Beati Iob illustratus alter; origo deosculandi manum gestu ac verbis, Italis, & nobis communis.

Cap. III.

ADorare, idem quod venerari, colere, precari, supplicare communiter significat; dictum est autem ab ad & orare, quasi ad aliquem orare, quicquid dicant Priscianus, & Nonius ab Ador, hoc est frumento sacrificiis destinato, ille dictum, hic posse dictum videri, existimantes. Varro enim ab ore, orare, oratores, & similia dici scribit. Valla certè *Adorare ab oro, quod est ore precor, componitur*, ait. Et quia cùm adoramus, ferè semper aliquid adoratos precamur, ideo sortitur significatum; Vergilius.

Different. l. 5.

Æneid 3. *Iunonis magnæ primùm prece numen adora.*

Vnde simpliciter alioqui, & orare significat. Apuleius. *Infusa aqua populum sic adorat.* & alibi. *Ad istum modum seniore adorante.* Quin & gratias agere in sacris literis. *Surrexit Abraham, & adorauit*

Asini aurei l. 3.

Asini aurei l. 1.

Genes. 23.

rauit populum terræ, filios videlicet Heth. Porrò adorandi modus multiplex apud Antiquos; nam & prosternentes humi corpora adorabant: de qua adoratione in sacris literis pluries. *Cadens pronus in terram adorauit tertiò.* Regum 1. cap. 2. *Et cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum prosternens se super terram.* Iudith 10. quod Iob. 1. Isaiæ 46. Matthæi 2. Actuum 10. & alibi frequẽter legitur. Eum fuisse Persis suos Reges adorãdi modum, autor est Curtius. *Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare iussit prosternentes humi corpora.* Et inferiùs. *Semet ipsum cùm Rex iniuisset conuiuium, prostraturum humi corpus:* Et paulò post. *Quem venerantibus Persis, Polypercon, qui cubabat super Regem, vnum ex his mento contingentem humum, per ludibriũ cœpit hortari, vt vehementiùs id quateret ad terram.* Adorabant etiam inclinato ad terram capite, vt ex sacra patet pagina, Genesis 24. *Inclinauit se homo, & adorauit Deum.* & 43. *Et adorauerunt proni in terram.* Et inferiùs. *Et incuruati adorauerunt eum.* Quod etiam Regum 2. cap. 24. Esaiæ 2. & alibi sæpe legitur; & in omnibus denique locis, vbi vulgata nostra tantùm habet, *adorauit*, Hebraica vertit, *incuruauit se.* Sed & hoc etiam modo adoratos fuisse Reges Persarum testimonio nobis est callidum illud, ac Græco dignum homine Ismeniæ Thebani factum, qui legatione ad Persarum Regem pro patria suscepta, ipsum adorare iussus, ne aut infectum sibi Regem abnuendo, aut rem Thebano indignam morem gerendo, videretur feciſſe, tali vsus est astu, qualem nobis

De Gest. Alex. l. 9.

his

Variæ hist. l.1.c.21. his verbis testatum reliquit Ælianus. *Quum autem accessisset, & in faciem Regis ventum esset, annulum quem gestabat, è digito detractum, clàm abiecit ad pedes, confestimque procumbens, tanquam adoraret, sustulit eum iterum, & opinionem quidem adorationis Persarum Regi præstitit: nihil tamen commisit, quod ignominiosum, aut indecorum foret Græcis. quicquid igitur petiit, impetrauit, neque quicquam à Persa ei denegarum est.* Adorabant itidem genibus flexis (qui mos nobis hodie vsitatior) Regũ 3. cap. 19. *Quorum genua non sunt incuruata ante Baal.* Paralipom. 29. *Et incuruato genu adorauerunt.* Et sexcentis aliis in locis tam nouæ, quàm veteris paginæ, quos breuitatis gratia omittimus. Sed & de hoc adorandi ritu prophani scriptores mentionem fecêre: familiaris enim (apud Romanos præsertim) ille rogandi modus. Ouidius.

Et genibus pronis supplex, similiq; roganti.

Liúius. *Vndique matronæ in publicum effusæ circa Deûm delubra discurrunt crinibus passis aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad cœlum, ac Deos tendentes.* nam & manuum extensione, ac eleuatione adorare soliti Antiqui. Psal. 27. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum:* & Psalm. 133. *Extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Nehem. 8. *Et respondit omnis populus amen, amen, eleuans manus suas, & adorauerũt Deum.* Esdræ 3. cap. 9. *Et eleuatis sursum manibus procidentes in terram adorauerunt Dominum.*

De bello ciuili. l. 2. Ex autoribus verò prophanis docuêre id Cæsar. *Aut ex muro ad cœlum manus tenderent, aut templa*

Deorum

Deorum immortalium adirent. Cicero. *Tendebámque manus ad cœli cœrula templa.* Idem. *Tendet ad vos virgo Vestalis manus supplices, easdem, quas pro vobis Diis immortalibus tẽdere consuenit.* Salluſtius. *Ad hoc mulieres, quibus pro Reipublicæ magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere.* Apuleius. *Claraq́, & consona voce cœlo manus attendentes testantur tam illustre Deæ beneficium.* Quin & Latinorum Poëtarum Princeps.

Pro Fõteio.

In Catilinaria.

Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas. Æneid. 1.

&alibi.

Agnouit iuuenis, duplicesq́, ad sydera palmas lib. 9.
Sustulit.

Demum ipse.

Et duplices cum voce manus ad sydera tendit. lib. 10.

vbi animaduertendum, duplices, id est, complicatas, ab eruditissimo nostro Nebrissensi in commentariis exponi, quia nimirũ disiunctis expansisque manibus, ac palmis fiebat aliquando supplicatio, aut veneratio Deorum. Idem Vergilius.

Corripio è stratis corpus, tendoq́, supinas
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo Æneid. 3.
Intemerata focis.

& alibi.

Ni palmas ponto tendens vtraque Cloanthus, lib. 5.
Fudisset q́ preces, Diuosq́ in vota vocasset.

Quod etiam vsitatum fuisse in populo Dei legimus Exodi 9. *Cùm egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit.* Exodi quoque 16. Moyse manus suas leuatas habente vicisse Iosue Amalecitas le-

gimus.Sed & Paralipomenon 6. hæc de Salomone Rege scripta videmus. *Et deinde flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israël, & palmis in cœlum leuatis ait.* qui mos nondum hodie apud nos intercidit, omnibus nanque gentibus communis fere semper extitit complicatis, aut extensis manibus Deos & homines orandi, & obsecrandi formula. Vnde Quintilianus de manibus agens. *Annon his poscimus, pollicemur, supplicamus?* &c. Omnes autem prædicti adorationis modi eò tendunt, vt se adorantes summissos, & humiles erga adoratos ostendant; qui enim se humi prosternunt, quid aliud nisi se pauimenti loco pedibus adorati velle inseruire significant? quid indicant, qui capita, & corpora inclinant alteri, nisi se illo minores esse? quid qui genua flectunt, nisi, vel non esse locum extra illius placitum mutaturos? vel omne suum robur, & vires omnes velle illi summittere? per genua enim robur significari tam sacræ quàm prophanæ docent literæ. Psalmo 108. *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Ecclesiastici 25. *manus debiles & genua dissoluta.* quod ad Hebræos 12. repetit Apostolus. Ex Ethnicis porrò Vergilius,

lib. 11. cap. 3.

Æneid. 12. *Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.*

Seneca noster in Thyeste.

Actu 3. *Placet ire, pigris membra sed genubus labant.*

vel denique quia se adorato minores esse ostendunt etiam hoc modo. Horatius,

Epistola. 1. *——Ius, imperiumq; Phraates*
Cæsaris accepit genibus minor.

Quid manuum complicatarum eleuatione innuunt,

nuunt, nisi manus fortitudinis symbolum, ac libertatis (teste Pierio) numini adorato obligandas se velle præbere in subiectionis signum? Cæsar. *Hedui manus tendere, & deditionem significare, & proiectis armis mortem deprecari incipiunt.* Idem. *Omnes maiores natu ex oppido egressi manus ad Cæsarem tendere. & voce significare cœperunt, sese in eius fidem, ac potestatem venire.* Quid demum expansarum manuum extensione, nisi vel inermes manus vel iussis omnibus paratas adoratis offerre? Adorabant etiam alio modo Romani, sedentes nimirum, ac velato capite. Liuius. *Augur ad læuam eius capite velato sedem cepit*, &c. Vergilius.

Hierogly. l. 35.
De bell. Gall. l. 7.
De bell. Gall. l. 2.
lib. 1.

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

l. Æneid. 3.

Propertius Iouem alloquens.

Ante tuosq; pedes illa ipsa adoperta sedebit.

l. Elegiar. 2.

Iuuenalis. ——*stetit ante aras, nec turpe putauit*
Pro cithara velare caput: dictatáque verba
Protulit.

Cur autem adorantium capita velarentur, declarat optimè Vergilius.

Purpuro velare comas adopertus amictu:
Nequa inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Æneid. l. 3.

Quam etiam rationem ibi reddit Seruius Grammaticus omnibus ita Diis sacrificari solitum dicens, excepto Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. causam eandẽ inter alias nonnullas refert Plutarchus, ex quo illud adde Honori etiã, vt & Saturno reuelato capite sacrum fieri solitum, licèt alia de causa. Sedentes autem adorabant ex Pythagoræ doctrina, eius enim illud sym-

In Quæst. Centur. Rom.

bolum, *Adoraturi sedeant*. cur autem hoc ille iusserit, demonstrat Antonius Syluius, nimirum vt quieti corporis animus alleuatus ad cœlestia faciliùs euolet. Vnde intelligere licet subobscurum aliàs Plauti locum in Mostellaria Tranij illius serui in ara sedentis, ac hero suo ipsum, vt inde surgeret, rogitanti, in hunc modum respondentis;

l. singul. in ll. c. 5.

Actu 5. scen. 1.

Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.

Tum consilia firmiora sunt de diuinis locis.

Quem tamen parum decentem Romanæ superstitionis ritum meritò damnat Tertullianus his verbis. *Porrò quum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quòd apud idola celebratur.* Alio etiam modo suos Deos adorabant Gentes, osculo nimirum propriæ manus, ita vt intuens simulachrum, vel aliud quidpiam, quod sibi adorandum duceret, propriam quisque deoscularetur manum. Plinius. *Inter adorandum dextram ad osculum referimus, & totum corpus circumagimus.* Apuleius. *Multi denique ciuium & aduenæ copiosi, quos eximij spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat inaccessæ formositatis admiratione stupidi, & admouẽtes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente, vt ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Idem. *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Minutius Fœlix in Octauio. *Cæcilius simulachro Serapidis viso, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens osculum labiis pressit.*

De Oratione.

l. 28. c. 2.

Asini aurei l. 4.

In Apologia.

ſit. Lucianus in Demoſthenis encomio illius mortem deſcribens. *Salutato* (inquit) *Deo ſponte ſequar, ego ſic ſperabam facturum, cùm ille manum ori admouet, neque ego ſuſpicabar eum aliud facere, quàm orare Deos.* Idem de ſacrificiis. *At ſiquis pauper: is ita Deo litat, vt dexteram duntaxat ſuam ipſius exoſculetur.* Et huius quoque adorationis ſpeciei ſacræ meminerunt literæ 3. Regum loco ſuprà citato. *Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum oſculans manum.* Capite 19. Diuus Hieronymus in Ruffinum. *Qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſummittere.* Tomo 2. Ex quibus omnibus planè mihi perſuadeo, de hoc adorandi ritu intelligendum proculdubio illud trigeſimi primi capitis Iob. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè; & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Quanuis enim locum hunc aliter interpretatos eſſe videam duos ex Societate Ieſu eruditionis eximiæ viros, alterum Martinum de Roa conciuem noſtrum, alterum Ioannem de Pineda, quem ego olim iam ob integritatem vitæ, doctrinæ præſtantiam, ingenij ac verborum lenitatem ſummè ſuſpicio, ſummè admiror, qui quidem locum hunc ex Chryſoſtomi doctrina de præfidentia, animi elatione, & inanis gloriæ, ac diuitiarum faſtu intelligendum acutè (vt aſſolet) ingeniosè, facundè dicit. Mihi certè à Diui Hieronymi in exponendis ſcripturis Doctoris maximi ſententia recedere, religio eſſet, ille enim non ſemel, ſed iteratò verba iſthæc Iob de idolo-

ſingular. l. 4. c. 3. In Commẽtar. in Iob.

latriæ peccato intelligenda esse affirmat, neque verborum textus series, vt aliud credamus vllo modo nos vrget. Verba igitur Hieronymi hæc in
cap.8. illud Ezechielis; *Ecce applicant ramum ad nares suas. Sed instar idolorum applicare ramum ad nares suas: haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone τὰ βαΐα vocant, vt per hoc eos idola adorare significet: Denique & Iob inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit quòd nunquam aspiciens cœlum, & Solem, & Lunam & astra fulgentia, osculatus sit manum suam, id est adorauerit creaturas.* Idem in
cap.13. Osee. *Qui enim adorant, solent deosculari manum suam: quod Iob fecisse se negat, dicens, si osculatus sum manum meam apponens ori meo, & hoc mihi ad iniquitatem maximam reputetur*; à qua quidem sententia alienus non videtur Tertullianus dum ait in Apologetico. *Plerique vestrûm affectione aliquãdo cœlestia adorandi ad solis ortum labia vibratis.* Cuius adorationis causa ea potissimùm fuisse videtur, vt quos ore prophano vererentur attingere homines, manu aut tangerent, aut tetigisse fingerent oris loco, quam deinde ad os reductam, veluti augustiorem factam religionis ergo suauiarentur. Vnde planè liquet minimè esse nuperum aulicæ adulationis inuentum, sed ab antiquis iam inde deriuatum temporibus, frequentius quidem in Italia, sed & in Hispania non infrequens, versus aliquem nobis obuium, quem honoratum velimus, manum porrigendi, quam statim reductam, ori deosculandam applicamus, ipsorumque manus, quas re ipsa minùs liceret, verbis & gestu deosculatas profitemur: nam &

illud

illud à ſummis Romanorum principibus factitatum eſſe comperimus. Suetonius in Claudio. *Eoſdem* (conſules) *ſpectacula edentes ſurgens & ipſe* (Claudius) *cum cætera turba voce, ac manu veneratus eſt.* Tacitus de Nerone. *Poſtremò genuflexus, & cœtum illum manu veneratus eſt.* Et hæc de propriæ manus oſculatione; nam de alienæ Principum virorum, Deorúmve, genuum, pedum, aut veſtis adorationis, & reuerentiæ ergo exhibitis oſculis, tot paſſim ſuppetunt exempla ſacræ, ac prophanæ ſcripturæ, vt ſuperuacaneum ſit ea in medium proferre, ita enim illud vſitatum, vt nimiis adorantium oſculis attrita fuiſſe Deorum ſimulachra referant autores. Cicero. *Ibi eſt* (Agrigenti) *ex ære ſimulachrum ipſius Herculis, quo non facilè quicquam dixerim me vidiſſe pulchrius* (*tametſi non tam multum in iſtis rebus intelligo, quàm multa vidi*) *vſque eò iudices, vt rictus eius, aut mentum paulò ſit attritius, quod in precibus, & gratulationibus non ſolùm id venerari, verùm etiam oſculari ſolent.* Lucretius.

Cap. 12.

Annal. l. 16.

Actione 6. in Verrem.

——*tum portas propter ahena*
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, prætergq; meantum.

lib. 1.

Prudentius contra Symmachum.

Mox humeris poſitus nutricis, triuit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris, puerilia vota
Fudit, opeſq; ſibi cæca de rupe popoſcit.

lib. 1. Rhod. mulr. loc. Muret. l. 10. Variar. c. 1. Pyth. Aduerſ. l. c. 7. Lipſ. 2. l. elect. c. 6.

Qui plura de Adoratione velit Rhodiginum, Pytheum, Muretum conſulat, & nonnullos alios, quos loco ſuprà dicto citat P. Pineda, ſed ante omnes perennis famæ virum Lipſium, cuius ego

sequi vestigia, sin minùs in re, in votis tamen semper habui.

Non ignaros fuisse Antiquos mundi exitus; animarum examinis, corporeæque resurrectionis, & vnde illi didicerint.

CAPVT IV.



Gnotum olim Gentibus fuisse mundi exitum, ignotum animarum examen, ipsam denique animatorum resurrectionem corporum ignotam penitus qui asseruerit, ignota sibi esse veterum monimenta asseret vel inuitus. Et quidem mundi exitum licèt aliqui negauerint philosophi, mundum ingenitum, ac proinde immortalem credentes; plurimi tamen factum in tempore, & in tempore etiam interiturum affirmarunt. Vetustissimus philosophus, Rex, & Sacerdos, Mercurius Trismegistus dictus cùm mundum paulò ante sui ipsius finem innumeris coinquinatum sceleribus, à Diis deferendum fore in manibus nocentium Angelorum, priùs in Asclepio dixisset, hæc deinde subdit. *Tunc nec terra constabit, nec nauigabitur mare, nec cœlum astrorum cursibus, nec syderum cursus constabit in cœlo. Omnis vox diuina necessaria*

tacitur

taciturnitate mutescet: fructus terræ corrupentur, nec fœcunda erit tellus: & aër ipse mœsto torpore languescet. hæc & talis senectus veniet, mundi irreligio, & inordinatio, & irrationabilitas bonorum omnium. Cùm hæc cuncta contigerint, ô Asclepi, tunc ille Dominus, & pater Deus primipotẽs, & vnius gubernator mundi intuens in mores factaq; voluntaria, voluntate sua, quæ est Dei benignitas, vitiis resistens, & corruptelæ omnium errorem reuocans, malignitatem omnem vel alluuione diluens, vel igne consumens, vel morbis pestilentibus vbique per diuersa loca dispersis, finiens, ad antiquam faciem mundum reuocabit. Hæc ille. Stoici (vt autor est Laërtius) elementa per igneam euaporationem dixerunt corrumpi, corruptibilémque esse mundum, quippe qui genitus sit, cuius partes sint corruptibiles, quíque mutari in deterius possit; de illis etiam ita Cicero in libris de natura Deorum. *Fore vt ad extremum omnis mundus ignescat, cùm humore consumpto neque terra ali possit, neque remeet aër, cuius ortus aqua omni exhausta non esse possit.* Sed & Philo Iudæus. *Dicebant Stoici indefessam vim ignis rebus insitam post longas temporum ambages absumpturam, & in semet mutaturam omnia, ex qua denuò mundum instauraturam opificis prouidentiam.* Heraclitus ex Laërtio, cuncta ex igne constare, in eúmque resolui omnia, vnum esse mundum, eúmque ex igne nasci, & rursus per quosdam ambitus, per vices hoc omne sæculum ignescere affirmauit. Idem de eodemmet Heraclito, nec non de Hippaso Metapontino retulit Plutarchus, ex igne scilicet omnia ortum & in ignem habere occasum, mundum de-

In vita Zenonis.

lib. 20.

In tract. Quòd mũdus sit incorruptibilis.

In vita.

l. 1. De placitis c. 3.

nique, corporaque omnia ab igne in mundi conflagratione absumptum iri. Pythagoram, ac Platonem mundum à Deo genitum sua quidé sponte interiturum, haud interiturum tamen prouidentia & conseruatione diuina, sensisse testatus est; quam etiam Platonis sententiam in libris de Euãgelica præparatione adduxit Eusebius, & expressa videtur illius fuisse in Dialogis Timæo, & Ciuili, in quo fabulosum mundi, qualis erat sub Saturno, interitum, atque illius sub Iouis auspiciis renouationem eleganter describit. Epicurus, referéte Plutarcho, eo quòd genitus sit mundus, animãtis, & plantæ modo occasurum sensit. Panætius apud Ciceronem dubium esse dixit an ad extremum omnis mundus igneſceret. hæc de re optimè conciuis meus Seneca in libro de Consolatione ad Martiam; *Et cùm tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cædent, & sydera syderibus incurrent, & omni flagrante materia, vno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.* Sed & in naturalium quæstionũ libris. *Qua ratione, inquis? eadem, qua conflagratio futura est. Alterutrum sit cum Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua, & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, & ex his interitus est. Ergo quandocunque placuere res nouæ mundo, sic in nos mare emittitur, vt desuper feruor ignis, cum aliud genus exitij placuit.* Poëtæ quoque tam Græci, quàm Latini hoc idem scripto testati sunt. Tragicus enim quidam Græcus apud Clementem Alexandrinũ, cuius ille nomen non expressit, quẽ tamẽ Possevinus nescio quo autore Sophoclem esse dicit,

1. De placitis 2. c.4.
l. 11.c.17.
l. 2. De placitis.c. 4.
2. De natura Deorum. cap. 26.
l. 3.c.28.
l. Stromatũ 5. Bibliothec. l.17.c.5.

cuiusque

cuiuſque verſus non admodum integra citat fide.

Erit næ, erit nouum tempus ſæculi.
Quando ignis effundet refertas copias.
Auratus æther, flamma quæ paſta & fuit,
Terrena cuncta, cunctáque & ſublimia
Vret furens.

Et rurſus ſubiungit paulò poſt.

----Sed vniuerſum vbi defecerit,
Totum profundum tunc peribit fluctuum.
Tellus manebit & deſerta, non enim
Pennata producet folia igne torrida.
Seruabit at deinde cuncta, quæ perdiderat.

In primis ingenioſus Poëta Ouidius; Metam. l. 1.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo terræ, correptáque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Omnium tamen proculdubio elegantiſſimè, & magis ad amuſſim hoc expreſſit conciuis meus Lucanus.

----Sic quum compage ſoluta l. Pharſ. 1.
Sæcula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum Chaos, omnia mixtis
Sydera ſyderibus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutiétque fretum, fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poſcet ſibi: totáque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Vniuſcuiuſque verò hominis animæ corpore exutæ diuinum inſtare iudicium, quo ipſi pro meritis vel præmium decernatur, vel pœna, omnes ferme

ferme Antiqui, quotquot animæ immortalitatẽ asseruêre, firmissimè asseuerarunt, ille, cuius paulò antè mentionem fecimus, Trismegistus Mercurius apertè hoc asserit in Pimandro, sed
cap. 10. apertiùs multo in Asclepio his verbis. *Audi ergo, ô Asclepi, cùm fuerit animæ à corpore facta discessio, tunc arbitrium, examénque meriti eius transiliet in summi Dæmonis potestatem: isq; eam, cùm piam iustámque præuiderit, in suis competentibus locis manere permittet: sin autem delictorum illitam maculis, vitiisque oblitam viderit, desuper ad ima deturbans, procellis, turbinibúsque aëris, ignis, & aquæ sæpe discordantibus tradet. Atque inter cœlum, & terram mundanis fluctibus, in diuersa semper æternis pœnis agitata, raptabitur, vt in hoc obsit animæ æternitas, quòd sit immortali sententia æterno iudicio subiugata.* Pythagoras apud Laërtium. *Porrò Mercurium*
l. 8. in vita. *animarum esse quæstorem, ianitorem, ac Gerrenum, quòd is ex corporibus, & ex terra, & mari animas immittat, & puras quidem, atque purgatas in excelsum ducat, impuras verò illis ne appropinquare quidem, neque inuicem sibi ipsis: cæterùm vinciri à furiis infractis nexibus.* Multa de animarum iudicio, pœna, ac præmio differit Plato in Gorgia, plura in Phædone, plurima in decimo de Republica. Cicero Scipionis somnium enarrans, animas eorum, qui bene, & iustè vixerunt in cœlum post discessum à corpore euolare, eorum verò, qui se libidinibus, & sceleribus coinquinarunt, circum terram per plurima sæcula exagitatas volutari affirmauit. Sed & præclarè ille alibi. *Mors non*
Tusculan. 1. *est interitus omnia tollens, atque delens, sed quædam*

quasi

quasi migratio, commutatióque vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in cœlum solet esse. Sed neque Poëtas hoc latuit; ita namque apud Clementé Alexandrinum Diphilus Comicus, quem nescio qua de causa Philæmonem dicit P. Possevinus, alios etiam in eundem errorem trahens. l. Stromat. 5. Vbi suprà.

Tùne mortuos putas heus Nicerate,
Qui se omnibus repleuêre voluptatibus,
Ac si Deum latuissent, penitus esse liberos?
Iustitiæ est oculus, tuetur qui omnia.
Namque in Inferis duas putamus semitas,
Vnam bonorum, sed malorum esse alteram
Viam, licèt duas tellus simul tegat.
Agedum, furare alacriter omni tempore,
Prædare, diripe, spolia, at ne erraueris,
Iudicium est, faciet quidem quod in Inferis,
Qui est omnium Dominus Deus, cui nomen est
Terribile, ego quod neque nominauerim.

Cæterùm nostro Latino poëta nullum puto ingeniosiùs inferorum sedes, ac tormenta perpetuò duratura poëticè describere aut potuisse, aut posse, quem licèt non adæquet, attamen nõ inelegantèr imitatus est Silius, ac post hũc Claudianus. Sed his magis fabulosa de inferorum situ, ac suppliciis, à quodam Thespio Soleo, (qui cùm ex vulnere animam efflasset, tertio demum die in ipsis exequiis reuixit) communibus amicis narrata refert grauissimus autor, in hoc tamé minùs credendus Plutarchus. Et hæc Ethnici de nunquam intermittendis, aut gaudiis, aut cruciatibus animarum. At quod Antiquitati minùs persuasum, mortuorum quidem resurrectio fuit, Æneid. 6. Sil. l. 13. Claud. l. 2. de Raptu. De tarda Dei vindicta.

quomodo

quomodo enim animata in lucem rursus redire, quomodo conglutinari denuò, anima foueri, superáſque euadere ad auras, ea ſperarent poſſe corpora, quæ vel combuſta in cineres, vel humi defoſſa in puluerem, mari demerſa, aut in crucem acta in auium, vel piſcium eſcam iampridē ceſſiſſent? cùm præcipuè contrarium didiciſſent ab ipſomet Græcorum Epicorum Principe, ac vetuſtatis veluti oraculo. ſic enim ille.

Iliad. 9.

--Sed vis animai
Cùm ſemel exceſſit, nunquam redit ampliùs intra
Corporis humani teſtudineum figmentum.

qua de cauſa in Actis Apoſtolicis, Paulo Athenis

cap.17.

prædicante hæc legimus. *Quidam autem Epicurei, & Stoici Philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant, quid vult ſeminator verborum hic dicere? alij verò, nouorum Dæmoniorum videtur annũtiator eſſe, quia Ieſum, & reſurrectionem annuntiabat eis.* Et inferiùs. *Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum.* Veruntamen neque omnino lumen veritatis in hac parte illos latuit; in Orphicis enim carminibus hæc inue-

Stromat.5.

niri ſcripta Clemens Alexandrinus refert.

Nam quos celarat, iucunda ad lumina cunctos
Rurſus ſollicitus ſacro de corde remiſit.

Democritum Abderitam reſurrectionem cognouiſſe corporum illum illudens refert Atheos Pli-

l. 7.cap.55.

nius. *Similis & de aſſeruandis corporibus hominum, ac reuiuiſcẽdi promiſſa Democrito vanitas, qui nõ reuixit ipſe:* Chryſippus in libris de Prouidentia li-

l. De diuino præmio. c. 23.

cèt Stoicus hæc apud Lactantium. *Quod cùm ita*

ſit,

ſit, apparet non eſſe impoſſibile, & nos cùm vitam finierimus, rurſus vertiginibus certis temporis reuoluti in hunc ſtatum, in quo nunc ſumus, reſtitutum iri.

Sed neque Academici quidem hoc potuerunt ignorare, ſi modò ipſorum Magiſtro Platoni fidem adhibebãt, ille enim in Dialogo, qui inſcribitur ciuilis, ſeu de Regno, homines poſt quaſdã circulationes reuiuiſcere mortuos, ac hominibus multa dicere de iis quæ antè acta ſunt, cuius verba Gẽtibus ex ipſorum doctrina reſurrectionem probare volens aptè adducit Arnobius, atque ad alium licèt finem repetit Cæſarienſis Euſebius; ſed illa Platonis doctrina fabulas inuoluens, verùm ſolidior multo ea, quam ſub Socratis perſona argumentis aſtruit in Phædone. *Annon* (inquit) *contrarium viuere dicis eſſe, atque mori? Equidem & ex ſe inuicem fieri? ita. Ergo ex viuente quidnam fiet? Mortuum. Quid autem ex mortuo? Neceſſe eſt confiteri viuens. Igitur ex mortuis, ô Cebes, viuentia fiunt, atque viuentes. apparet. Sunt igitur apud inferos animæ noſtræ. videtur. Nónne ergo, & generationum, quæ circa hæc ſunt, altera manifeſta eſt? Mori enim manifeſtum eſt, nónne? Ita prorſus. Quidnam igitur faciemus? Non reddemus viciſſim generationẽ huic contrariam, ſed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam eſſe? An verò neceſſe eſt, reddere ei, quod mori eſt, contrariam quandam generationem? Omnino. quam verò iſtam? Reuiuiſcere. Nónne igitur, ſi reuiuiſcentia eſt progreſſio quædam hæc eſt ex mortuis ad viuentes? Eſt vtique. Conuenit ergo nobis hac inſuper ratione, viuentes ex mortuis fieri nihilominùs quàm mortuos ex viuentibus.* Quam de reſurrectione

l. 2. aduerſ. Gentes.
l. 11. de Præparat. c. 18.

Dialogo 10.

ne disputationem exemplo comprobat ipsemet Plato in libris de Republica. *Equidem tibi non Alcinoi Apologum, sed præstantissimi viri Eri Armenii genere Pamphilij, referabo. Qui cùm occubuisset in prælio sublatis decimo die cadaueribus cæteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit, domúmque delatus, vt sepeliretur duodecima iã ab obitu die, dum pyræ impositus esset, reuixit, & quæ interim viderat, retulit. Inquit ergo postquam anima fuisset à corpore separata vnà cum pluribus quendam in locum Dæmonum peruenisse: in quo terræ duos proximos vidit hiatus: duos item alios è conspectu supernè in cœli regione conspexit: inter hos vero hiatus iudices sedere, qui postquam animos iudicarunt, iustos quidem ad dexteram suprà per cœlum ascendere iubent, in aduersa ipsorum parte signa eorum, quæ iudicauerint suspendentes: Iniustos contrà ad sinistram infrà, omnium quæ fecerant in vita, post tergum signa ferẽtes. Cùm verò ad iudices ipse quoque accessisset, illos aiebat respondisse, redire eum hominibus nuncium de his, quæ illic videat, oportere: iussisséque illum audire, & intueri quæcunque eis in locis fierent diligenter.* Hæc ille, qui deinde in sexcentas prorumpit fabulas; ex illo tamen idem tradidere Valerius Maximus, Eusebius Cæsariensis, nec non Clemens Alexandrinus, qui Erum hunc Zoroastrem fuisse dicit, & ex eodem hæc refert. *Conscripsit Zoroaster Armenij filius, genere Pamphilus; in bello mortuus cùm essem apud inferos à Diis didici.* Plurima etiam eorum, qui elati reuixerunt, exempla adducit Plinius. Ælij, scilicet, Tuberonis prætorij viri, Aristæi Proconesij, Epimenidis Gnosij, cuiusdam

Val. Max. l. 1. c. 8.
Euseb. l. de Præpar. 11. c. 18.
Clem. Alex. Stromat. l. 5.
l. 7. c. 52.

Græcæ

Græcæ fœminæ, quæ poſt ſeptimum reuixit diẽ, Capuani cuiuſdam, Aquinatis alterius, Corſidij cuiuſdam, & alterius equeſtris Corſidij, nec nõ Gabieni Cæſaris Claſſiarij. Plutarchum verò Theſpium Soleum tertio die reuixiſſe narrantem ſuperiùs retuli, ex cuius quoque 1. libro de anima aliud exemplum reſurrectionis Enarchi affert Euſebius. Laërtius in Proëmio ex Theopompo octauo Philippicorum, reuicturos homines iuxta Magorum ſententiam dicit, immortaléſque futuros. Quod etiam plurimis comprobat Poëticarum fabularum exemplis Diuus Epiphanius in Ancorato: hãc tamen de reſurrectione doctrinam (pace aliorum dixerim) nullus Antiquorum conciue noſtro Seneca elegantiùs expoſuit. Sic enim ille ad Lucillum. *Quod ſi tanta cupiditas longioris æui te tenet, cogita nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox proceſſura ſunt, reconduntur, conſumi: deſinunt iſta, non pereunt, & mors, quam pertimeſcimus, ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, quæ nos in lucem reponat, dies, quam multi recuſarent, niſi oblitos reduceret.* Hæc ille. ex quibus ſatis apparet, non ignaros fuiſſe Ethnicos eorum, quæ vel mundo in ſui exitu, vel hominibus in exitu, aut poſt exitum vitæ euenire debent. Reliquum igitur iam eſt, vt vnde illi iſthæc didicerint, inquiramus; Et licèt multi velint hæc omnia è ſacris codicibus didiciſſe Gentes, nam ante Philadelphi Regis tempora verſa fuiſſe in Græcam linguam aliquot ſacra volumina his verbis apud Euſebium Cæſarienſem oſtendit Ariſtobolus in

l. 5. Epiſt. 1. ſeu 36.

l. 1. quem ad Ptolemæum Philometora conscripsit. *Apertissimum quidem est leges, & disciplinam nostram diligenter fuisse Platonem secutum, non enim latet, si quis attentiùs eum legat, perlectam ab eo, & quidem diligenter scripturam fuisse. Scimus etiam omnes ante Demetrij Phalerei tempora, imò verò ante Alexandrum, & Persarum imperium quinque Mosis libros in Græcam linguam, quanuis non commodè traductos fuisse. tota verò scriptura nostra Demetrij Phalerei opera, & Philadelphi Regis tui progenitoris iussu aptissimè translata est.* Cuius eadem ferè verba in anterioribus libris adduxerat idem Eusebius. Nihil tamen certè, quod ad mundi nouissima, aut animarum attineat examẽ, ex quinque Moysi libris potuisse Gentes mutuari, nemo non videt. Sed neque aliqui ex iis, quos suprà retuli Ethnicorum vetustissimis hæc ex Prophetis, quibus fuerunt ipsi antiquiores, vllo modo excerpsêre. Vnde singillatim vniuscuiusque doctrinã, & (quantùm vel scriptis, vel coniecturis assequi possimus) cuius hac in re sequutus sit dogma, breuiter perstringamus. Trismegistum certè, qui Prophetas (Mosem excipio) ætate præcessit, non aliunde, quàm Deo autore ea, quæ prædixit, percepisse, & Lactantius facit vt credam, qui eum sæpe in suis libris inter Propheras, ac Sybillas recenset, & ipsa vaticiniorum suorum profunditas, quæ Dæmonibus haud nota meo iudicio potuit esse. Neque est cur Ethnico homini concessum miremur vaticinandi munus, quandoquidem negatum non fuisse scimus Balaamo ariolo, & iniusto (vt inquit scriptura) aut etiam impio,

De Præparat. l. 13. c. 7.

l. 9. cap. 3. de Præparat.

Numeror. 22. Iudæ Can.

impio, & execrato, vt ait Philo, nisi mauis cum Augustino Dæmonum instinctu vera falsis mixta prædixisse Hermetem, opinari. Porrò Magos (à quibus fluxisse Gymnosophistas ex Clearcho, & ex aliorum sententia originem duxisse Iudæos Laërtius scripsit) non ex vi magicæ artis, cuius ignaros eos fuisse ex Aristotele ipsemet refert Laërtius, sed ex syderalis scientiæ peritia, qua ipsomet Aristotele teste, pollebant, futuram cognouisse resurrectionem (si modò id naturali scientia præuideri potest) non omnino absurdũ esset affirmare: quandoquidem stella duce ad honorem Deo recèns nato exhibendum Magi etiam olim ab Oriente in terram Iudæ venerunt. Seneca quidem noster Berosum cursu syderum fieri terrarum inundationem, & conflagrationẽ sensisse refert, quin & tempus vtrique assignasse. *Et adeò quidem* (inquit Seneca) *id affirmat, vt cõflagrationi, atque diluuio tempus assignet: arsura enim terrena contendit, quando omnia sydera, quæ nunc diuersos agunt cursus, in Cancrum conuenerint, sic sub eodem posita vestigio, vt recta linea exire per orbes omnium possit: inundationem futuram, cùm eadem syderum turba in Capricornum conuenerit.* Moderatus Columella in libris de re rustica. *Multos enim iam memorabiles autores comperi persuasum habere, longo æui situ qualitatem cœli, statúmque mutari, eorúmque consultissimum Astrologiæ professorem Hipparchum prodidisse, tempus fore, quo cardines mundi loco mouerentur*, &c. Vero similius tamen est Magos hæc de resurrectione ex libro Iob didicisse, qui & antiquissimus extitit, & Syriaca conscri-

1. De migrat. Abrami.
l. de Ciuit. 8. c. 2. 3. 4. 5. 6
In Principio.
Vbi suprà.
Natural. quæst. l. 3. c. 29.
lib. 1.

ptus lingua , ex qua in Hebræam à Mose fuisse conuersum alibi diximus. Pythagoram autem, siue à Magis,siue ab ipsis Iudæis mutuatum doctrinam citra controuersiam esse debet, cùm Laërtius cunctis ferè Barbaris,Græcísque mysteriis initiatum eum fuisse dicat;Numeniúsque Pythagoricus in 1. volumine de bono apud Eusebiũ hæc de illo,nec non de Platone. Plato,atque Pythagoras, quæ Brachmanes, Magi, Ægyptij , Iudæíque inuenerunt , ea ipsi Græcè exposuerunt. quod etiam alibi affirmat Eusebius. Platonem autem Sanctus Augustinus libro octauo de Ciuitate Dei cap. 11. retractans ea, quæ in 2.de doctrina Christiana dixerat , nimirum Platoné in Ægypti peregrinatione Scripturã sacrã abHieremia audiuisse , planè ipsum plurima ex suis dogmatibus sumpsisse ostendit ex sacris literis,quas vt erat acerrimi studij,per interpretẽ didicisse nõ vanè suspicatur Augustinus. Denique Platonem sacras non ignorasse literas, Iustinus Martyr , & Theodoretus asseruerunt. Democritum etiam peregrinatum octoginta annos, Babylonem,Persas , & Ægyptum disciplinarum causa petiisse, testatur ex ipso Eusebius , & sic vel à Magis, vel ex libro Iob, & Prophetarum hanc potuit didicisse doctrinam. Stoicos porrò , & Heraclitum , aliósque philosophos vel ex prædictorum assertionibus, vel, quod certius est, ex Sybillæ Erythreæ versibus , qui futurum exactissimè depingunt iudicium, ac mundi finem , quos qui legere voluerit, plures enim sunt , quàm vt hic apponi possint, inueniet vel apud Diuum Augustinum,

l. 8. in vita.

l. 9. de Præparat. c. 3.

l. 10. de Præpar. c.2.

Iust. Ad Gent.

Theod. de Cur. Græc. affect

l. 10 de Præparat. c. 2.

l. 18. c. 23.

qui

qui eos non ineleganter in libris de Ciuitate Dei Latinitati reddiros affert, vel apud Eusebium Cæsarienſem in Conſtantini Imperatoris vita, vel apud Panuinum in Opuſculo de Sybillis. Erythrea verò hæc Sybilla (licèt quinta numero inter Sybillas) antiquiſſima quidem fuit, quippe quæ iuxta Lactantium Firmianum Græcis Ilium petentibus Troiæ ruinam fuerit vaticinata, Homerúmque mendacia ſcripturum, quanuis eam Solinus paulò poſt Troiana tempora floruiſſe, Eriphilémque appellatam dicat, Euſebiúſque eam in primam vrbis Romæ ætatem ac regnum Romuli referat. De qua ſiquis plura ſcire cupiat; conſulat commentarios Ludouici Viues in libros Auguſtini de Ciuitate, Onuphrium Panuinum in Opuſculo citato, & nonnullos alios; Senecam verò, Lucanum, & Plutarchum, omnéſque eos qui poſt Chriſtum paſſum de nouiſſimis mundi egerunt, quicunque non ab Antiquis duntaxat, ſed à Chriſti aſſeclis, Apoſtolis videlicet Petro, & Paulo, aliiſque hanc fuiſſe edoctos ſcientiam affirmauerit, is vt puto neutiquam errabit: valde enim credibile eſt, in rebus hiſce, quæ ab ipſorũ vatibus, & philoſophis decantatæ priùs fuerant, ſin minùs in aliis, Chriſtianis fidem adhibere Ethnicos voluiſſe; quo magis miremur Arnobium, & alios Chriſtianos philoſophos, noxiorum animas inferorum igne tempore procedente conſumptum iri exiſtimantes.

lib. 4.

lib. 1.

Polyhiſt. c. 7.

dicto l. 4.

dicto l. 18. c. 23.

l. 2. aduerſus Gentes.

Aquas in Cœlo nullas esse, declarati aliquot Scripturæ sacræ loci, nec non & Sanctorum Patrum.

CAP. V.

COmplures ex sacræ Scripturæ interpretibus, ac Christianis Philosophis in ea fuerunt sententia, vt posuisse Deum aquas supra cœlum in ipso nascentis mundi exordio, (liceat Vergilianè loqui) & existimauerint, & scriptis testatum reliquerint. Huic opinationi ansam præbuisse visum illud Geneseos 1. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum, & factum est ita: vocauitque Deus firmamentum cœlum.* quod etiam planè confirmatur illis Regij vatis verbis; *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Et illis. *Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Nec non illo Danielis. *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino.* Huic sententiæ Sanctorum Patrum subscripsêre grauissimi Iustinus Martyr, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Beda, Gennadius, & Seuerianus citati à Lipomano, ac nonnulli alij, in ea etiã visus est fuisse Iosephus. *Post hæc* (inquit) *secunda die cœlum super omnia collocauit,*

Psal. 103.
Pf. 148.
cap. 3.
Iust. ad 93. quæst. Orthodox. ad Gentes.
Basil. Homil. 3. Hexam.
Ambros. l. 2. Hexam. c. 3.
August. de Ciuit. l. 11. cap. vlt. & de Genesi ad literã. l. 2. c. 14. & in l. 65. quæst. q. 26.
Theod. q. 11. sup. Genes.
Beda in Genesim.
Lipom. in Catena in Genes.
Ioseph. Iudaic. l. 1. c. 1.

uit, illúdque ab aliis distinguens in semetipso constitutum esse præcepit, & ei crystallum circumfigens, humidum eum, & pluuialem ad utilitatem, quæ fit ex imbribus terræ, congruè fabricatus est. Ex prophanis Antiquis (si philosophorum commentis aures præbeamus) in hac necessariò fuerunt sententia Democritus, Anaxagoras, Xenophanes, qui licèt de materia cœli inter se non conueniãt, in hoc tamen (testibus Plutarcho, & Laërtio) quòd Lunæ orbem planicies, montes, valles, vrbes, oppida, & consequenter fontes, ac flumina in se continentem ponant, rectè conueniunt. Ex recentioribus verò huius fuêre opinionis Viues, Oleaster, Cassaneus, videtur & fuisse Titelmanus, licèt addubitet, quæ, aut cuius naturæ istæ sint aquæ. Causas verò, ob quas Deus (si in Dei operibus causam licet perscrutari) supra cœlos aquas posuerit, has reddunt huius opinionis assertores: nimirum vt earum pondere cœlum vrgeatur, ac prematur deorsum, ne crebro, ac violento ventorum impulsu concussum huc, illuc agitetur: sed præcipuè ad immensum tot tãtorúmque syderum ardorem sua refrigeratione, ne illo omnia penitus consumantur, mitigandũ, atque temperandum, quæ quidem ratio ab omnibus huius opinionis sectatoribus magni habetur, ac suo iudicio hymno, quem frequenter canit Ecclesia, rectè confirmatur. is sic.

Plutarch. de Placitis, Laërtius in vitis.

Viues in cõment. in Aug. Oleaster in Genesim. Cassan. in Catalog. glor. p. 12. Titelm. de Cœlo & mũdo. c. 13.

Immense cœli conditor, Firmans locum cœlestibus,
Qui mista ne confunderẽt, Simúlque terræ rivulis,
Aquæ fluenta diuidens, Vt vnda flammas tẽperet,
Cœlum dedisti limitem. Terræ solum ne dissipet

Sed licèt tot, ac tantorum virorum authoritate, (nam de Scripturæ sacræ testimoniis inferiùs) fulcita videatur hæc opinio, nos qui sacræ nomẽ dedimus Philosophiæ, non possumus non veritatem, cuius ipsa est indagatrix, exquirere: ad voluntatẽ enim Dei, & miracula cõfugere Anaxagoricum est, quod fieri non debere Diuus asseruit Augustinus de Genesi ad literam cap. 1. his verbis. *Nec quisquam istos debet ita refellere, vt dicat secundùm omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt, oportere nos credere aquas etiam tã graues, quàm nouimus, atque sentimus, cœlesti corpori, in quo sunt sydera, superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundùm scripturas eius nos conuenit quærere, non quid in eis vel ex eis ad miraculum suæ potentiæ velit operari.* Philosophicis igitur freti, ac validissimis rationibus, nec non sanctorum Patrum testimoniis veras, & naturales aquas nullo modo esse supra cœlum affirmamus. Primò, quia cùm sit aqua corpus crassius aëre, esset contra naturalem rerum ordinem non modò supra ipsum, sed supra octauum cœlum, quod firmamenti nomine significari aiunt (quàm propriè dicetur infrà) positas esse aquas; Quòd si contra suam, vt experientia patet, ibi locatæ essent naturam, eas vt violenter detentas, exiguo, aut nullo temporis interuallo illo in loco duraturas fuisse dicamus necesse est: neque Deum naturæ auctorem tanto tempore eas ibi contra naturam detinuisse verisimile est, cùm præcipuè nullus earum futurus sit vnquam vsus; posito enim neque concesso, aquarum, quas iuxta hãc

sententiam

ſententiam ſupra cœlos poſuit Deus, eruptione, & in terram deſcenſu Noëticam mundi inundationem factam, ſimilem in poſterum non futuram ex pollicitatione Dei Noë facta (vt ex Geneſ.9.conſtat) certò ſcimus. Rationes verò, & cauſas ſuperiùs adductas huiuſmodi aquarum ſupra cœlos collocationis, exiguam habere vim, ac proinde parum vrgere (quod tantorum virorum pace dixerim) quis non videt? Quod enim attinet ad primam, vt ſcilicet cœlum vrgeatur deorſum, ne ventorum impulſu huc, illuc ferretur; Vnde quæſo oriri poſſet ventus ille, aut quis ita aërem commouere, vt cœlum huc, illuc illius flatibus, & impulſu agitaretur? Ventus certè ex Ariſtotele in libro de Mundo, *Nihil aliud eſt niſi aër multus fluctuans, & coactus*; vel vt ipſe alibi definit, *vel aëris, vel redundantis humoris commotio.* Quomodo ergo cùm ſit naturale agens, & intra ſuæ actiuitatis ſphæram agere debeat, relicta cõtra naturam propria, ac penetrata ignis elementaris regione in cœlos agere poſſet? ſed eſto, valeat agere: quî cœlum huc, illuc tunc agitaretur? vel enim tali agitatione comprimeretur; vel ſurſum, deorſum, aut ad latus ferretur. Si comprimi concedatur, & terræ magis propinquum fieri valere iuſſa cõnaturali ſibi circulari figura, & comprimi etiam elementa, & quod peius eſt, dari vacuum, qua parte cœlum receſſit naturalis agentis vi, concedendum. Si ſurſum, aut deorſum ferri, aut ad latus dicatur, tunc vel dari alium locum extra cœlũ, in quo ipſum moueatur, vel in vacuo, vel ſpatio imaginario moueri, nec nõ dari vacuũ

Problemat. ſect.26.problem.35.

qua parte receſſit, proculdubio dicendum;aliena prorſus omnia à natura & ratione,ſed quæ neceſſariò ex tali emanãt doctrina. Secũ da verò ratio, quæ potiſſima eſt in ſententia aquas in cœlo collocãtium, ad refrigerandũ nimirum, ac moderãdum ſyderum ardorem,non maiorem habere videtur vim. Sydera enim (ſi abſurdis Heracliti, Leucippi,Anaxagoræ, Pythagoræ, Stoicorum,ac Platonis ſententiis vlla adhibenda eſt fides)ignea & calida erunt; ſi verò Ariſtoteli , vt par eſt,credendum,ex ipſo Metеorologicorum 1.cap.4.neque ignea in ſe , neque calida erunt , ſicut neque alterius ex primis qualitatibus (ſi enim illas ſuſciperent , & grauia, & corruptibilia etiam eſſent contra experientiam , & veritatem.) Si ergo neque calida ſunt,neque ignea, aquarum refrigeratione non indigebunt: quemadmodum , ſi cum Antiquis diceremus , minùs verè iuxta Ariſtotelem, frigida ſua natura eſſe ſydera.Cæterùm calida ſint , & ignea ſydera.At quanto ſatius fuiſſet, tantum duntaxat , neque maiorem calorem tribuere vnicuique ſyderi,quantum vniuerſi poſtularet conſeruatio, quàm immoderatum ipſis largiri calorem , ad quem temperandum adeò violento aquarum remedio opus deinceps foret? Deinde quia , ſi aqua illa refrigerando ardorem minuit ſyderum,id fieri ſine alteratione non poſſet,remiſſio enim vnius contrarij, non niſi ex alterius admixtione pendet , ſecundùm Philoſophum : quamobrem perpetuò ſydera alterarentur,& quodammodo corrumperentur,& certè in illis aliqua notabilis variatio eueniſſet , quæ ra-

Problemat. ſect.25.problem.21.

men

men adhuc ab orbe condito visa non fuit. Amplius cùm syderum vis, & potestas calefaciendi ex ipsorum luce emanet, vt hæc remitteretur vis, minui etiam pariter vim & copiam lucis necesse esset. quam tamen omni æuo eandem, & inuariabilem permansisse fatentur omnes. Denique quia inter contraria mutua est pugna, actio nimirum, & reactio: aquæ igitur illæ moderatrices caloris syderum, eorum vicissim adore calescerent, saltem in superficie, quod in marinis experimur; tunc ergo vel minuerentur, ac tandem interirent, illarúmque interitus irritum Dei propositum redderet, conseruandi videlicet aquas ibi vel ad refrigerationem, vel ad aliquid aliud, & locum aquæ corruptæ relinqueret vacuum; aut aliquid recèns creatum in eius locum suffici deberet: aut ad syderum incrementum earum proficeret interitus, & insignis aliqua syderibus fieret accessio: vel certè semel calefactæ illæ vix, aut ne vix quidem, cùm tantopere distent per ipsos, Solis ardorem in hæc inferiora agentem possent mitigare. Alij aquas illas collocatas ibi fuisse dicunt ad reprimendum ardorem ignis elementaris orbi Lunæ subiecti, qui cùm sit mole ampliſſimus, potentiáque efficaciſſimus, ni esset ita repressus, omnia calore suo conficeret, atque consumeret. Verùm & ratio hæc nullius est momenti, nam neque ille ignis, cùm sit in materia tenuissima, magnam habet calefaciendi vim, & ei, quantacunque ipsa sit, reprimendæ tum media regio aëris frigidissima, tum immensa terrestriũ aquarum copia abundè sufficit. Neque etiam illa posset

cœlestis

cœlestis aqua ad elementum ignis frigus suum transmittere,cùm enim per ipsos,supra octauum sit cœlum impedita, certè esset octo cœlestium orbium interpositu,qui cùm sint incorruptibiles, frigoris capaces minimè sunt , neque alterius ex primis qualitatibus , vt iam diximus , quæ vllam corrumpendi vim habeant.Hæ sunt,quæ nos mouent philosophicæ rationes, vt nullas in cœlo asseramus aquas , aliter namque si dicamus , quàm plura quæ demonstrata sunt, rationi, sensibus, ac doctorum hominum obseruationibus contraria inde sequantur,necesse est. Neque est cur Lusitanus Oleaster,aliíque eruditi recentiores tantopere inuehantur in eos , qui philosophicis ducti rationibus scripturæ sacræ fidem abrogantes aquas in cœlo negent esse : absit enim à nobis Catholicæ , ac veracis Romanæ Fidei Ecclesiæ sectatoribus tale facinus,nauci enim facimus vel philosophiam totam præ vnico sacræ paginæ iota;At verò ne aquas in cœlo concedamus,& suadet ratio, & scripturæ nequaquam dissuadet autoritas. Illud namque Genesis 1. intelligendum ita est , vt nomine firmamenti , spatium illud intelligatur, quod est expansum inter cœlũ,& terram, inquãtũ scilicet oculis vsquequaque videri potest;quod multis probatur,Hebræum enim R A K I A K, significat(vt Hebraicè periti dicunt)expansionem, atque ita vbi nostra habet vulgata;*Fiat firmamentum in medio aquarum*,Varablica vertit , *Fiat expansio in medio aquarum , & diuidat inter aquas , & aquas,& fecit Deus expansionem istam,& diuisit inter aquas sub expãsione,& inter aquas supra expansionẽ,*

& fie

& fiebat ita; appellauitq; Deus expanſionem cœlum. &c. Sed melius confirmat hoc Diuus Hieronymus. *Inter cœlum* (inquit) *& terram medium extruitur firmamentum, & iuxta Hebraici ſermonis etymologiam cœlum, id eſt, Samaim, ex aquis ſortitur vocabulum.* Magnus Baſilius. *Scripturæ verò familiare eſt robuſtum, & non remittens firmamentum dicere, vt etiam de aëre condenſato ſæpe voce hac vſa ſit, veluti cum dicit, qui firmat tonitru.* &c. Sanctus Auguſtinus. *Et quoniam cœlum firmamentum vocauit, non abſurdè intelligitur quicquid infra æthereum cœlum eſt, in quo pacata, atque firmata ſunt, mutabilius eſſe, & diſſolubilius,* &c. Hanc etiam ſentẽtiam valde probabilem exiſtimant Sanctus Thomas, Durandus, Rupertus Abbas, Caietanus, & ſcholaſtici ferè omnes. Nomine item cœli ſæpe vocari in Scriptura aërem voce Hebræa, *Samaim*, id eſt, ibi aquæ ex Diuo Hieronymo vbi ſuprà, & aliis, de quibus inferiùs, ſatis conſtat; hoc enim optimè conuenit aëri, qui propter maximas pluuias videtur eſſe receptaculum omnium aquarum; dicit ergo Scriptura, Firmamentum eſſe interpoſitum inter aquas ſuperiores, & inferiores, quia ſecundùm hanc partem inferiorem aëris habet aquas infrà, & ſuprà, ſuprà quidem vnde deſcendunt pluuiæ, infrà verò vbi exiſtunt maria, fontes, & flumina. Quo etiam ſenſu intelligi debet Scriptura in omnibus citatis locis, cùm dicit aquas eſſe ſupra cœlum. Neque mirum eſſe debet nomine plurali vocari illis in locis cœlum, quia ſecundùm phraſim Hebrææ linguæ nomen cœli ſingulari caret, & ita in plurali dicitur, vt

Epiſt. 83. ad Oceanum.

De Geneſ. ad liter. imperf.

S. Thom. 1. p. q. 68. Durand. in 2. diſt. 24. Rupert. 1. de Trinit. c. 22. Caiet. in verba ſup. dicta Geneſ.

Syracuſæ,

Syracusæ, Venetiæ, Athenæ, Burgi, Gades, & alia huiusmodi; ita Pererius, qui de hoc nostræ propugnator sententiæ latè disputat in locum Geneſis dictum, quod sumptum videtur ex sancto Damasceno, ita enim ille. *Consuetudo autem & in voce Hebraica, cœlum, pluratiuè vocare, cœlos.* quod etiam D. Augustini authoritate potest corrobo-

Orthodoxę fidei l. 2. c. 6. l. 2 o. c. 18.

rari, ita enim ille in libris de Ciuitate super illa Diui Petri verba, *quia cœli erant olim, & terra de aqua*, &c. *Nam & illo tempore periisse dixit, qui tunc erat, mundum: nec solùm orbem terræ, verùm etiam cœlos, quos vtique istos aëreos intelligimus, quorum locum, ac spatium tunc aqua crescendo superauerat; ergo totus, aut pene totus aër iste ventosus, quod cœlum, vel potiùs cœlos vocat: sed istos vtique imos, non illos supremos, vbi Sol, & Luna, & sydera constituta sunt, conuersus fuerat in humidam qualitatem.* Eleganter etiam hac de re Vatablus, seu quisquis autor est annotationum in illam versionem in prædictum Geneſis locum. *Vox Hebræa Rakiák, significat extensionem, & expansionem, vt Psalmo* 103. *extendens cœlum sicut pellem, quidam diffusionem significare dicunt, atque ita vertunt, sit diffusum quoddam corpus inter aquas supernas, & infernas, nam de aëre intelligunt. sunt autem duplices aquæ, aliæ marinæ, & fluuiatiles, aliæ sunt in media regione aëris, quæ sunt nubes, quas dicit diuidi ab istis inferioribus per aërem, conuertit enim Deus aquas illas, quæ circundabant terram, in corpus illud extensum, quod est inter cœlum & terram, id est vertit in aërem. Hic cœlum accipitur pro eo corpore, quod est inter terram, & cœlum, nempe pro aëre, & æthere; vt in Psalmo* 8. *& volucres cœli, id est aëris.*

aëris. Adhuc ille. quam etiam ſententiam referunt, nec improbant Conimbricenſes in primi de Cœlo caput 2. quæſtione 5. articulo 3. in fine. Frequẽter autem vocari aërem nomine cœli tam in ſacris, quàm in prophanis literis ſatis conſtat, & in ſcriptura quidem ſacra paſſim, in Geneſi legitur. *Volucres cœli, volatilia cœli, apertæ ſunt, clauſæ ſunt cataractæ cœli*, & in libro etiam Pſalmorum; *volucres cœli*: denique in libris tam veteris, quàm noui teſtamenti, adeò vt ſuperuacaneum ſit tot hic loca afferre. In prophanis verò autoribus idem ſæpe ſignificare cœlum multis probatur. Lucretius.

—in hoc
Cœlo qui dicitur aër. lib. 4.

Vergilius. *—& varium cœli prædicere morem.* Georgic. 1.
vbi Seruius, cœli, id eſt aëris. Idem.
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri. Ibidem.
& in diuino opere.
Dædalus, vt fama eſt, fugiens Minoia regna, lib. 6.
Prætibus pennis auſus ſe credere cœlo.
Naſo de eodem Dædalo.
Reſtat iter cœli, cœlo tentabimus ire. 2. de Arte.
Et inferiùs.
Territus à ſummo deſpexit in æquora cœlo.
& alibi de eodemmet Dædalo.
—Terras licèt, inquit, & vndas Metam. 8.
Obſtruat, at cœlum certè patet, ibimus illac.
&, *—cœli quoque nubila vexat.* Metam. 1.
& de elementorum locatione agens in Faſtis.
At cœlum leuitas in loca ſumma tulit. lib 4.
& plurimis aliis in locis. Plinius etiã. *Et hoc cœlum* lib. 2.
(inquit)

(inquit) *appellauêre maiores, quod alio nomine aëra, hinc grãdines sunt, & pruinæ, imbres, procellæ, turbines ventorum.* Ex quibus omnibus, sed ex sacris præcipuè literis SS. Patres id apertè docuêrunt. Hieronymus in caput 2. epistolæ ad Ephesios, & in caput sextum eiusdem epistolæ explicans illa Diui Pauli verba; *Aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* quo in loco aliud quàm aërem, cœli nomine intelligere contra nostram esset fidem. Basilius quantunuis contrariæ videatur sententiæ autor.

Hexamer. Homil. 3. *Obseruauimus autem in multis locis eum, quem vidimus locum, cœlum dici propter densitatem, cohærentiámque ac continuitatem aëris manifestè oculis nostris subiacentis, ab eo quòd conspicitur, apud Græcos, Vrani appellationem habentis, velut quum ait; Volatilia cœli. Et rursus; Volantia iuxta firmamentum cœli. tale est etiam; Ascendunt vsque ad cœlos. & Moyses benedicens tribum Ioseph à terminis cœli, & roris, & à solstitiis, & coitibus Lunæ, & à vertice montium, ac collium perpetuorum, tanquam locus circa terram per moderationèm in his fertilis reddatur. Sed & in execrationibus Israël; Erit tibi, ait, super caput cælum æreũ. quidnam hoc dicens? perfectam siccitatem, & defectum aquarum aëriarum, per quas fœcunditas fructuum in terra exitit. cùm igitur ex cœlo ferri dicit rorem, aut pluuiam, de aquis accipimus, quas supernam regionem obtinere ordinatum est.* Latè hoc demonstrat sanctus Augustinus in libris de Genesi ad literam & aliis. Diuus quoque Damascenus.

Orthodox. Fid. lib 2. c. 6. *Cõsuetudo etiam diuinæ scripturæ est aërem cœlum vocare ab eo quod est sursum videri.* Visus est & hoc sentire sanctus Gregorius, dum ita ait Homilia 29. *Sed aliud est*

cœlum

cœlum æthereum, aliud aëreum, cœlum quippe aëreum terræ est proximum, vnde & aues cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus, in cœlum itaque aëreum Elias subleuatus est. quam etiam sequutus sententiam Beda in Genesim. Qui certè loquendi modus non Hebræis, Græcis, & Latinis olim, sed hodie Italis, ac nobis valde est familiaris. Quibus quidem me feciſſe satis scripturæ sacræ autoritatibus existimo. Restat non minor difficultas de sanctis Patribus contrarium sentientibus. Vnum hoc constat, licèt contrarium sentiamus, non esse errorem, cùm disputatio de re naturali sit; Præterea quia pro nobis stant scholastici Theologi qui magis ex professo hac de re sunt loquuti. Sancti enim Patres saltem plerique ex citatis dogmate imbuti Platonico in eas iuêre sententias, neque admodum curarunt hac de re exactè disputare, in qua nimirum Christianæ fidei derogabatur nihil. Secundò etiam constat nos habere alios SS. Patres pro nobis, Hieronymum videlicet, & alios, quos suprà citauimus, imò & ipsum Augustinũ, præsertim illo 2. libro de Genesi ad literam, vbi recẽsita ad verbum hac nostra opinione demum concludit. *Hanc ergo diligentiam, considerationemq; laude dignissimam iudico, quod enim dixit neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.* Quin & in libro de Genesi ad literam imperfecto contrariam videtur improbare sententiam, aut saltem de illa dubitare. *Fuerunt* (ait ille) *qui crederent has visibiles aquas, & frigidas superficiem cœli superamplecti, & documentum habere conati sunt de tarditate stellæ vnius de septem vagantibus, quæ su-*

perior cæteris, & à Græcis φαέθων *dicitur, & triginta annis peragit signiferum circulum, vt ob hoc tarda sit, quia est frigidis aquis vicinior, quæ supra cœlum sunt; quæ opinio nescio quomodo possit apud eos defendi, qui subtilissimè ista quæsierunt.* Habere nos etiam certum est sanctum Epiphanium in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, ait enim, aquas quæ supra cœlos sunt, esse illas, quarum defluxu apertis cœli cataractis factum est Noëticum diluuium. Constat autem illas fuisse ex aëre, non autem ex cœlo supra stellas, ni fateri velimus totum illud cœlum tunc fuisse perforatum, & vel datum esse vacuum in ea parte, vnde illæ recesserunt aquæ; vel Deum ibi loco earum aliquid aliud ad pauxillum temporis creasse de nouo, & peracto diluuio iterum illas ignis penetrata regione, & cœlis iterum perforatis contra naturam in sublime ascendisse. In prædicto etiam sensu intelligendus est hymnus Ecclesiæ citatus, vt scilicet voluerit Deus aquas esse supra cœlum, id est supra aërem ad temperandum syderum ardorem, non quem ipsa in se habeant, sed quem efficiunt lumine suo in inferioribus, nisi enim terra niue, grandine, pruina, & statis pluuiis irrigaretur, proculdubio ardore syderum, præsertim solis nimis exsiccata sterilescerer. Vltimò, quia omnes ferè illi sancti Patres exponi possunt aliquo modo. Nam Beda solùm videtur dicere, posse dici, vt extra cœlum stellarum sint aquæ, nihil tamé determinat. ita & sanctus Augustinus; reliqui ita videri dicere scripturam affirmant duntaxat. Pari quoque modo exponi potest Iosephus, quando-

quidem

quidem humidum, & pluuiale cœlum dixit, non enim ita analphabetos ille, vt è nubibus, non verò è cœlo pluuias descendere ignoraret; atque ita nostra remanet confirmata, vt contraria refutata sententia, quæ nobis aliquid negotij potuit facessere: expositio nanque illorum, qui per aquas superiores, & inferiores firmamento, Angelos bonos, & malos intelligunt, vt sensisse dictus est Origenes, satis est per se ipsam improbata, atque ita velut inanis ab Epiphanio primùm in epistola prædicta ad Ioannem Hierosolymitanum, ac deinde à Basilio homilia tertia in Genesim deridetur: sicut nec approbanda eorum sententia (magnorum licèt virorum, Bonauenturæ, Ægidij, Lyrani. Tostati, Titelmani, Caietani, & Catharini, nec non Genebrardi damnantis eos, qui philosophicis ducti rationibus cœli nomine aërem, aquarum verò nubes intelligunt) qui quidem nomine aquæ supra cœlos positæ intelligi affirmant in scriptura nonum cœlum ab ipsis dictum Crystallinum, siue aqueum, eo quòd diaphanum, & pellucidum cùm sit, magnam cum aqua similitudinem habeat, nec non in frigiditate. Quam etiam interpretationem pariter irridet Basilius ibidem his verbis. *Nec verò quonia iuxta communem & receptam opinionem ex aqua generationem habuisse videtur, aut aquæ congelatæ simile esse putãdum est, aut tali cuidam materiæ ex humoris percollatione principium accipienti, qualis est crystalli lapidis, quem per excellentem aquæ congelationem transmutari aiunt, aut specularij lapidis natura in metallis concrescens. est autem lapis pellucidus peculiarem, eámn-*

que purissimam transparentiam adeptus, qui si iuxta suam naturam sincerus, & absolutus fuerit repertus, neque putredine aliqua excesus, neque segmenta, ac strias in altum productas habens, ferè aëri luciditate similis existit. Nulli igitur horum firmamentum assimilamus, puerilis enim reuera, & simplicis intelligentiæ est, tales de cœlestibus habere opiniones. & multis quidem talis conuincitur sententia; & quia vim faciunt multi illius assertores Moysis verbis cùm in Genesis 1. aquarum nomine primò intelligant materiam primam, secundò nonum cœlum, tertiò veras, & naturales aquas intra decem, aut duodecim duntaxat lineas; & quia tempore Moysis nonum cœlum nondum erat manifestum, aut certè fuisse non constat, longo enim pòst tempore, Hyparchi videlicet, vel Ptolemæi fuit deprehensum. Deinde quia, si nonum cœlum ob perspicuitatem, & frigus crystallinum appellatur, iure etiam & hoc nomine appellandus erit Saturni orbis, quippe qui totus præter Saturni astrum sit pellucidus, cùm præsertim ipsum Saturni sydus frigidissimum quo ad operationes secundùm Astrologos, quod & testantur Poëtæ. Vergilius.

Frigida Saturni quo sese stella recepiet.

Georgic. l. 1. lib. 1. Ponranus de stellis, agens de Saturno.

Vltima sorte senex loca possidet, vltimus auras
Ambit, & æterno contristat frigore terras.

Laurentius Bonincontrus.

Saturno faciente gelu.

De rebus cœlestib. l. 3. Neque est quòd dicas cum quibusdã apud Diuũ Augustinum locis citatis de Genesi imperfecto, & ad literam, tale frigus, & consequenter motus tardita

tarditatem prouenire Saturno ex aquarum vicinia; Respõderi enim primò potest, id esse in quæstione, ac nos negare vicinas illi esse aquas. Deinde respondetur, motus tarditatem non illi à frigore prouenire, sed à maxima sui orbis mole; quo enim superiores orbes, eo sunt maiores, ac tardioris motus, excepto primo mobili, vt experimento docent Mathematici. Frigus verò ob magnam à sole distantiam inter reliqua errantia illi inesse affirmant multi, quod & videtur asserere idem Bonincontrus.

Vbi suprà.

Et meritò est illi sedes à sole remota,
Lumine quòd careat puro, Phœbique calore.

Vltimò hæc videtur reiicienda sententia, quia quomodo illi deprehendere potuerunt cœlum nonum esse crystallo simile, diaphanum, & frigidum, aut ex quibus operationibus? & cùm aliud sit cœlum nono superius (empyreum semper excipio) quod & sit primum mobile, & diaphanum, & instellatum, vt astrologi probant, qua de causa ex duobus cœlis diaphanis & instellatis vnum potiùs, quàm alterum crystallinum, & aquis simile ipsi dicunt? & de hoc, neque de alio scripturam loqui? omnes itaque sententiæ præter nostram, si rationi, ac sensibus obtemperare velimus, improbandæ meritò erunt.

An priùs æs in vsu fuerit, quàm ferrum, & an Heroum arma ænea fuerint, de vtriusque metalli inuentione, ac de Hierosolymitani Salomonici templi structura nonnulla.

CAPVT VI.

AEris inuentionem, ac vsum inuentione ferri, atque vsu fuisse priorem tradidêre recentiores quidam, nec sine grauissimorum autoritate scriptorum, nec sine exemplo, cùm Heroum arma ænea fuisse, & non ferrea, aratráque & alia huiusmodi ænea etiam antiquitùs fuisse probentur, ita Cœlius Rodiginus, ita Nicolaus Leonicenus, & alij. Et quidem vetustissimus Hesiodus hæc de ære, cuius verba Græcè apponere libuit, vt vocum Χαλκὸς, & Σίδηρος differentia innotescat.

l. Antiq. lect. 19 c. 10.

l. 1. Variæ histor. c. 51.

In l. Opera, & dies.

Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο, μέλας δ' οὔπω ἔσκε σίδηρος.

id est,

Ære verò operabantur, nigrum autem nondum erat ferrum.

Lucretius.

lib. 5.

Arma antiqua manus, vngues dentesq; fuerunt,
Et lapides, & item syluarum fragmina rami.

Et

Et flãmæ, atque ignes, poſtquã ſunt cognita primùm.
Poſteriùs ferri vis eſt æriſque reperta:
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus vſus:

Ouidius idem viſus eſt ſentire.

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato, Faſtor. 4.
Mutauit glandes vtiliore cibo.
Illa iugo tauros collum præbere coëgit:
Tunc primùm ſoles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio, Chalybis iam maſſa placebat.
Heu, heu perpetuò debuit illa tegi.

Cæterùm ænea fuiſſe Heroum arma multis probatur veterum teſtimoniis. Heſiodi in ſcuto Herculis, Homeri vtroque in opere. Vergilij plurimis in locis, vbi æreum enſem, æream galeam, æratam ſecurim, ære cauo clypeum, ſcutum æreum, æratas peltas, loricam ex ære, æratas acies, florentes ære cateruas dixit. Naſo Achillis clypeum ex ære, & bouino confectum corio affirmauit. Æneid 7. l. 5. & 10. l. 10. l. 3. l. 10. l. 7. l. 8. l. 7. & 9. l. 7. 8. & 11.

Dixit, & hæſurum clypei curuamine telum Metam. 12.
Miſit in Æacidem, quod & æs, & proxima rupit
Terga nouena boum, decimo tamen orbe moratũ eſt.

Sed & Heroum ad Thebas pugnantium, antiquiorum nempe arma pariter ænea fuiſſe teſtatur non vno in loco Papinius.

Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis. l. Theb. 2.
Hi teretes galeas magnorúmque ærea ſcuta l. Theb. 3.
Thoracum.
Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem lib. 4.
Arduus Hippomedon, capiti tremit ærea caſſis. Ibidem.
Quattuor indomitis Capaneus erepta iuuencis
Terga ſuperq; rigens iniectu molis ahenæ

Versat onus.
Temporibus nuda æra sedent.

lib. 9. ——*Clypeumq; per ærea terga*
Lorica.

De Theseo etiam.

lib. 12. *Ærea puluerea penitus sub casside ducens.*

In Laconicis. Ærea denique & non ferrea Heroas omnes gestasse arma affirmat his verbis Pausanias. *Sed & Heroum arma omnia pariter fuisse ænea Homeri carmina testantur, quæ Pisandri securim describunt, & Merionis sagittam. Quin etiam hanc opinionem confirmat Achillis hasta Phaselide in Mineruæ templo suspensa: & apud Nicomedenses in Æsculapij æde Memnonis machæra, in qua cuspis, & manubrij circulus, & ipsa machæra tota est ex ære facta. & hæc quidem scimus ita sese habere.* Hæc ille. Sed & aratra, & falces, & alia rusticana instrumenta ærea pariter atque arma fuisse priscis temporibus, vetustissimus poëta asseruit Lucretius.

lib. 5. *Ære solum terræ tractabant, æréque belli*
Miscebant fluctus, & volnera vasta ferebant.

Et paulò inferiùs.

Orige. l. 16. c. 19. *Versáque in opprobrium species est falcis abenæ.*

Hunc (vt videtur) secutus Isidorus noster, ita de ære. *Apud antiquos autem priùs æris, quàm ferri cognitus vsus: ære quippe priùs scindebant terram, ære certamina belli gerebant.* Illud adde, vetustos noui orbis accolas (quorum aliqui indigenas sese esse, licèt falsò, affirmabant, quanuis eorum origo & ipsis, & nobis pariter sit ignota post Noëticam terrarum inundationem) aureis, argenteis, ligneis, lapideis, æreis denique semper

vsos

vſos fuiſſe armis, vt & ſcriptorum teſtimonio, & experimento certò ſcimus; cùm tamen ferri venas illis in regionibus reperiri affirment nõ ſpernendæ autoritatis viri & ſcriptores, & quidem in Inſula Hiſpaniola Gonſaluus Fernandus de Ouiedo ſe refert audiuiſſe, Ferdinandus Corteſius in noua Hiſpania, in Prouincia Tacho dicta ex alieno teſtimonio, quod & quidam eius familiaris aſſeruit. In Peruanis verò regionibus etiam reperiri tenet Frater Gregorius Garcia, retulitque mihi nobilis admodum, ac bonarum literarum ſtudio deditus vir Garcias Laſſus Inca, vocaríque ab incolis communiori, ſeu Regia Peruanorum lingua, *Quella*; Quod quidem recentioris in orbe vſus ferri, quàm æris non leue videtur argumentum. Contrarium tamen huius ſententiæ tenent multi, poſteriorem ſcilicet tẽpore æris vſum, aut ſaltem non priorem vſu ferri extitiſſe aſſeuerantes, quod validis etiam ſcriptorum probant autoritatibus, nec non rationibus: quanuis enim aliqui affirmarint autores nõdum fuiſſe ferrum inuentum, quo tempore æs erat in vſu; Argumentum certè, quo præcipuè iſthæc fulcitur opinio, nimirum ærea fuiſſe olim, & non ferrea Heroum omnium arma, nullius eſſe momenti vel ex eo conuincitur, quòd in eorundem ſententia ferrea quoque arma geſtaſſe Heroas ex ipſorum liquet verbis. Heſiodus Herculis enumerans arma.

Ouied. Hiſt. Iud. l. 6. c. 8.

Corteſ. in 4. relat.

Famil. Corteſ. in quadã relat.

Del Origẽ de los Indios. l. 4. c. 6.

Θήκατο δ᾽ ἀμφ᾽ ὤμοισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα σάκος. id eſt,

In Scuto Herculis.

Poſuit autem circa humeros nocumenti propulſorem

rem

rem ferrum.

Homerus.

Iliad. 7. *Inter hos autem Ereuthalion primarius stabat diuinus vir,*
Arma gestans humeris Areithoi regis,
Nobilis Areithoi, quem cognomento clauigerum
Viri appellabant, pulchréque cincta mulieres:
Quoniam non arcubus pugnabat, hastáque longa,
Sed σιδήρειῃ κορύνῃ. i. *clava ferrea perrumpebat agmina.*
Hunc Lycurgus interfecit dolo, non vi vtique
Angusta in via, vbi clava non ei mortem
Arcebat σιδήρειη. i. *ferrea*, &c.

Adde quòd Hesiodi ac Homeri interpretes, vbi illi χάλκεος, aut χαλκὸς, & his simile habent, sæpe ferreus, aut ferrum vertunt: χαλκὸς enim non æs duntaxat, sed ferrum etiam significat; testibus Eustathio Homeri Scholiaste, nec non & Polluce; quod quidem validè confirmatur Ioannis Grammatici sententia (si modò ea viris doctis probetur) asserit enim hic autor à Chalybú gente illud deductum nomen, ita vt dicatur χαλκὸς, quasi χάλυβος: apud Chalybas enim primò inuentum traditur ferrum: ij verò Chalybes Scythiæ populi Straboni: ni mauis cum Iustino Hispaniæ populos esse in Gallecia Prouincia ferri copia; & remperatura præstantes. Iure ergo addubitat Plinius an Achillis hastæ cuspis ærea, an verò ferrea fuerit, ait enim; *Sic Telephum proditur sanasse Achilles, siue id ærea, siue ferrea cuspide fecit.* Vergilius certè Heroum etiam arma ferrea, non ærea duntaxat fecit, nam & iaculis

Eust. in librum Iliad. α. seu primum.

In Cõmentar. in Hesiodum.

1. Geograph. 12.

lib. 44.

l. 34. c. 15.

iaculis ferro instructis Æneam armat,

Bina manu lato crispans hastilia ferro. Æneid. 1.

Æneæ hastæ ferrum tribuit.

Incubuit, voluitque manu conuellere ferrum. lib. 12.

Quin & hastæ Turni.

Hic Turnus ferro præfixum robur acuto. lib. 10.

Æneæ clypeo ferrum etiam tribuit.

—Sæuit medio in certamine Mauors lib. 8.
Cælatus ferro.

nisi ex variis compactus metallis erat, quemadmodum in superioribus ostendisse videtur, & quale tribuit Pallanti;

Dixerat: ac clypeum tot ferri terga, tot æris. lib. 10.

quin & gladiũ Æneæ ferreum fecit, synecdoche vsus.

Hoc dicens, ferrum aduerso sub pectore condit. lib. 12.

nec non & Priami ensem.

Arma diu senior desueta trementibus æuo
Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum lib. 2.
Cingitur.

qua loquendi formula frequẽtissimè vtitur. Græcis quoque ferrea ille tribuit arma.

—Stat ferri acies mucrone corrusco eod. l. 2.
Stricta, parata neci.

&, *Quicunque Iliacos ferro violauimus agros.* lib. 11.

Sexcenta huiusmodi apud illum reperies. Naso Græcis Heroibus arma assignauit ferrea in Laphitarum, & Centaurorum pugna, Pirithoo ferratam hastam.

—ferratáque collo Meram. l. 12.

Fraxinus.
Nestori iaculum.

——aspice dixi,

Ibidem. *Quantùm concedant nostro tua cornua ferro,*
Et iaculum torsi.

Ferrum Peleo dedit Achillis Patri;

——Inque meos ferrum, flammámque penates

Ibidem. *Impulit.*

Quin & Achilli ipsi ad Troiam.

Dixit, & ostendens sternentem Troica ferro
Corpora Pelidem.

Papinius Meleagrum ferro armauit;

li. Thebaid. 2. *Te Meleagre subit, ibi demum cuspide lata*
Hæsit, & obnixo ferrum laxauit in armo.

nec non Tideum;

——Ferróque micantia tela

Ibidem. *Decutit.*

Adrastúmque.

lib. 4. *Inter adhortantes vix sponte incedit Adrastus,*
Contentus ferro cingi latus.

Dedit & Polynici arma ferrea.

Ibidem. *——& gemino lucent hastilia ferro.*

Ibidem. De Hippomedonte ita ille;

——latus omne sub armis
Ferrea scuta tegunt humeros.

Ibidem. De Capaneo verò.

—— Spatiosáque pectora seruat
Nexilis innumero chalybum sub tegmine thorax.

Etheoclem pariter ferro armauit;

lib. 11. *Erigit occultè ferrum.*

nec non & Thesea.

——risit vocésque manúmque

lib. 12. *Horridus Ægides; ferratáque arbore magnos*
Molitur iactus.

Quin

Quin & aratra vetuſtiſſimis temporibus ferrea fuiſſe, & non ærea teſtatur Vergilius.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram Georgic. 1.
Inſtituit, cùm iam glandes, atque arbuta ſacræ
Deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret.

Porrò quod aliqui affirmant multis Italiæ vrbibus familiare fuiſſe ænei inſtrumentis agros colere antiquitùs, falſum videtur ex eodem Vergilio, qui illorum gentem vetuſtam ita loquentem inducit.

At patiens operum, paruóque aſſueta iuuentus, lib. 9.
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello,
Omne æuum ferro teritur, verſáque inuencûm
Terga fatigamus haſta.

Et quidem Romanos Regum tempore ferro vſos in agricultura docet Plinius. *In fœdere quod* l. 34. c. 14.
expulſis regibus populo Romano dedit Porſenna, nominatim comprehenſum inuenimus, ne ferro, niſi in agricultura vterentur. Ex quibus ſatis (vt credo) falſi conuincitur opinio recentiorum affirmantium cum Pauſania antiquiore, qui quidem Hadriani Auguſti rempore floruit, Heroum omniũ arma ærea omnino fuiſſe, nec non & ruſticana inſtrumenta. Verùm vt clariùs appareat vtrum ex hiſce metallis priùs in vſu fuerit, vtriuſque inuentionem inueſtigemus; & quidem in hoc mirè variant autores. Plinius hæc ait de Caryſto agens. *Antea vocitata eſt Chalcodotis, aut Macris,* l. 4 c. 12.
vt Dionyſius, & Ephorus tradunt; vt Ariſtides Macra: vt Callidemus Chalcis, ære ibi primùm reperto. ipſe deinde Cyniræ in Cypro æris tribuit inuentionem. *Tegulas* (inquit) *inuenit Cynira Agriopæ* l. 7. c. 56
filius

filius & metalla æris, vtrumq; in insula Cypro. Et paulò inferiùs. *Æs conflare, & temperare Aristoteles Lydum Scythen monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putat. Ærariam fabricam alij Chalybas, alij Cyclopas.* Idem autor alibi. *Fit* (scilicet æs) *ex alio lapide, quem Chalcitem vocant in Cypro, vbi prima fuit æris inuentio.* Et vt patriæ nostræ laudes attingamus, optimum fuisse ęs Marianum, seu Cordubense in eodem loco idem testatur autor. *Summa gloria nunc in Marianum conuersa, quod & Cordubense dicitur.* Ex eo proculdubio quòd in nostris Marianis montibus, vulgò *sierra Morena*, Cordubæ proximis nascereturl. 34. c. 2. tur. Solinus ex Plinio Carystum describens. *Chalcis eadem habita est apud priscos, vt Callidemus autor est, ære ibi primùm reperto.* Æris quidem vsum in armis Curetes inlib.10. uenisse ita tradit Strabo. *Alij autem non Curetas, sed Corybantes Phryges esse, illos verò Cretenses, atque primos quidem in Eubœa induisse arma ærea, vnde & ipsos Chalcidenses dictos.* Clemens Alexandrinus l. Stromat. 1. Pannoniis æris assignat inuentionem. *Qui etiam Noropes; est autem gens Pœoniæ, nunc autem appellatur Norica, æs elaborarunt, & primi ferrum purgarunt.* Et hæc de æris inuentione, in qua & ipsum Plinium, & alios variasse autores mirandum nŏ est, tum ob Antiquitatis obscuritatem, tum quia pro diuersitate regionum, in quibus metallum reperiebatur, diuersi etiam inuentores assignati ab autoribus. Ferri verò inuentionem, & eius fabricæ, nec non & æris Idæis Dactylis Cretæ habitatoribus tribuit Diodorus his verbis. *Idæi Dactyli traduntur ignis vsum, ac æris ferríque naturā,* l. 6. c. 15.

quóque

quóque modo fabricarentur, in loco, quem Berecyntũ dicunt, inuenisse; quanuis idem autor deinceps huius fabricæ inuentionem Vulcano assignet. *Vulcanum Ferri, Æris, Auri, Argenti, omniumque quæ igne fabricantur, artem inuenisse ferunt, eámque cæteros docuisse.* Strabo Idæos Dactylos ferri inuentores facit. *Sophocles censet quinque primos viros fuisse, qui primi inuenerint, atque cuderint ferrum, aliáque permulta mortalium vsui necessaria reperint. Eorum quinque etiam extitisse sorores, ab eo itaque numero Dactylos, id est digitos nuncupatos. Alij sanè alio modo fabulantur, dubia dubiis accumulantes variis, ac differentibus nominibus, & numeris vtẽtes, è quibus Salaminum quendam nominant, & Dãnaneum, & Heracleum, & Acmonem. Quidam etiã eos indigenas Idæ, quidam verò inquilinos asserunt, & omnes illos primos in Ida ferrum fabricasse narrant.* lib. 10.

Alibi ipsemet autor Telchines Rhodi habitatores ferrũ, & æs primos elaborasse tradit, de iis enim ita. *Et primùm ex Creta in Cyprum venerũt,* lib. 14. *postea in Rhodum, & primi ferrum, & æs operati sunt, nam & Harpen Saturno fecerunt.* Clemens Alexãdrinus paulò diuersus. *Celmis, & Dãnaneus Idæis Dactylis ferrum primi inuenerunt in Cypro.* Stromat. 1. *Alius autem Idæus ferri inuenit temperaturam, vt autem Herodotus Scytha.* Hæc ille; in cuius verbis ex Strabone Salaminum pro Celmin, & Idæi Dactyli, pro Idæis Doctylis reponerem. Cæterùm quid his in Cypro? Recentiorem multo hanc ferri temperaturam fecerunt Herodotus, & Pausanias, eá tribuẽtes Glauco Chio, qui sub Haliatte floruit Lydo, cui Croësus successit in Regno.

lib. 1. gno. *Porrò*(ait Herodotus)*Haliattes Lydus confecto cum Milesiis bello,postea cùm septem,& quinquaginta regnasset annos, vita excessit: qui secundus ex hac domo cùm è morbo conualuisset, apud Delphos dedicauit grandem ex argento pateram: itémque alteram ex ferro parvulam, compactilem, spectatione dignam inter omnia quæ sunt Delphis donaria, opus Glauci Chij,qui solus omnium compactionem ferri excogitauit.*Pausanias.*E donariis, quæ Lydorum Reges miserunt, nullum restat præter ferreum illud instrumentum, quod Haliattis poculo erat suppositum.Opus id Glauci est Chij, qui ferri conglutinationem excogitauit.*Antiquiorem certè ferri fabricam existimauit magnus vir Cassiodorus. *Inter ipsos quoque*(inquit ille)*aduersarios vt scitis, non erant priùs armata certamina, sed pugnis se, quamlibet feruida lacessebat inuentio: vnde & pugna nomen accepit. Postea Belum ferreum gladium primus produxit, à quo & bellum placuit nominari.*Hęc illius opinio, quę si vera est, falsas omnino demonstrat illas esse, & quę bellum per antiphrasim, quasi minimè bellum dictum asseruit, & quę à belluis, & quę à duello belli nomen deduxêre. Alij denique Chalybas populos ferri inuentores tradunt; cęterùm Hispanienses, an Pontici fuerint, non explicant. Verùm ex his satis (vt credo) ostensum est ęris inuentionem, ac ferri ęqualem fuisse tempore, quandoquidem plurium autorum testimonio constat Idæos Dactylos vtriusque metalli vsum primos inuenisse, siue mauis Telchinas; Telchines enim ijdem cum Curetibus autore Strabone.Cureres porrò Idæorum Dactylorum filij, vt

In Phocaicis.

I. 1. Variar. epist.30.

Str. l.10. Diod.l. 6. c. 15. Str. vbi supra.

vt Diodoro, nec non eidem Strabcni placuit, & licèt cum Cassiodoro ferrei gladij primum inuentorem admittamus Belum, siue is Ægyptius, siue Chaldæus sit, vix aut ne vix quidem veraciores gentium historiæ quemquam Belo anteriorẽ, qui aut ferreis, aut ęreis vsus sit armis, ostendere nobis poterũt. Neque negotium nobis facit occidentalium noui orbis accolarum æris vsus, vel enim ferri fodinas illi non habuerunt, quod multi affirmant hodie, & quidem audiuisse se ferri venas esse in Hispania noua, non verò vidisse retulit Cortesius, nec non & in Hispaniola Insula Gonsaluus Fernandus Ouiedo, qui hac de re vehementer dubitat: vel certè, si venæ ibi sunt ferri, ars tamen illud purgandi, & conglutinandi ad ipsos nondum peruenit, quare ferro vsi non sunt, & hoc credere se affirmauit mihi nobilis vir Garcias Lassus: sed vt prophanorum voluminum periculosas, ac suis horrentes mendaciis cautes vitemus, inque tutissimum veritatis deueniamus portum, quid nos sacræ edoceant literæ videamus. Genesis quidem quarto habetur. *Sella quoque genuit Tubal-cain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri.* Iã ergo habemus Tubal-cain octauum ab Adamo de stirpe Cain æris, ac ferri artem exercuisse, quam credibile est ab ipsomet Adamo, cui rerum omnium notitiam indidit Deus, hunc eius nepoté accepisse, quemadmodum alias alij. Bene ergo probatum remaner, vsum ferri nullo modo posteriorem vsu æris extitisse, neque in bellorum, neque in agrorum exercitio, quandoquidem siue prophanas, siue

In relat. 4.

sacras cõsulamus literas, eosdem penè vtriusque metalli inuentores reperiemus. Quæ cùm ita se habeant, non defuit tamen primarius quidam in literaria repub. vir, qui adeò sibi persuaserit cõtrarium, vt Dauidis, & Salomonis Regum tẽpore latomorum, & fabrorum lignariorum instrumenta ærea, & non ferrea fuisse crediderit, atque ita interpretatus sit ante omnes illud tertij Regum cap. 6. de structura Salomonici templi. *Malleus, & securis, & vllum ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* addit ille. *nempe quia omnia ærea*; cùm tamen in contrarium stet illud ex Paralip. 1. 22. vbi Salomonẽ alloquẽs ait Dauid. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centũ millia, argenti verò mille millia talentorum: aris verò, & ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides præparaui ad vniuersa impendia. Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artifices quoque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, in auro, & argento, ære, & ferro, cuius non est numerus.* Hæc ibi Dauid, quo mortuo, vt præceptum adimpleretur Domini, missis Salomon ad Hiram Tyri Regem nunciis, ab eo, vt cædendorum sibi in Libano lignorum cedrinorum artifices darentur, petiit, ac percusso inter eos fœdere impetrauit. *Elegítque Rex Salomon* (vt habetur 3. Regum cap. 5.) *operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum, mittebátque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita vt duobus mensibus essent in domibus suis, & Adoniram erat super huiuscemodi indictionem;*

dictionem; fuerunt que Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte absque præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium trecentorum præcipientium populo, & his, qui faciebant opus. Præcepitque eis Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos: quos dolauerunt cæmentarij Salomonis & cæmentarij Hiram. ædificauit ergo his perfectis domum Dei Salomon. *Domus autem cùm ædificaretur,* (dicitur illo 3. Regum 6.) *de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Non ergo quia ænea essent instrumenta, sed quia lapides antequam ædificio statuerentur, dolati iam, atque perfecti, è monte aduehebantur. Quod clariùs fortasse Vatablica habet versio. *Cæterùm* (inquit) *cùm ipsa ædes extrueretur, extruebatur lapide integro, vt erat aduectus, ita vt in extruenda ea neque mallei, neque secures in æde audirentur, nihil denique ferreorum instrumentorum.* Vatablus ipse, seu quisquis autor est operis illius, in scholiis ad illum locum. *Hebraismus lapide adductionis, id est, vt allati fuerant lapides, cùm essent integri lapides foramen nullum erat, in quod capita trabium immitterentur, alioqui integri non fuissent; dolabantur autem lapides, in lapidicinis, & parabantur, vnde opus non fuit, vt in extruenda domo vterentur instrumentis ferreis.* Flauius Iosephus diligens Iudaicarum rerum scriptor. *Erant autem ex his, quos reliquerat Dauid ad portandos lapides, aliamq; materiam, septuaginta millia virorum, & eorũ qui lapides*

l. 8. Antiqu. c. 2.

incidebãt, octoginta millia, & eorũ præpositi tria millia trecenti, velociterq; secabant lapides eximios ad fundamenta templi, quos primitus poliebant, & copulabant in montibus, & ad ciuitatem ita deferebant. Hugo Cardinalis in prædictum Regum locum. *Non sunt audita. hoc videtur impossibile, quia oportuit tabulata consolidari clauis. solutio. hoc quod hic dicitur, refertur tantùm ad lapides, qui planati, quadrati, & dolati fuerunt extra Hierusalem securis autem hic vocatur martellus latomi, quo lapides præscinduntur.* Cardinalis Caietanus in illa verba superiùs adducta, *quos dolauerunt cæmentarij Salomonis.* &c. *Officium siquidem finitorum est, sic disponere dolationes, vt lapis lapidi confinis quadraret, & similiter lignũ ligno, huius enim artis opera factum est quod in sequenti subiungitur capitulo, videlicet quòd sonus mallei & securis non est auditus in ædificatione templi.* Idem in capitis sequentis verba; *Domus autem cùm ædificaretur,* &c. *Parui refert* (inquit) *quod haberur, de lapidibus perfectis motis ædificata est. dicitur perfectis ad significandum integritatem non solùm lapidum sed operis; adiungitur autem motis, seu vectis ad manifestandum quòd priùs fuerunt lapides perfecti, & postea vecti ad ædificium, vt nulla opus fuerit opera ad perfectionem ipsius lapidis in ipsa ædificatione, & propterea subditur, & malleus, & securis, & omne instrumentum ferreum non fuit auditum in domo cùm ædificaretur: consequens enim est vt perfectis priùs integrè lapidibus nullus sonitus instrumentorum ad perficiendum lapides audiretur in ipsa ædificatione; de his enim est sermo, & non excluditur concursus instrumentorum ad iungendum lapides, & alia op-*

porta

portuna. Hactenus Caietanus. Patet igitur ex his nulla fuisse in domo Dei audita ferramenta, quia non necessaria, non quia ærea, quandoquidem & innumerabilis ibi supperebat quantitas ferri, & multa erant ferrea; Paralipomen. 1. cap. 22. *Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commissuras, atque iuncturas præparauit Dauid*; & 29. *Ego autem totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei, aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea.* Neque verò dicendum est ænea fuisse instrumenta ob aliam causam, vel enim quia magis firmum æs, vel quia minùs sonorum, at & minùs firmum, & magis sonorum ferro esse scimus; non ergo eo vsos fuisse fabros loco ferri in ædificatione templi credendum erit. Vnde non potiùs audienda opinio hæc (pace autoris dixerim) quàm eorum, qui nescio quas de vermiculo quodam, Thamur nomine, aniles commiscunrur fabulas, camino quidem hyemali non indignas, de quo Simon Maiolus, liceat mihi nunc de Cothurno ad soccum transire. *Liber de natura rerum sic de eo. Thamur dicitur vermis Salomonis: Salomon enim cùm marmor Parium ad ædificationem templi è remotis partibus conuehi præcepisset, conscius prohibitionis legis, quæ vetuit altares ædificandi lapides ferro incidi, quæsiuit experimentum in vermibus, quod ars humana nesciuit: nam pullum struthionis in vitreo vase recluſit, quem cùm videret struthio, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans, ad desertum cucurrit, rediénsque vermiculum tulit, cuius sanguine vitrum liniuit, &*

Dier. Canicul. 1. p. colloq. 5. quod insecta.

confractum est, sicque fœtum eripuit, quod videns Salomon, hoc experimento in incisione durissimi marmoris vsus est. Eadem habet Vincentius, eadem & Albertus Magnus irridens commemorat. Sed & idem Maiolus alibi referens Thamur naturalem vim, de qua in Hierosolymitani templi structura periculum factum esse dicit, concludit demum. *Sed mea quidem sententia in illis scalpendis marmoribus, priùs quàm ædificio statuerentur, censeo malleis, & securibus aliisque ferreis instrumentis scissa, scalpta, & adæquata fuisse, at cùm in templum pertraherentur, locarentúrque suis locis, quòd ibi nihil fuerit malleorum visum, aut auditum, sed cùm cõponerentur, vt lubricitate labor leuaretur, is vermiculus in vsu fuerit.* Hæc ille. Sed totum hoc quod ad vermiculi naturam attinet, minùs certè verum, atque ex Thalmudisticis figmentis oriundum iudico. Non me latet (vt nihil reliquamus intactũ) verba illa, *Malleus, & securis*, &c. hyperbolicè ab aliquibus accipi, quasi dicta sint ad ostendendum miram celeritatem, qua absolutum est tẽpli ædificium, quemadmodum apud nos de re celerrimè confecta vulgò dicitur, *ni fue oyda ni vista.* Verùm hæc interpretatio meo iudicio vim infert textui Scripturæ, & quia causam reddit ipsa, cur ibi non audirentur ferramenta, nimirũ quia lapides iam dolati, atque perfecti ex lapidicina aduchebantur: deinde quia non vnum, duos, aut tres, quatuórve, sed septem integros annos duauit templi structura, inchoatum enim illud est anno quarto Regis Salomonis, absolutum verò vndecimo, vt habetur in libris Regũ:

Vinc. Nat. hist l. 20. c. 170.

Alb. l. Anim. 26. in Thamur.

Maiol. 1. p. coll. 13.

l. 3. cap. 6.

quod

quod quidem tempus tantæ fabricæ impar videri posset, ni tot hominum millia in ea elaborasse ex suprà dictis sciremus.

An detur in rerum natura Phœnix auis, & an vera sint, quæ de illa vulgò circumferuntur.

CAP. VII.

DIu me flagrasse fateor desiderio sciendi verane essent, quæ de Phœnice aue in toto orbe vnica, atque ex suis rediuiua cineribus ab ipsis penè incunabulis passim audieram. Qua de causa compluriũ antiquorum perlectis voluminibus, quæ de Phœnice inuenerim priùs, meam deinde sententiam in medium afferam. Historiæ pater Herodotus sic de illo. *Est & alia volueris sacra, nomine Phœnix, quam equidem nunquam vidi nisi in pictura; etenim perrara ad nos commeat, quingentesimo quoque (vt aiunt Heliopolitani) anno, & tunc demũ, & cùm pater eius decessit. Is si picturæ assimilis est, talis, tantúsque est: pennæ coloris partim rubidi, maxima ex parte cùm habitu, tum magnitudine simillimus aquilæ. Eum aiunt (quod mihi non fit verisimile hoc excogitare) ex Arabia proficiscentem in templum solis gestare patrem myrrha obuolutum, & in eo templo humare: sic autem gestare: primùm ex myr-*

In Euterpe siue l. 2.

rba ouum componere, quantum ipse ferre possit, deinde ferendo illud experiri, hoc expertum ita demum ouum exenterare, atque in illud parentem inferre: & qua parte ouum exinauiuit patrémque intulit, eam partem alia myrrha inducere, & cùm tantundem põderis impositio parente effectum sit, obstructo rursus foramine baiulare illud in templum solis; hæc facere hanc auem commorant. Horus Apollo Niliacus; Hieroglyph. 32.

Animam quæ in hac vita diutissimè moram traxerit, aut etiam inundationem commonstrare volentes, Phœnicem auem pingunt: animam quidem quòd omnium, quæ in toto orbe sunt animantium, hoc maximè diu-

Hierogl. 33. *turnæ vitæ est,* &c. Et idem. *Quin & eum innuentes, qui longo tempore peregrinatus tandem in solum natale remeet, rursum Phœnicem auem pingunt: hæc enim in Ægytum, cùm tempus mortis instat, quingentesimo demum anno regreditur: vbi, si debitum naturæ persoluerit, magno ritu, ac solemnitate funeratur.* Seneca noster ad Lucillum. *Nam ille alter*

Epist. 42. l. 5. *fortasse tanquam Phœnix semel anno quingentesimo*

l. 3. c. 9. *nascitur.* Pomponius Mela. *De volucribus præcipuè referenda Phœnix semper vnica, non enim coitu cõcipitur, partúve generatur: sed vbi quingẽtorũ annorũ æuo perpetua durauit, super exaggeratam variis odoribus struem sibi ipsa incubat, soluitúrque: deinde putrescentium membrorum tabe concrescens ipsa se concipit, atque ex se rursus renascitur. Cùm adoleuit, ossa pristini corporis inclusa myrrha Ægytum exportat, atque in vrbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo bustis inferens, memorando funere consecrat.*

Annal. 5. Tacitus. *Paulo Fabio, Lucio Vitellio Coss. post lõgum sæculorum ambitum anis Phœnix in Ægyptum venit,*

nit, præbuitq; materiam doctissimis indigenarum, & Græcorum multa super eo miraculo disserendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda promere libet. Sacrum soli id animal, & ore, ac distinctu pennarum à cæteris auibus diuersum consentiunt, qui formam eius definiêre, de numero annorum varia traduntur; maximè vulgatum quingentorum spatium: sunt qui asseuerent, mille quadringentos sexaginta vnũ interiici, priores q; alites Sesostride primùm, pòst Amasíde dominantibus, deinde Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauisse multo cæterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura; inter Ptolemæum, ac Tiberium minùs ducenti quinquaginta anni fuerunt: vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre, nihilq; vsurpauisse ex his, quæ vetus memoria firmauit. Confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eiq; vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatóque per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram perferre, atque adolere; hæc incerta, & fabulosis aucta. Cæterùm aspici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur. Plinius. Æthiopes, atque Indi discolores maximè, & inenarrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Arabia Phœnicem, haud scio an fabulosè vnum in toto orbe, nec visum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cœruleam roseis caudam pennis, distinguentibus cristis faciem, caput q; plumeo apice coho-

Natural. histor. l. 10. cap. 2.

nestante. Primus atque diligentissimus togatorum de eo prodidit Manilius Senator ille maximis nobilis disciplinis, doctore nullo, neminem extitisse, qui viderit vescentem. Sacrum in Arabia Soli esse, viuere annis DCLX. *senescentem casia, thuriq; surculis construere nidum, replere odoribus, & super emori. Ex ossibus deinde è medullis eius nasci primò ceu vermiculum, indi fieri pullum, principioq; iusta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponere. Cum huius alitis vita magni conuersionem anni fieri prodidit idem Manilius.* Et mox. *Cornelius Valerianus Phœnicem deuolauisse in Ægyptum tradit Q. Plautio, Sexto Papinio Coss. Allatus est in vrbem Claudij Principis censura, & in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret.* Hæc Plinius, cuius affecla Solinus sic de Arabibus agens. *Apud eosdem nascitur auis Phœnix, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis extantibus, cristatis faucibus, circa colla fulgore aureo, postera parte purpureus absque cauda, in qua roseis pennis cœruleus interscribitur nitor. Probatum est quadraginta, & quingentis eum durare annis. rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaiæ concinnat, in Solis vrbem strue altaribus superposita. Cum huius vita magni anni fieri conuersionem, rara fides est inter autores, quamuis plurimi eorum magnum annum non quingentis, & quadraginta, sed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant. Q. itaque Plautio, & Sex. Papinio Coss. Ægyptum Phœnix inuolabit: captusq; anno octingentesimo vrbis conditæ iussu Claudij Principis in comitio publicatus est, quod gestum præter Censuram, quæ manet,*

Poly hist. c. 36. in aliis 46.

net, actis etiam vrbis continetur. Ælianus. *Sine ratiocinatione Phœnices aues numerum quingentorum annorum computare sciunt, edocta à natura sapientissima, propterea non indigent neque digitis, neque Arithmetica scientia. Horum quingentorum annorum tempus impletum sciunt Ægyptiorum valde pauci, & hi Sacerdotes, & quidē inter se conuenire non possunt de his, & contendunt, vel quòd nunc, sed in posterum hæc diuina auis veniet, vel quòd iam oportebat eam venisse. At hæc illis aliter contendentibus adnotat tempus, & adest & cogit illos sacrificia facere, & fateri se nescire quæ sciunt aues: nónne sapientia est, Phœnicem auem scire vbi Ægytus est? vbi Heliopolis, quò ipsi definitum est venire? & vbi aliquando pater conditus sit, & in quibus loculis?* Aristides Adrianensis de Smyrna M. Aurelij Antonini beneficio reædificata. *Repullulat ciuitas depositio senio vetus eadem, & noua: quemadmodum dicunt Phœnicem ex se ipsa reuiuiscre.* Idem de eadem. *Eadem vrbs, & antiquissima, & nouissima, inuenta assumpta, facta est, quod de sacra aue aiunt.* Philostratus. *Auem quoque Phœnicem esse percredimus: quæ quingentesimo quoque anno in Ægyptum veniens hanc ipsam Indiam superuolat: aiunt autem vnicam tantùm hanc auem esse: & ex se radios emittere, atque auri colore fulgere: magnitudine verò, formáque aquilæ in nido considere, quem prope Nilifontes ex aromatibus ipsamet sibi construxit. Hæc verò quæ de ipsa decantant Ægyptij, quo pacto in Ægyptum deferatur, ipsi etiam Indi testificantur, sermoni consentientes, quo dicunt, Phœnici in nido liquescenti lugubres hymnos decantari.* Lampridius in Heliogabalo. *Fertur & promisisse Phœnicem in conuiuio, vel pro ea libras*

De hist. animal. l. 5. c. 57.

In vita Apollonij.

l.58.in fine. *bras auri mille, vt in prætorio eas dimitteret.* Dion Cassius. *Sext. Papinio, Q. Plautio Coss. Tyberis multas vrbis partes aqua repleuit, ita vt nauibus peruia essent: incendio longè plurima propter Circum, & Auentinum perierunt*, &c. *Quòd si Ægyptia etiam res ad Romanos attinent, eo anno ibi Phœnix apparuit.*

In Claudio. Sextus Aurelius Victor. *Huius temporibus visus est apud Ægyptum Phœnix, quam ferunt volucrem anno D. ex Arabia memoratos locos aduolare.*

De vitis Philosoph. l. 9. Laërtius in vita Pyrrhonis. *Quippe animalium alia absque coitu gigni, vt sunt quæ in igni viuunt, quæ* * *πυρρίδια vocantur; Phœnixq; Arabicus, atque terenides.*

* Alij Codices *πυρρίδια* habent, malèvt opinor. Artemidorus Daldianus. *Etenim Phœnix auis patrem suum sepelit, & abiectũ esse non sinit.*

De somnio. interpretat. l. 4. c. 49. Et mox. *Verum dicunt aliqui, quòd Phœnix non sepelit patrem, neque omnino illi superstes est pater, neque alius quispiam progenitorum; Sed quum ipsum fatum ducit, proficiscitur in Ægyptum, vnde, non sanè est hominibus notum, & ipse sibi ipsi ex casia, & myrrha construens rogum, vita decedit. At verò vbi exusta est pyra, post tempus ex cinere vermiculũ generari aiunt, qui incremẽtum adeptus, transmutatur, & rursus Phœnix euadit, & auolat ab Ægypto eò, vnde prior Phœnix venerat.*

In verbo Φοῖνιξ, seu Phœnix. Æneas Platonicus. *Præterea & Phœnix auis vltra quingentos annos viuere dicitur; ea verò vbi fuerit mortua, & resoluta viuere putatur.* Suidas. *Phœnix palma arbor, & auis. Sub Claudio Imperatore hanc ad Ægyptios venisse dicunt (Plinius libro 10. cap. 2. viuere annis 660. post annos 654. De hac aue memorantur, cùm fatum ei instet, venire in Ægyptum: vnde verò, ignorari, & cùm ipsa sibi ex casia, & myrrha rogum confecerit, mori: quo cremato aliquanto pòst è cinere ver*

re vermem dicũt fieri, qui mutetur, & rursus fiat Phœnix: & eò auolet, vnde prior Phœnix in Ægyptum venerit. Meminit etiã Phœnicis Ioannes Tzetzes, qui quidem alieni largitor liberalissimus, sex, & septem millibus annis viuere alitem hãc ex Chęremone Ægypto sacrarum literarum scriba constanter affirmat. Sacri etiam autores eadem quæ prophani de Phœnice. Illud namque Iob. *Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Septuaginta verterunt. *& sicut Phœnix multiplicabo dies.* Clemens Romanus. *Aiunt Græci auem quandam esse soligenam, vberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere, solamq́ in mundo reperiri, Phœnicem appellant, narrantq́ eam post quingentesimum annum in Ægyptum aduolantem, secumq́ copiam cinnamomi, casiæ, xilobalsami adducentem, in loco, qui dicitur Solis ara, consistere, ibique conuersam ad aspectum Solis, ei, vt aiunt, supplicem sponte conflagrare, redigiq́ in puluerem: ex cineribus autem vermem existere, eumq́ concalefactum in nouam Phœnicem formari, alitemq́ factum, in Arabiam, quæ est vltra Ægyptiacum saltum, aduolare.* Hæc ille. Tertullianus. *Siquidem animalis est res vitæ obnoxia, & morti, illum dico alitem Orientis peculiarem de singularitate famosum, de posteritate monstrosum, qui semet ipsum libenter funerãs, renouat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix: vbi iam nemo, iterum ipse, qui non iam alius idem. Quid expressius in hanc scilicet resurrectionis causam? aut cui alij rei tale documentum?* Idem inferiùs. *Deus etiam Scripturis suis; & florebis enim (inquit) velut Phœnix, id est de morte, de funere, vis credas*

Cap. 29.

Apostolica. constitut. l. 5. c. 6.

In libro de resurrect.

das de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Et mox. *Multis passeribus antestare nos Dominus pronuntiauit, si non & Phœnicibus, nihil magnum. Sed homines semel interibunt, auibus Arabiæ de resurrectione securis.* Adhuc elegantissimè Septimius Tertullianus. Sanctus Cyprianus, seu opus illud sit Ruffini Aquilegiensis, in expositione symboli. *Et tamen quid mirum videtur, si virgo conceperit, cùm Orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantum sine coniuge nasci, vel renasci constet, vt semper & una sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascendo succedat?* Eusebius Cæsariensis Episcopus, relatus etiã à doctissimo Cardinale Baronio. *Neque tamen ita vt Ægyptia illa auis, quam aiunt, cùm naturæ prouidentia vnica sit sibi ipsi mortem consciscentem, in aromatum aceruo emori, ex cineribus verò reuiuiscere, & excitari aliam eiusmodi, qualis ipsa fuit.* Beatus Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus. *Vidit Deus hanc hominum incredulitatem, & auem quandam in hoc fabricatus est, quæ Phœnix appellatur. Hæc (vt scribit Clemens, & alij complures referunt) cùm sit vna tantùm auis, & sola, in terram Ægypti in spatio quingentorum annorum venire solet, atque demonstrare resurrectionem: non in locis desertis, ne mysteriũ id ignoretur; sed in aperta ciuitate consistit, vt contrectetur, quod non creditur. Septum enim sibi facit è thure, & myrrha, cæterisque aromatibus, & completis annis eò venit: moritur apertè, & putrescit; deinde ex putrefacta carne mortuæ vermis quidam generatur, & hic deinceps in auem efformatur.* Et paulò inferiùs: *Phœnix sanè præfatus excrescens in auem, talis euolat in aërem, qualis & mortuus erat, & apertissimè mortuorum*

Euseb. de vita Constantini l. 4. cap. 72. Baron. tom. 3. anno. 337.

Cetechesi 18. de Resurrect.

tuorum resurrectionem hominibus demonstrat. Et mox. *Sed quoniam longè petitum, & rarum est Phœnicis exemplum,* &c. Sanctus Epiphanius. *Cæterùm de Phœnice Arabica auicula dicere superfluum est; iam enim ad aures multorum peruenit credentium, & non credentium: historia autem de ipso talis apparet. Quingentesimum annum agens, vbi cognouerit tempus mortis suæ instare, rogum ex aromatibus sibi construit, eaq; in vrbem Ægyptiorum, Heliopolim appellatam, defert, & propriis pedibus, ac alis pectora sua valde pulsans, ignémque è corpore suo proferens, subiectam materiam in loco incendit, atque sic se ipsum exurit, & omnes carnes suas vnà cum ossibus. Verùm ex Dei dispositione nebula demittitur, quæ pluuiam effundit, & flammam corpus alitis consumentem extinguit, cùm mortuus iam sit Phœnix, & extremè tostus. Extincta autem flamma reliquiæ carnis ipsius adhuc crudæ restant, quæ ad vnum diem dissipatæ vermem gignunt; vermis autem pennas producit, pullus euadens. Tertia verò die crescit, & accepto incremento, his qui in eo loco versantur, se ipsum ostendit, & rursus ad propriam patriam recurrit, ac quiescit.* Idem Epiphanius alibi. *Phœnix auis pauone pulchrior est. Pauo enim aureas, argenteasq; habet alas: Phœnix verò hyacintinas, & smaragdinas, pretiosorúmque lapidum coloribus distinctas; coronam autem habet in capite, & in pedibus malleolos; prope Indiam degit: viuit autem annos quingentos, & in cedris Libani absque cibo, & potu, vento pascitur. At post quingentos annos alas aromatibus implet, & cùm Heliopoleos sacerdos sacrificia inchoat, è proprio egreditur nido, & ad sacerdotem pergit, vnáque templum ingreditur vsque ad sacrarium, & in*

In Ancorato.

Ad Physiologum c. 11.

& in cinerem tota consumitur. Sequenti autem die alis renatis reperitur. Tertia verò die iam integra, sacerdotem salutat, restauratáque iterum ad proprium locum redit. Gregorius Nazianzenus. *Quòd si etiam cuiquam fidem facit hic sermo, alius est generationis modus, vt idem animal à se ipso consumatur, ac procreetur.* Diuus Hieronymus in epistola ad Præsidium Diaconum, de Cereo paschali (si modò ipsius est epistola illa, aut certè vltima eius pars isthæc cõtinẽs, docti enim cõplures aliter sentiunt) *Phœnix auis est in India, & per quingẽtos annos de Libano implet se aromatibus, & sic nidificat sacerdoti Heliopolitano mẽse Famenoth, aut Farmuth. Implet aram sarmentis, & ibi cõfert Phœnix aromata, & electri aræ imponit. Et primo Solis ortu Phœnix quidem mouet pennas, Solis verò calore accenditur electrum, & sic excuruntur aromata, & ipsa Phœnix incenditur. Crastino die de cinere gignitur vermis: secũdo pennæ effertertio ad antiquam redit naturam, & sic ad sua loca reuertitur.* Sanctus Ambrosius. *Auis in regione Arabiæ, cui nomen est Phœnix, rediuiuo suæ carnis humore reparabilis, cùm mortua fuerit, reuiuiscit, solos nos credimus homines resuscitari.* Et idem. *Phœnix quoque auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ad vsque ad annos quingentos longæua ætate proceden quæ cùm finem vitæ sibi adesse aduerit, facit sibi thecam de thure, & myrrha, & cæteris odoribus, in quã impleto vitæ suæ tempore, intrat, & moritur: de cuius humore carnis vermis exurgit, paulatimque adolescens ac processu temporis induit alarum remigia, atque in superioris auis speciem, formámque reparatur.* Alibi etiam ipse. *Phœnix coitus corporeos ignorat, libidi-*

Oratione de Spiritu sancto. quæ. est 37.

Tom. 4. epi. 19.

De Fide. & resurrect.

Hexam. l. 5. cap. 23.

In Psal. 118. serm. 19.

nis nescit illecebras, sed de suo surgit rogo, sibi auis superstes ipsa, & sui hæres corporis, & cineris sui fœtus. Diuus Augustinus. *Quod enim de Phœnice loqueris, ad rem, de qua agitur, omnino non pertinet. Resurrectionem quippe illa significat corporum, non sexum destruit animarum, si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur.* Idem Augustinus sermone 18. ad Fratres in Eremo, quod quidem opus nisi in Aquisgranensi Concilio sub Ludouico Pio Imperat. A. D. 830. celebrato citaretur, ac proinde videretur approbari, suspectum certè multis ex capitibus, atque vt adulterinũ reiiciendum iure posset censeri. *Quid enim* (inquit) *agit Phœnix? nisi quia dum senescit ad partes calidissimas volat, ligna siccissima cõgregat, & lignis congregatis, alis ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eodem se comburi permittit, ex quibus cineribus vermiculus nascitur, & postmodum Phœnix alia efficitur.* Noster Isodorus. *Phœnix auis Arabiæ dicta, quòd colorem Phœniceum habeat, vel quòd sit in toto orbe singularis, & vnica, nam Arabes singularem, & vnicam Phœnicem vocant. Hæc quingentis, & vltrà annis viuens, dum se viderit senuisse, collectis aromatum virgultis, rogum sibi instruit, & conuersa ad radium Solis alarum plausu voluntarium sibi incendium nutrit, sicq; iterum de cineribus suis resurgit.* Meminit etiam Phœnicis Beatus Maximus Monachus, & Martyr, cuius verba referemus inferiùs. Nicephorus etiam Callistus de Orientalibus agens regionibus. *Sed enim & Phœnix decantatissima illa volucris apud eos est.* Quibus omnibus adde, si placet, Georgium Abbatem apud Anastasium bibliothecarium anno Domini 50. nec non

De Anima & eius origine ad Vincentium. l. 4 c. 20. to 7.

Cap. 112 & 113.

Tom. 10.

Origin. l. 12. ca. 7.

Ecclesiasticæ histor. l. 9. cap 19.

l.Animal 23 etiam Albertum Magnum. Poërę porrò Græci, & Latini antiqui, ac recentiores plurima etiam retulêre de Phœnice. Veruſtiſſimus Heſiodus apud Plutarchum.

De Oracul. defectu.

Secla viri nouies pubentis garrula cornix
Vincit, cornicis ceruus quater, at tria cerui
Tempora coruus agit, quẽ deinceps Indica Phœnix
Egreditur nouies, &c.

Antiphanes apud Athenæum.

l.14.cap. 25. *In Heliopoli procreari aiunt*
Phœnices, Athenis noctuas. &c.

Naſo ſub Pythagoræ perſona.

Memorph. l.15. *Vna eſt, quæ reparet, ſeq́ ipſa reſeminet ales,*
Aſſyrij Phœnica vocant, nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & ſucco viuit amomi.
Hæc vbi quinque ſuæ compleuit ſæcula vitæ,
Illius in ramis, tremulæq́ cacumine palmæ
Vnguibus, & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaq́ cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha,
Se ſuper imponit, finitq́ in odoribus æuum.
Inde ferunt totidem qui vincere debeat annos,
Corpore de patrio paruum Phœnica renaſci,
Cùm dedit huic ætas vires, oneriq́ ferendo eſt,
Ponderibus niti, ramos leuat arboris altæ,
Fertq́ pius cunaſq́ ſuas, patriumq́ ſepulchrum:
Perq́ leues auras Hyperionis vrbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.

Idem.

Amor.2. Eleg 6. *Et viuax Phœnix vnica ſemper auis.*

Pharſaliæ l.6 Conciuis meus Lucanus.

Aut cinis Eoa poſiti Phœnicis in ara.

Statius

Statius Papinius.

——*Senio nec feſſus inerti*
Scandet odoratos Phœnix fœlicior ignes. Syluar.l.2.

&, ——*Phariæq; exempta volucri* Eodem l.2.
Cinnama.

Et idem.

Quæ ſibi proſternat viuax altaria Phœnix. l.Syluar.3.

Martialis.

Qualiter Aſſyrios reuocant incendia nidos,
Vna decem quoties ſæcula vixit auis. l.5.Epigr.7.

Auſonius de ternario agens numero, ac de quorundam ætatibus animalium ex Heſiodo, vt vidimus.

Quem nouies ſenior Gangeticus anteit ales, Eidyll. 11.
Ales cinnameo radiatus tempora nido.

Idem.

Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales. Eid yll 18

Idem denique Paulino.

Nec quia mille annos viuit Gangeticus ales, Epiſtol.20.
Vincit centum oculos Regia pauo tuos.

Claudianus præterquàm quòd integrum quoddam opuſculum de Phœnice (ſimodò illud eſt elegantiſſimi Poëtæ, & Conſularis viri Claudiani) hexametro carmine exarauit, ita alibi cecinit de illo.

Sic vbi fœcunda reparauit morte inuentam, Panegyric.
Et patrios idem cineres, collectaq; portat 2.in laud.
Vnguibus oſſa piis, Niliq; ad littora tandem Stilconis.
Vnicus extremo Phœnix procedit ab Euro.
Conueniunt aquilæ, cunctaq; ex orbe volucres,
Vt Solis mirentur auem; procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama buſti.

Lactantius etiam Firmianus aliud composuit de Phœnice carmen, quod in fine operum ipsius habetur, licèt multi Lactantio id non tribuant. Festus Auienus de Arabia loquens.

In Descript. orbis terræ.

——Interuis etiam procul undiq; ab oris
Ales amica Deo largum congessit amomum.

Diuus quoque Gregorius Nazianzenus in Præceptis ad virgines.

Vt Phœnix moriens primos reuirescit ad annos,
In mediis flammis post plurima lustra renascens,
Atque nouum veteri surgit de corpore corpus.
Haud secus egregia redduntur morte pernnes:
Dum pia diuinis ardescunt pectora flammis.

Diuus etiam Alcimus Auitus, Viennensis Archiepiscopus de Paradiso.

l. 1. ca. 9.

Hic, quæ donari mentitur fama Sabæis,
Cinnama nascuntur, viuax quæ colligit ales,
Natali quum fine perit, nidoq; perusto
Succedens sibimet quæsita morte resurgit:
Nec contenta suo tantùm semel ordine nasci,
Longa veterno si renouatur corporis ætas.

Egregius poëta Sanazarus ex recentioribus.

De partu Virgin. l. 2.

——Qualis nostrum cùm tendit in orbem,
Purpureis rutilat pennis nitidissima Phœnix,
Quam variæ circùm volucres comitantur euntem.
Illa volans Solem natiuo prouocat auro,
Fulua caput, candam & roseis interlita punctis
Cœruleam.

Hieronymus Vida.

Christiad. l. 6.

Talis, vbi turpe irrepsit senium, vnicus ales
Congessitq; sibi ramis fœlicibus altum
Summo in colle rogum, posuitq; in morte senectam,

Continuo

Continuò nouus exoritur, nitidusq́ iuuenta,
Effulget cristis, & versicoloribus alis.
Innumeræ circùm volucres mirantur euntem,
Ille suos adit Æthiopas, Indosq́ reuisit.

Plurimi quoque alij recentiores varia de Phœnice dixêre, inter quos liceat mihi elegantiæ causa ter maximi poëtæ, ac Etruscorum Epicorum Principis Torquati Tassi patria conscriptos lingua versus referre: is igitur sic;

D'iretroad essi apparuero i cultori Canto. 18.
Del Arabia Petrea, de la felice: Stanz. 10.
Che 'l souerchio del gelo, e de gli ardori
Non sente mai, se 'l uer la fama dice:
Oue nascon gl' incensi, e gli altri odori,
Oue rinasce l'immortal Fenice,
Che trà i fiori odoriferi, ch' aduna
Al' essequie, a i natali hà tomba, e cuna.

Sed, vt ea quæ de alite hoc traduntur, conclu-dam recentiorum, qui orbem per lustrarunt, testimonio (mitto enim Vincentium, Volaterranum, & Ananiam ex antiquorum doctrina illum asserentes.) Dari Phœnicem in rerum natura aliqui probant. Nicolaus enim de Comitibus in vlteriore India auem esse scribit, *Semenda* nomine, trifido rostro, sentireque moriturum: mortis igitur hora eam deferre ligna in nidum suum, cátilareque suauiter, atque alarum percussione incendere ligna, ipsamque illo igne consumi, indéque vermiculum gigni, qui postea in auem crescat. Hæc sunt, quæ Phœnicis astruunt historiam. At quæ destruunt, iam dicam. In primis nanque autorum varietas, imò & quorundam nugaméta

Volater. Philolog. l. 25. A. Fabrica del mundo.

circa Phœnicis vitam, ipsam videntur fabulosam reddere. Si enim illi assignare velimus tempus vitæ iuxta Hesiodi, & Ausonij sententiam superiùs relatam, nimirum quòd pubentis hominis ætatem nouies vincat cornix, cornicis ætatem quater ceruus, cerui ter coruus, corui nouies Phœnix posito quòd pubentis viri ætas triginta annorum sit (vt ex Heracliti sententia refert Plutarchus) tunc Phœnicis vitam 29160. perdurare annos dicendum esset. Quòd si non pubentis, sed grandæui legatur apud Hesiodum (vt ab aliquibus legi affirmat Plutarchus) neq; grãdæuo centum & octo assignemus annos (vt idem vult autor) sed septuaginta duntaxat, quos ætati hominum sacra tribuit Scriptura, cui etiam adstipulatur Herodotus: tunc Phœnicis vitam ex 6840. annis constare dicendum esset, quod quàm sit absurdum, cùm mundi ætas paulò plus, minúsve 6000. annorum sit, nemo non videt. Vnde meritò Plinius oculatissimus autor. *Hesiodus qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulosè (vt reor) multa de hominum æuo referens, cornici nouem nostras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatum coruis, & reliqua fabulosiùs in Phœnice, ac Nymphis.* At dices Ægyptiis, qui plura de Phœnicis ætate, ac natura tradidêre, menstrui fuêre anni, triginta duntaxat dierum vt multi prodidêre autores, nil ergo mirum circa Phœnicis vitam. Esto, fateamur Ægyptiis annum fuisse menstruum, ita asserentibus Plinio, & Plutarcho, quem breuem annum dictum ab eis ad distinctionem anni solaris, constantis ex duodecim mensibus (cuius ipsi traduntur

De oraculorum defectu. — Vbi suprà. — Psalm. 89. — lib. 1. — l. 7. c. 48. — Plinius vbi suprà Plutarchus in Numa.

duntur primi inuentores) memoriæ prodidit Macrobius, & ex recentioribus Alexander ab Alexandro, ac Rodiginus; tunc præterquàm quòd ridiculum esset asserere viram hominum septuaginta mensium vnquam fuisse (vt necesse dicendum esset) fabulosa etiam esset Phœnicis vita, quippe quæ ex 5670. constaret annis, quod si daremus, immortalem esse adhuc Phœnicem, neque apud Heliopolim vita functam cogeremur fateri. Et quid si nos annos Ægyptios quatuor solaribus annis constantes ex Pierio computationi vitæ huius alitis tribuamus? Quid si dicamus, maximam autorum partem sequuti, Phœnicis vitam quingentis duntaxat annis terminari? Rursum vel illi anni sunt Lunares, aut menstrui, vel Solares: si Lunares, & menstrui, nugantur planè, qui longissimam omnium animantium vitam Phœnici tribuunt: vnus enim, & quadraginta anni nostrates nullam præ se vitæ longitudinem ferunt. Si verò Solares esse dicantur: vellem scire, quomodo talem vitæ longitudinem deprehenderint, qui hæc scripserunt? Ægyptij (respondet quis) sacerdotes hæc scripto testati sunt, quæ vel traditione, vel annalium fide didicerunt. At si annalium fide, quomodo quæso dubitabant, contendebant, nec conuenire poterãt inter se sacerdotes Ægyptij (vt ex Æliano superiùs diximus) quo tempore aut vẽturus fuisset, aut veniisset Phœnix, quãdoquidem ãnotatus in annalibus annus omné tollere debuisset dubitationẽ? Si verò traditione, quis vnquã se vidisse testatus est, à quo principium sumpserit tradi-

Macrob. Saturnal. l. c. 4.
Alex. Genial. l. 3. c. 24.
Rodi. lect. Antiq. l. 18. c. 37.
l. Hierogly. 39.

tio? certè nullus. Phœnicē namque quē Claudius Imp. in Comitiis publicauit, falsū fuisse in omniū sententia testati sunt Plinius, ac Tacitus (vt vidi-
Vbi suprà. mus.) Demum quia si magni anni conuersionem cum huius alitis vita fieri, ac magnum annum duodecim millibus nongentis quinquaginta
Vbi suprà. quatuor. annis constare cum Solino dicamus, Ægyptiorum prodigiosa commenta in hisce planè deprehendemus, quemadmodum in suæ antiquitatis annis, quorum tredecim millia in suis annalibus referre ipsos, ac quater cursus suos verrisse sydera, Solémque bis occidisse, vnde nūc
l. 1. cap. 9. oritur, dum Ægyptij sunt, ex ipsorum sententia retulit Mela. Vnde mon minùs deridenda videtur auis huius vita à Ioāne Tzetze ex Chæremone Ægyptio relata. Sed longè maior dubitatio exoritur circa Phœnicis singulariratem: vnicum enim esse in toto terrarum orbe aiunt, quod quam longè tam à Logicis, quàm à Physicis absit rationibus, nemo non videt. Primò enim in confesso est apud omnes speciem eam esse & dici, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, siue de pluribus indiuiduis; at plura indiuidua Phœnicis non sunt simul in aliquo tempore, nec sine magno temporis interuallo plura successiuè existerent, vt prædicti asserunt autores, atque adeò sufficienter cognosci nó possent, tanquam indiuidua vnius speciei: enimuerò ad constituendam speciem rationalis necesse fuit vt Petrum, & Ioannem, & Cæsarem videremus ad hoc, vt intelligeremus eos in vna aliqua præcipua ratione formali conuenire, nimirum in ratiōna

tionalitate , quæ formam & ſpeciem hominis conſtituit. Et ratio eſt, quia ſi vnicum tantùm videremus indiuiduum , neque cum alio in aliqua ratione ſpecifica conueniens , nullas eius paſſiones agnoſceremus , & conſequenter neque naturam, qua ignorata, & ſecluſa, vel illud eſſe miraculoſum , & ſupra naturæ vires , vel eſſe monſtrum , & à natura non intentum , atque ſub ipſius ordinem non cadens , dicere deberemus. Deinde Phyſicis etiam rationibus improbatur, vnicũ dari duntaxat in rerum natura Phœnicẽ, vel enim hæc auis Dei miraculo, & peculiari tutela conſeruatur in mundo , vel non. Si Dei miraculo , ſub noſtram non cadit diſputationem; hîc enim , an detur naturaliter vnicus Phœnix, diſputamus. Si abſque miraculo, vel capi poteſt viuus, aut mortuus , vel non ; non capi viuum , aut mortuum , miraculum eſſet , neque ad nos pertineret : ſi capi poteſt, aut occidi , aut non; ſi non occidi , miraculum ; ſi occidi, ergo poteſt vnica ſpecies de mundo tolli , & ſic mundus integer non manebit quoad omnes ſuas partes , quod eſt abſurdiſſimum , vel cogemus Deum ad creandum de nouo alium Phœnicem , quod eſt longè abſurdius. Sed dici poſſet. Phœnix quidẽ occidi poteſt , at flamma duntaxat , qua de facto conſumi dictum eſt , vt ex eius cineribus alter renaſcatur Phœnix. Iam tunc quæro , cur non alio negis genere, niſi combuſtionis ? tunc enim ad miraculum recurratur, ac Dei voluntatem neceſſe eſt; philoſopho res indigna ac prorſus Empedoclica. Sed eſto , huic ſolùm mortis generi

obnoxius sit Phœnix. Redigatur in cineres, ac misceantur cineres illi: tunc quæro; cinis ille vel est causa, quam philosophi principalem appellant, pulli generati, vel instrumentalis, vt semen in generationibus animalium: non potest esse principalis, quia hæc vt minimum debet esse æquè perfecta, ac est effectus, qui ab ea producitur, vt communis tenet philosophorum sententia in libro Physicorum secundo, at cinerem emortuum quis dubitet longè imperfectiorem esse pullo genito viuenti? sed neque instrumentalis esse valet, quia instrumentalis causa ea est, quæ cum alia principali concurrit ad generationem, vt semen animalis cum matre simul agit ad generationem: quòd si interdum semina volucrum, videlicet oua fœtus animatos generant sine matrum incubatu, supplente tunc Deo cum calore Solis, aut ignis vices, atque defectum matris, id concedere nefas non est, quia rarum, & ex accidenti datur ille defectus in rerum natura. Cæterùm defectus matris, atque adeò causæ principalis in generatione Phœnicis, tam frequens, & necessarius, quàm ipsa generatio esset, & ideo non posset non esse intentus ab autore naturæ. Quòd si Phœnix, animal adeò perfectũ, ac vulgò habetur, generari posset sine semine fœcundo ex coitu, & interuentu parentum, ex solo cinere, sicut animalcula imperfecta ex putri materia generantur à cœlis, quæso cur homines, cur equos, cur aquilas generari ea ratione repugnat? Sed age iam, generetur ita ex putri cinere, rogo an quæuis particula cinerum mixtorũ

sit

ſit potens ad producendum Phœnicem, vel aliqua determinata? ſi aliqua ſolùm determinata, cur illa potiùs, quàm altera, cùm eadem ſit ratio vnius, quàm alterius, mixtis præcipuè cineribus, in quibus impoſſibile eſt aliquam prædeterminatam partem integram aut manſiſſe, aut poſſe aſſignari? Si quæuis particula poteſt procreare Phœnicem, ergo plures ſimul Phœnices naſci poſſunt, eſſe, & viuere; non ergo vnicus Phœnix. Adde, quòd duos ſimul Phœnices aliquando viſos proditū ab hiſtoriis (quas tamen mihi adhuc videre non contigit) Pierius aſſerit. Sed & recentiores qui de Indiæ aue Semenda eadem ferè (vt ſuperiùs retulimus) quæ de Phœnice affirmant, eam certè neque vnicam, neque tanto tempore viuentem dicunt, imò neque etiamſi dicerent, illorum narrationi in hac parte fides adhibenda eſſet, quippe cui plura eſſe immixta mendacia bene probat Scaliger pater. Alia in Phœnicis narratione taxant aliqui. Pierius cuius textoris manu obrotunda illa ciſtula contexatur, in qua paternos ferre cineres dicitur Phœnix, edoceri deſiderat: alij ex ſeipſo renaſci poſſe aliquod animal, & in conſequens Phœnicem inficiantur. Ego tamen & Pierium in hac parte (ſi fas eſt dicere) edocebo, & alios exemplo conuincam. Contexi poſſet abrotunda illa ciſtula artificis naturæ manu, cuius etiam beneficio ſuas telas adeò induſtriè perficit aranea, rotundas ſuas pilas ſcarabeus, ſuas ouali figura techas conficit bombix. Renaſci porrò ex ſe ipſis animalia quædam imperfecta, dubium non eſt. Diuus Epiphanius.

l. Hierogl. 20.

Exercitat. 233. in Cardanum.

phanius. *Verùm non persuasit hoc palumbes auicula, neque myoxus animal: moritur enim hoc semestre, & palumbes in diebus quadraginta, & rursus post tempora sua reuiuiscunt. Scarabei morti vicini in pila stercoris seipsos occultant, talem pilam in terra sepelientes, ac defodientes, atque sic ex suo ipsorum humore rursus reuiuiscentes comperiuntur.* Hæc ille. Cæterùm quid mirabilius bombyce, in quo tot metamorphoses quotidie oculis intuemur, cuiusque naturam, licèt nondum ipsis, imò neque Europęis omnibus bene notam, iure optimo mirantur, & commendant Sancti Patres Basilius, & Ambrosius, aliíque deinceps scriptores? Veruntamen adhuc edoceri desiderarem à Phœnicis assertoribus, si Heliopolim venire definitum est (vt Ælianus ait) Phœnici, & in templo Solis funerari, & renasci; non extantibus hodie templo Solis, & Heliopoli, quò ipsi definitum erit venire? quísve nuncius, aut à quo ipsi remissus fuerit, vt illas amplius terras non quærat, alias verò determinatas petat? At dicet quispiam, negare dari Phœnicem, Scripturæ sacræ testimoniis, & Sanctorum Patrum doctrinæ superiùs adductæ refragari est. Esset quidem impietas maxima, si sic se res haberet, attamen neque sic sacrę, neque sanctis Patribus vim vllam me facere existimo. Primò enim sacra Scriptura hoc non docet; vulgatus enim noster Bibliorum liber (quem ex Catholicæ Ecclesiæ præceptis, ac decreto sequi debemus) in illo capite vigesimo Iob, non *Phœnix*, sed *palma*, habet. Deinde quia Septuaginta interpretes ex duabus significationibus

In Ancorato.

Basilius Hexam. homil. 8.

Ambros. l. Hexam. 5. c. 23.

Concilij Trid. sess. 4.

bus huius æquiuoci nominis *Phœnix*, quod tam palmam, quàm auem significat, propter communes quasdam proprietates, colorem nimirum in aue, & arboris fructum, ac ex seipsis renascẽdi potestatem, ea vsi sunt significatione, quæ Græcis, in quorum gratiam sacra ipsi vertebant volumina, mortuorum resurrectionem, de qua ibi agebat Iob, secundùm vulgarem ipsorum de Phœnice aue sententiam, magis aperiret. Porrò commune esse Phœnicis nomen palmæ & aliti, atque alitem à palma sumpsisse Plinius planè affirmat de palmis agens. *Vna earum arbor in Chora esse traditur, vna & Syagrorum, mirúmque de ea accepimus cum Phœnice aue, quæ putatur ex huius palmæ argumento nomen accepisse, emori, & renasci ex se ipsa.* D. Isidorus. *Phœnix auis Arabiæ dicta, quòd colorẽ Phœniceum habeat.* Color porrò Phœniceus rubri, seu rubidi species ille est, quem nos *datilado* dicimus, in vestibus, aut calceamẽtis, vt ex A. Gellio, cuius alibi retulimus verba, planè deducitur, dicitúrque hoc nomine apud nos, eo quòd nobis *datil*, fructus palmæ, qui tamẽ color in equis apud nos, & Italos; *baio* vocatur. Alciatus. *Nos vulgò baium dicimus: is enim color maximè in equis probatur, Græci spadicem, hoc est cum fructu suo palmæ ramusculum, βάϊν vocant.* quod etiam sensit Antonius Telesinus. Ex quibus omnibus mirum non est Tertullianum ad ostendendam Gentibus resurrectionem receptą apud Gẽtes ipsas de Phœnice aue opinione vsum, illud Psalmi 91. *Iustus vt palma florebit*, vertisse, *Florebis sicut Phœnix*; quemadmodum superiùs vidimus.

l. 10. cap. 4.

l. Origin 12. c. 7.

l. Noct. Attic. 2. c. 26.

l. Parerg. 2. cap. 1.

In libello de Coloribus.

Gene

Generaliter ergo dicendum est ad omnes Sanctorum Patrum Phœnicis historiam referentiũ superiùs allatas autoritates, omnes illos Sanctos Patres,non quòd hæc de Phœnice aue crederent, scriptis mandasse, neque curæ illis fuisse examinare, veráne essent, nécne:sed solùm eis visum vti argumento ad hominem, & quidem validissimo, nam cùm in vulgi, ac Gentium opinione, Phœnicis historia, ac resurrectio recepta esset, nullo modo corporum nostrorum resurrectionem inficiari poterant, quandoquidem æquum non erat, nobis hominibus id negare, quod auiculæ(vt inquit Tertullianus) Arabicæ concederetur; quanuis certo certius sit, non omnes Sanctos Patres Phœnicis historia,velut apud omnes Gentes æquè recepta, ad ostendendam resurrectionem vsos fuisse; Sanctus enim Epiphanius in Ancorato narrationem hanc ab aliis creditam, ab aliis verò non creditam dicit, quam tamen ipse secundùm vulgi refert opinionem. Diuus Gregorius Nazianzenus. *Quòd si etiam cuiquam fidem facit hic sermo*, &c. Diuus verò Augustinus, *Si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur*;aiunt, vt vidimus. Beatus autem Maximus Monachus, & Martyr, cuius locum superiùs polliciti sumus, non modò his,quæ de Phœnice traduntur,fidem non adhibuit, verùm ea logicis, ac Physicis rationibus, nec non & sacræ etiam Scripturæ autoritate subuertere conatus est,neque infeliciter. sic enim ille; *Quòd si auis est Phœnix, etiam animal sit omnino necesse est; quòd si animal esse concedis, primùm non omnino potest illud esse singulare, quamũ*

sal-

ſaltem animal eſt; nullum enim ſolum animal. deinde ſi animal eſt, vtique corpus animatum ſimul, & ſenſu præditum. Iam ſi corpus eſt animatum, & ſenſu præditum, certè etiam generationi, & corruptioni obnoxium erit. Ipſos (ſi libet) ſapientes conſule, rerum, quæ exiſtunt, inſpectores, fierine poſſit, vt generationi quod obnoxium eſt, atque corruptioni corpus, animatum item, ac ſenſu præditum, ſingularis eſſe naturæ (ad exiſtentiam quod attinet) poſſit ? cùm aliorum in his ex aliis ſucceſſio euidentiſſimum ſit exiſtendi iudicium, certiſſimúſque terminus, quemadmodum id Scriptura ſacra ipſa teſtatur, iuſto illi Noëmo huius rei certitudinem exhibens, vbi Geneſeos ſeptimo ait ; Ingredere tu & omnis ; &c. itémque ex omnibus volatilibus, &c. in quibus ſi Phœnix, quòd alatum ille ſit animal, numerandus eſt, ſanè ſingularis quoad exiſtentiam naturæ non eſt, vt Deus ipſe pronuntiauit. Hæc ille. Iam verò, ſi ſanctos Patres non hæc pro veris tradidiſſe exiſtimamus, opus non erit prophanorum Scriptorum autoritatibus ſatisfacere, ſi quidem mendacia hæc Latinos à Græcis, Græcos ab Ægyptiis accepiſſe liquidò conſtat, quando fabulis hiſce fidem adhibuiſſe Antiquos concedamus: non enim adhuc liquet, cùm eorum aliqui, & quidem doctiſſimi in dubium hanc narrationem videantur reuocaſſe. Herodotus enim (vt vidimus) *ſibi non fieri veriſimile hoc excogitare,* affirmat; Horus Apollo nulla facta reſurrectionis mentione, quandoque contingere emori Phœnicem apud Heliopolim, ibi magna ſolemnitate à ſacerdotibus funerari. Ex hoc igitur autore falſum eſt, ſemper apud Ægyptios fato fungi,

gi, semper à se ipso funerari Phœnicem. Tacitus incerta esse, ac fabulosis aucta asserit ea, quæ de alite hoc narrantur. Plinius verò se nescire an fabulosè vnus in toto orbe dicatur Phœnix, ingenuè fatetur. Adde quòd ille, cui nihil naturalis scientiæ occultum fuit (ac si Auerroi credendum esset, neque possibilis) Aristoteles in illis, quos pro sua eruditione composuit de animaliũ generatione, ac historia libris, nullam vnquam mentionem Phœnicis fecit, cùm tamen, si dari credidisset tale animal, feciisset profectò: iam enim tunc temporis vulgata per orbem erat Phœnicis fabula, vt Herodoti, qui Aristotelem ætate præcessit, scriptis comprobatur. Sed neque eruditissimus Diodorus Siculus, neque diligentissimus Strabo meminerunt alicubi Phœnicis, cùm tamen vterque de Arabia, Ægypto, & India, déque earum animalibus latè tractauerit. Ego certè superioribus adductus rationibus nõ dari in rerum natura Phœnicem, vel si datur, non vnicum esse, sed plures, & breuiori viuentes tempore, semper credam: degere tamen eos in aliquibus inaccessis locis, vnde rarissimè ad nos illorum aliquis perueniat: indéque initium fabulæ singularitatis harum auium: quemadmodum nostris temporibus patefactum est immane quoddam mendacium circa naturam aliarũ auium, Bernestæ, seu Bernechæ dictarum, quæ in Hebridibus Insulis, Orcadibus, & Hibernia deprehenduntur: quarum fœtura cùm nullibi esset reperta, creditum vulgò est illas ex fructibus aut foliis quarundam arborum in mare decidentibus

generari,

generari, vſque ad annum 1596. in quo Hollandenſes quidam circa nouam Zemblam in auiculas has oua ſua fouentes inciderunt, vt ipſi ſcripto reſtati ſunt. Cautè iraque credenda hæc, quæ à communi naturæ vſu longè abhorrent. Si enim relinquere ſenſum propter fallaces rationes, impotentis eſſe iudicare, dixit Philoſophus: & ſenſum, & firmiſſimas rationes propter fallaces, aut non bene intellectas autoritates relinquere, longè impotentioris erit iudicij.

An verum ſit fuiſſe in rerum natura Centauros, ſiue Hippocentauros, aut Onocentauros.

CAPVT VIII.

CEntaurorum ſatis meminêre Poëtarum ſcripta, Græcorum æquè ac Latinorum, vetuſtiſſimi Heſiodi, Homeri, Sophoclis, Orphei, ſed Pindari præcipuè, ſicut & ex Latinis Ouidij, quanuis & de his etiam alij, Lucretius non vno in loco, in pluribus Vergilius, Horatius, Propertius, Manilius, Germanicus Cæſar, Lucanus, Papinius, Silius, Claudianus; illorum originem docent ex ſuprà dictis non

Heſiod. in Aſpide, ſeu ſcuto Herculis. Homer. Odyſſeæ l. 21. Sophocl. in Trachiniis. Orph. in Argonauticis. Pindar. in Pythiis Ode 2. Ouid. in Metamorph. & alib. Lucret. lib. 4. & 5. Vergil. Aeneid. 6. & 7. Horat. l. 1. Carm. Od. 13. Propert. l. 2. Manil. Aſtronom. 1. & 5. Germ. in Arat. Phœnom. Lucan. l. 3. & 6. P. Stat. l. 6. & 9. Thebaid. Silius l. 13. Claud. l. 2. de Raptu.

Lucan. vbi supra. pauci, optimè Pindarus, breuissimè conciuis meus Lucanus.

Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœta Peletroniis nubes effudit in antris.

Pylad. Theogen. l. 3. Clariùs autem aliquanto Burcardus Pylades in Theogonia.

At miser Ixion cœlo pietate receptus,
Conscius arcani cum Ioue factus erat.
Dúmque toros sternit molles, dum cætera tractat,
Iunonem est ausus sollicitare Deam:
Suppositáque ferox genuit de nube virorum
Corpora, Centauros, quadrupedúmque truces.

Seruius in Æneid. 6. Palephat. de non credend. fabul narrationibus. Didym. Odyss. 2. Natal. Mytholog. l. 7. c. 4. In Georg. l. 3. Chiliad. 7. hist. 99. Sed qui latiùs hanc narrationem videre velit, eiúsque allegoriam, Seruium legat, Palephatú, Didymum, ac Naralem de Comitibus, & alios complures, qui omnes in hoc ferè à Pindaro dissentiunt, quòd ille non à nube, & Ixione procreatos Centauros dicit, sed ab eo, qui ex nube genitus, & Ixione ex equarum Magnesiarum iuxta Pelium montem concubitu. Cæteri verò ab Ixione, & Nephele, hoc est, nube. Nominis etymon sumptum dicit Seruius ἀπὸ τῆ κεντεῖν τοὺς ταύρους, id est à pungendis tauris: aliter verò Ioannes Tzetzes nimirum à κεντῶ, quod est stimulator, & αὔρα, id est, aura, quasi stimulatores aërei, siue stimulantes auram. Quicquid tamen sit de nomine, & origine Centaurorum secundùm fabulas, nunc operæpretium erit inuestigare quid reuera de Centauris sentiendum sit, siue Onocentauris, aut Hippocentauris: proedem enim accipiuntur apud autores, atque ita variè legi asserit Erasmus in Plinij, ac Hieronymi

mi codicibus variis, quãtumuis Hippos equum, Onos asinum significet, forrasse quia quẽadmodum Centauri ab excellentia pungendorũ equorum dicti (vt ex Sophoclis interprete non malè adnotauit Couarruuias) ita & ipsimet Centauri à pungẽdorum asinorum dexteritate Onocẽtauri, nisi malis ab ὄνειον, quod est, potius, & melius, dictos Onocentauros, sicut & Hippocentauros ab ἵππος, quod in compositione magnum, & eximium significat. Et licèt hac de re aliqui egerint recentiores, vt Alciatus, Corrasius, Couarruuias, Delrius, Maiolus, & alij, tamen quia vel concisè, vel confusè nimis illi, latiùs aliquanto, & apertiùs hanc ventilabo quæstionem. Lucretius igitur philosophus potiùs, quàm poëta; quem huius opinionis antesignanum facere placuit, negat fuisse, aut esse posse Centauros.

Variar. l. 4. c. 2.

Alciat. l. Parerg. 9. c. 13.

Corras. Miscellan. 5. c. 2.

Couarruuias vbi suprà.

Delrius cõment. in Herc. Oèteum Senecæ.

Maiol. Dier. canicular. 1. p. colloq. 2.

Nam certè ex viuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animai.

& idem.

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in vllo
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.

lib. 4. lib. 5.

quod postquam aliquibus nisus est confirmare rationibus, concludit demum.

Ne fortè ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse.

Eodem l. 5.

Cicero. *Is planè perspiciet inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & Regem Agamemnonem nihil interesse.* Idem. *Nam si tantummodò ad cogitationem valent, nec habent vllam soliditatem, nec*

Tusculan. 1. De natura Deor. l. 1.

eminentiam, quid interest vtrùm de Hippocentauro, an de eo cogitemus? Et rursus. *Etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse, quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat?* Seneca noster. *Et hæc autem, quæ non sunt, rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tanquam Centauri, Gigantes, & quicquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam.* Claudius Gallenus impossibile esse ait, nasci potuisse Hippocentauros ex hominibus, & equis Magnesiis, qua de causa in Pindarum, qui id finxerit, inuehitur. Plutarchus. *Nam si in necessariis ad vitam acquiesceremus, non esset fœneratorum natio, vt non est Centaurorum, neque Gorgonum.* Maximus Tyrius Platonicus latè describens Centaurorum formam, ac Poëtarum inuentum fuisse affirmãs, hæc subdit. *Hæc sunt Centaurorum fictiones. Hoc Gorgones, Geriones, Cecropes sibi volunt.* Artemidorus Daldianus. *Quæcunque monstrosa sunt, & nequaquam possibilia, præter naturam intelliguntur, & rationem non habent, vt interdiu fiant, velut Hippocentauri, & Scylla, & similia.* Et alibi. *Quæcunque monstrosa sunt, & nequaquam possibilia, vt existant, velut Hippocentaurus, & Scylla,* &c. Solinus. *Ac ne in mõtes notos eamus, Pindum, & Othryn agitent, qui Laphitarum originem prosequuntur, Ossam, quos Centaurorum fabulis immorari iuuat.* Vbi tamen aduertendum aliquot antiqua Solini exẽplariá pro *fabulis*, *stabulis* habere, vt allusio sit ad Vergilianum illud.

De natura Deor. l. 2.

Epist. l. 8. epist. 59.

De vsu partium l. 3.

In tract. de non fœnerando.

Sermone 34.

l. 2. de Sõnior. interpr. c. 49.

l. 4. ca. 49.

Polyhist. ca. 23.

Æneid. 6. *Centauri in foribus stabulant.*

qui

qui Solini locus, si ita legatur, nihil faciet ad opinionem prædictam : illam tamen validè corroborat Iurisconsultorum , & sanctorum Patrũ autoritas ; sic enim Iustinianus Imperator. *At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest; dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit , inutilis erit stipulatio.* Quod idem docuerat priùs I. C. Celsus, dum affirmarat reiiciendam esse ex stipulatione conditionem de dãdo Hippocentauro, quia videlicet (vt ibi Accursius ait) Hippocentaurus animal fictum sit. Ex sanctis verò Patribus idem docuit Hispaniarum doctor Isidorus , idem docuerat & Augustinus. *His temporibus* (inquit) *fabulæ fictæ sunt de Triptolemo*, &c. *de Minotauro*, &c. *de Centauris, quòd equorum, hominúmque fuerit natura coniuncta.* In contrarium verò est aliorum opinio , affirmantium Hippocentauros esse vera , & non commentitia animalia , reueráque in rerum natura , & non in operatione duntaxat intellectus existere. Grauissimus autor , quin & oculatus testis id asseruit Plinius. *Claudius Cæsar scribit Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse; & nos principatu eius allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Meminit etiam huiusrei Phlegon Cæsaris libertus, meminit & Trallianus in libello de mirabilibus, & longæuis. Latiùs tamen de Onocentauris Ælianus, cuius integrum mihi liceat referre caput, non enim iniucunda fortasse lectio. *Onocentaurũ* (inquit) *quisquis vidit, non incredibile ducit , quod fama peruagatum est, Centauros fuisse , neque fictores,*

Instituit. de inutilibus stipulationibus. §. 1.

l. Si ita stipulatus 97. in prin. D. de verbor. oblig. & ibi Accursius.

l. Originũ 11.

De [illegible] l. 18. ca[illegible] 13.

l. nat. hist. 7. c. 3.

Apud Couarr. vbi suprà.

De hist. animalium li. 17. c. 9.

atque pictores in eorum descriptione errasse. Verùm sive reuera fuerint, sive omni cera flexibilior, & ad fingendum habilior fama illos finxerit, prætereo. De Onocentauro quidem mihi nunc est animus explicare, qua auditione, & fama accepi. Eum ipsum homini ore, & promissa barba similem esse, simul & collum, & pectus humanam speciem, similitudinémque gerere: mammas distantes ex pectore pendere: humeros, brachia humanam figuram habere: dorsum, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse: & quemadmodum asinum, sic cinereo colore esse: imum ventrem leuiter exalbescere: duplicem vsum ei manus præstare, nam celeritate, vbi sit opus, ea manus præcurrũt ante posteriores pedes: ex quo fit, vt non cæterorum quadrupedum cursu superetur: ac vbi rursus habet necesse vel cibum capere, vel aliud quiddam tollere, qui antea pedes essent, manus efficiuntur: túmque non graditur, sed insessione quiescit: animal est graui animi acerbitate, nam si capiatur, non ferens seruitutem, libertatis desiderio ab omni cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit. Hæc de Onocentauro Pythagoram narrare testatur Crates ex Mysio Pergamo profectus.

Asini aurei l. 4.

Adhuc Ælianus. Centauros etiam esse affirmare videtur Apuleius, qui quidem *semiferos* eos vocat. Sed & sanctorum etiam Patrum testimonio fulcitur opinio isthæc: Diuus enim Hieronymus ita in vita Pauli primi Eremitæ, Magni Antonij describens iter. *Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit, quo viso salutaris impressione signi armat frontem, & heus tu (inquit) quánam in parte hic seruus Dei habitat? at ille barbarum nescio quid infrendens,*

I c. ist. 1.

infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora ſenis blandum quæſiuit eloquium, & dexteræ protenſione manus cupitum indicat iter, & ſic patentes campos volucri tranſmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verùm hæc vtrùm Diabolus ad terrendum eum ſimulauerit, an (vt ſolet) eremus monſtruoſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus. Hæc licèt dubitanter de Hippocentauro grauiſſimus autor Hieronymus ſcriptis mandauit: quemadmodum & ex veruſtiſſimis ſcriptoribus Xenophon malè ab aliquibus pro contraria citatus ſententia; aliquando enim dubitat, aliquando verò potiùs videtur affirmare, eius verba hæc. *Quo fit vt maximè ex omnibus animalibus adamem Hippocentauros, ſi fuerunt; quippe qui tum hominis vterentur ante rem conſultandi prudentia, & manuũ artificio, tum haberent equi & velocitatem, & vires.* Et inferiùs. *Itaque hoc ſanè melius eſt, quàm Hippocentaurum eſſe natum, Hippocentauros enim arbitror multis carere bonis, quæ ab hominibus ſunt inuenta, vt iis ſcilicet eſt vtendum: multis item carere voluptatibus equis innatis, quonam pacto iis frui oportet. At ego ſi equitare didicero, cùm in equo fuero, agam ſcilicet, quæ Hippocentauri ſunt: cùm ex equo deſcendero, & cœnabo, & induar, & me quieti dabo, quemadmodum alij homines. Quare quid aliud ſim futurus, quàm diuiſus Hippocentaurus, ac rurſum compoſitus? Inſuper his etiam rebus Hippocentaurum anteibo; nam ille duobus proſpiciebat oculis, duabúſque auribus audiebat: at ego oculis quatuor coniectabo, & quatuor auribus præſentiam: aiunt enim equum*

De Pædia Cyri l. 4.

manifestare hominibus multa, quæ oculis prospicit; at multa significare auribus, quæ antè auditu percepit, &c. Ita Chrysantes apud Xenophontem. Sed quid per emendicata (vt ita dicam) suffragia huius opinionis quærirem autores? ipsamet id tenet Scriptura sacra apud Esaiam. *Et orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & pascua struthionum: & occurrent dæmonia, Onocentaurus, & Pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit Lamia, & inuenit sibi requiem,* &c. Vbi animaduertendum, quòd antiquissimus quidam meus Bibliorum liber ante centum triginta quatuor annos Venetiis excussus, aliter legit nimirum, *& occurrent dæmonia Onocentauris*; ad modum ferè versionis Septuaginta virorum, quæ quidem sæpius in hoc loco Onocentaurorum fecit mentionem, nam ab eo, in quo nostra habet; *& extendetur super eam mensura*; ita legunt Septuaginta; *Et immittetur super eam funiculus Geometriæ deserti, & Onocentauri habitabunt in ea, Principes eius non erunt: Reges enim, & magnates eius erunt in perditionem, & pullulabunt in ciuitatibus eorum spinea ligna, & in munitionibus eius: & erit caula Sirenum, & atrium struthionum, & occurrent dæmonia Onocentauris: & clamabunt alter ad alterũ: illic requiescent Onocentauri, inuenientes sibi requiem: ibi nidificauit Ericius, & saluauit terra filios eius cum securitate.* Ecce tibi non vno in loco Septuaginta viros Onocẽtauri facientes mentionẽ, quãuis verũ sit paraphrastem Chaldæum pro *Onocentauris*, *Cattis* vertere, quam lectionem Benedictus Arias Montanus

capite 34.

In Esaiæ ca. prædictum.

Montanus ſequutus, animalia dicit Hebræo ibi nomine ſignificari rapacia, & ferocia, veluti ſyluestres Cattos, ſeu potiùs feles, nobis *Gatos monreſes*; Verumenimuerò Vulgatæ noſtræ irrefragabilis fides, & Septuaginta virorum maxima autoritas plus ſatis huic ſuffragantur opinioni. Quaquidem perpenſa, & cum ſuperiori, quæ illi aduerſari videtur, collata, duo proculdubio ſtatuenda iudico. Primum, fabuloſum eſſe, dicere Centaurorum populos, qui ex parte homines, ex parte equi eſſent, aut aſini, rationéque & equina ſimul vterentur natura, vllibi gentium vnquam extitiſſe: idque vel Poëtarum fuiſſe inuentum, vel Theſſalorum certè ab effectu cognomen. Plinius de rerum agens inuentoribus. *Pugnare ex equo Theſſalos, qui Centauri appellati ſunt, habitantes ſecundùm Pelium montem*; qua de re omnino videndi Seruius, & Palephatus. Secũ dò, tenendum dico tam verum eſſe quàm quod veriſſimum, extitiſſe, & exiſtere poſſe hodie in rerum natura Hippocentauros, aut Onocentauros, id eſt monſtra quædam, & ferocia animalia rationis expertia, quæ ex equina partim, partim ex humana cõſtarent forma (formæ autem nomine ſiguram intelligo.) Quod ratione conuincitur, & exemplo: ratione, quia nimirum nullam in ſe mõſtrum hoc inuoluit contradictionem: neque vel tantulùm vrgent Lucretij, & aliorum argumentationes in contrarium à duplicitate naturæ, ſeminis diuerſitate, diſparitate membrorum, ætatum, & paſtus. Non enim duplicitatem admittimus naturæ; hoc enim impoſſibile eſſet, imò verò vni-

l. 7. cap. 16.

Seruius in Georg. 3. Palephat. vbi ſuprà.

cam naturam,& formam Hippocentauri scilicet, aut Onocentauri. Neque seminis diuersitas, aut disparitas membrorum obstant, vt in exemplis mox dicetur.Sed neque ætatum,aut pastus: Centauri enim cùm ex partialibus equi, & hominis constent formis,temperata ex vtriusque animalis vita fruẽtur ætate, non enim tam citò senescent, vt equi, neque tam longo tempore, quanto homines viuent,vescentúrque vel herbis, vel arborum fructibus, qui pastus multis mortalium cum belluis communis est Exemplo verò, quia quemadmodum ex equa, & asino, vel è conuerso mulos,ex cane, & vulpe vulpicanes, ex lupo, & cane Lyciscos nasci videmus, ita monstra hæc Onocẽtauros,ex hominis,& equæ,seu asinę commixtione nasci posse,credere par est,quemádmodum & in Inda accidere refert Plinius ex Duri. *Duri Indorum quosdam cum feris coire, mistosq; & semiferos esse partus.* Vnde bene Plutarchus in Gryllo, licèt aliter alibi,vt suprà dictum est. *Quando & capris tentauerunt viri, & scrophis, & equis illuderit mulieres quoque in bestiarum mares insanierunt, ex eiuscemodi enim nuptiis Minotauri vobis & Ægypanes,etiam meo iudicio sphinges suppullulant,& Centauri.* Maximè cùm ex Obsequente constet, Tiberio Graccho,M.Iuuentio Coss.Cere porcum humanis pedibus,& manibus natum, mulierẽ item serpentem peperisse viuum. L. Scipione,C.Norbano Coss.cuius & Plinius meminit, sicut & Alcipæ partus, quæ quidem Elephantum peperit. Xerxi Regi vulpem ex equa natam,Alexandro ex muliere mõstrum, quod superioris corporis partes

l.7.c.3

In libello de Prodigiis.

l.7.cap.3.

tes hominis, sed mortuas habuerit, inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes, ex muliere quoque vitulum natum affirmat Isidorus. Sed qui multa alia prodigiosorum partuum velit exempla, Franciscum de Bouistam Launai dominum consulat. Verùm necesse non est ex adulterina, & nefanda commixtione natos esse Hippocentauros asseuerare, cùm monstra hæc vel casu nasci, vel aliqua talium dari possit species, quemadmodum & Satyrorum, vt inferiùs dicetur, Cynamolgorum in Æthiopia, & India, canina habentium capita, hominum cætera, ex Plinio, Solino, Isidoro, Hippopodum, qui Septentrionalium quarundam insularum accolæ, de quibus Mela. *In his esse Oonas, qui ouis auium palustrium, & auenis tantùm alantur. Esse equinis pedibus Hippopodas.* Quem conceptis verbis secuti Plinius, Solinus, Isidorus noster, quorum etiam meminit Dionysij interpres, seu Priscianus in Periegesi.

l. Origin. 11

l. 6. c. 30. & l. 7. c. 2. Polyhist. c. 43. & 65. Origin. l. 11 Mela. l. 3. c. 6. Plin. l. 4. c. 13. Solin. c. 30. Isid. vbi sup.

Post Hippemolgi sunt, Hippopodesq; potentes.

Vnde concludendum dico sanctos Patres, & I.C. ita ferè conciliari posse, vt qui priorem sequuti sententiam Hippocentaurum dari negent, de eo intelligendi sint loqui, qualem describunt nobis Poëtæ, nimirum, & ratione, & equi etiam natura prædito; hoc enim quis non videt maximam inuoluere contradictionem? non verò contradicant secundæ dari posse affirmanti monstra hæc, quæ formam simul equi ex parte, & humanam etiam ex parte (rationem semper excipio) in se contineant. Sicut & secundæ opinionis autores nullo

modo

modo concedere voluisse credendum possibilem esse gentem illam, cùm tamen monstra hæc constanter asseuerent. Quod sensisse dixerim Seruium Grammaticũ, dum ad illud sexti Æneidos,

Centauri in foribus stabulant.

Bene in foribus (inquit) *quia ea, quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt.* Vbi *contra naturam*, id est prodigij loco, & præter assuetum naturæ ordinem intelligendum. Esse nanque monstra hæc ambigendum minimè ex suprà allatis, ratione nimirum, exemplo, & autoritate oculatorum testium, Plinij, & Antonij Magni, cui ne spectrum aliquod sub Centauri forma sese vidẽdum obtulisse credamus, sed verum potiùs Hippocentaurum, argumento id erit, quòd Hippocentaurus ille in vastissimis Ægypti solitudinibus visus, vnde allatum fuisse Claudio Imperatori Hippocentaurum, quem ipse vidit, testatus est Plinius. Desserta enim, & inuia loca (sed præcipuè eremus illa Ægyptia, vt & Aphricana) monstruosorum animalium feracissima sunt (vt ait Hieronymus) quandoquidem in iis Onocentauri reperiuntur, ac Satyri, ex quorum numero alterum in illo itinere Antonius, alterum se vidisse ipsemet retulit Hieronymus. Atque ita Esaias propheta loco superiùs adducto, Onocentauros, & Pilosos (quo nomine Faunos, & Satyros intelligunt interpretes, ego verò pace illorum, Simias potiùs, aut Cynocephalos crediderim significari) habitaturos esse Hierusalem prædixit; non ex eo quòd reuera animalia isthæc illa deberẽt incolere loca, quemadmodum neque struthiones, sed quòd ad eam

In vita Pauli

redigen

redigenda esset ciuitas quondam populosa vastitatem ac solitudinem, vt desertum potiùs, & Draconum cubile, struthionũ pascua, Onocentaurorum, & Pilosorum sedes, quàm vrbis alicuius vestigium videri deberet. Atque ita locum illum ex Diui Hieronymi doctrina bene interpretati sunt Arias Montanus, Ribera, atque alij nonnulli recentiores.

Arias Montanus in Esaiam. Ribera in Apocalyp.

An detur Monoceros in rerum natura, & an idem sit cum Rhinocerote.

CAPVT. IX.

RARA quæque, & parum oculis obuia, credibilia parum, nostris negata regionibus, aliis concessa vix credimus: vnde non immeritò Ludouicus Areostus egregius poëta Etrusscus ita cecinit.

Chi va lontan da la sua patria vede
Cose da quel che già credea lontane,
Che narrandole poi non se gli crede:
Estimato bugiardo ne rimane
Che 'l volgo sciocco non gli vuol dar fede
Se non le vede, e tocca chiare, e piane.

Orlãdo furios cant. 7.

Audiit, & audit multis abhinc sæculis Europa nostra nasci in Asia monocerotem vnicorne animal (& ideo ab Europæis ferè ita vocitatũ) cuius cornu

cornu præsentem vim aduersus omnia habeat venena. Cornu (si modò illud Monocerotis, nec supposititicium) visum sæpe in his partibus est, animal tamen nunquam : qua de causa fabulosum hodie creditum à multis, à multis idem cum Rhinocerote, ab aliis tamen nec commentitium, nec cum Rhinocerote vnum. Quapropter è literaria Republica fore existimaui, quæ tam apud antiquos, quàm apud recentiores de Monocerote inueneri m, in medium proferre. Et quidem primus (quod ego sciam) diligẽtissimus autor Strabo vnicornia proculdubio animalia, de quibus nunc sermo, inter Indicas retulit feras; sic enim ille; *Equos ibi vnicornes reperiri ceruinis capitibus*. ita enim ab omnibus ferè Monoceros describitur. Plinius de Indicis etiam agens feris. *Asperrimam autem* (inquit) *feram monocerotem reliquo corpore equo similem, capite cerno, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente : hanc feram viuam negant capi*. Plinij assecla Solinus. *Sed atrocissimum est Monoceros monstrum mugitu horrido, equino corpore, elephãti pedibus, cauda suilla, capite ceruino. Cornu è media eius fronte protenditur splendore mirifico ad longitudinem pedum quatuor, ita acutum vt quicquid impetat, facili eius ictu perforetur. viuus non venit in hominum potestatem, & interimi quidem potest, capi non potest*. Ælianus etiam de quibusdam inaccessibilibus Indiæ montibus, deque in eis degentibus feris loquens, hæc subdit. *In iis Monocerotem, quem vocant Cartazonon, numerant, eumq; magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere*

1. Geogra. 15.

l. 8. cap. 21.

Polyhist. c. 65.

De animal. histor. l. 16 c. 20.

dere dicunt, iubaq́ & pilis fuluũ esse, pedũ bonitate, & totius & totius corporis celeritate excellere, atque similiter vt elephantos pedum digitis indiuisis esse, apricaudam habere, inter supercilia cornu vno eodemq́ nigro, non leui quidem, sed versuras quasdam naturales habente, atque in acutissimum mucronem desinente ornatum existere, omniumq́ maximè animalium absonã vocem, & contentam emittere, ad alias quidem bestias ad se accedentes mansuescere, cum verò gregalibus suis pugnare, neque modò cum maribus naturali quadam contentione dissidere, sed contra etiam fœminas certare, pugnámque vsque ad mortem ingrauescere, nam & maximo robore præditus, & inexpugnabili cornu armatus est. desertissimas Regiones persequitur simul, & solitarius errat, coitus tempore ad fœminam mansuetè assuescit, & gregalis fit, cùm hoc tempus transierit, & ventrẽ fœmina ferre cœperit, rursus efferatur, & solus vagatur. Prasiorũ Regi illius pullos etiam nunc teneros aiunt deportari, eosdémque festis diebus ad pugnam committi ad robur ostendendum, nam integræ ætatis, & perfectæ nullum vnquam quisquam meminit captũ fuisse. Adhuc Ælianus. Recentiores, qui vel orbem lustrarunt, vel variæ insudarunt doctrinæ, varia etiam tradidêre de Monocerote: Vincentius enim in speculo ita de illo; *Monoceros est monstrum* 1.p.l.19.c.91.
equino corpore, ceruino capite, cauda suilla, pedibus elephantis, mugitu horrido, cornu tamen vno, scilicet acutissimo in medio frontis armatum, captum quidem perimi potest, sed nunquam domari, imò (vt dicit Iacobus) quod nunquam viuum in hominis potestatem venit, quia vinci se vernens, furore vitam exuit; Physiologus: Monoceros est animal pusillũ hœdo simile, acerrimum

habens

habens vnum cornu in capite. Ita Vincentius, mirum quàm omnibus contraria ex Physiologo. Marcus Paulus Venetus plurimis in locis reperiri vnicornu prodit apud Tartaros, scilicet in syluis Regni Mien; in Regno Indico Guzzerat, quod confine est Malabarico: præcipuè verò in Regno Basma Iauæ Maioris: frequentissima autem esse animalia hæc in Regno Lambri eiusdem Insulæ; eorum formam in hunc discribit modum. *Primùm quidem Monocerotes elephantis minores sunt, villo à bubalorum non dissimili, elephantinis pedibus, vnico in frõte cornu armati, quo neminem vnquam lædunt: est illis apri caput, semperq; in terram pronum in volutabro luti, suum more oblectatur, deformeq; animal est, cornu neminen prorsus petit, lingua tantum exerta, quæ pinnis armata est, lædit, ac genibus obuia petit, & substrata premit; neque vti fabula credendum, quod ignarum vulgus putat, à solis virginibus capi, falsum enim id omnino est.* Ludouicus Barthema Bononiensis, qui plurimas Asiæ, & Africæ regiones terrestri, ac maritimo perlustrauit itinere, Petra cognominis Arabiæ ciuitatis (vulgò *Meccha Bellonio*) Mahumetis pseudoprophetæ patriæ magnificentissimum describens templum, in suo itinerario hæc de Monocerote subdit. *Ex altera templi parte cors extat muro cincta, in qua duos vidimus Monocerotas, qui miraculi loco ibi ostenduntur (re admiratione verè digna) illorum forma hæc. Maior ad instar equini pulli mensium triginta est, cornu habens in frõte longitudinis trium ferme brachiorum. Alter minor ad equini pulli vnius anni modum, cornu habens quatuor palmis longum: predicti animalis color*

l.2.c.43.l.3. c.28.l.3.c.12 eodem l.3. cap.15.

dicto c.12. l.tertij.

l.1.cap. 17.

lor ſufuſcus, caput ceruinum, collum non admodum longum, breuibus, ac perraris crinibus ex altera parte pendentibus gracilibus, ac longis cruribus, veluti ceruinis, vngula pedum caprina, paululùm in anteriori diuiſa parte, in poſteriori verò crurium piloſus adeò, vt ferocior vel ex hoc videatur; ea tamen ferocitas manſuetudine, quam præ ſe fert, temperatur. Hæc duo animalia velut pretioſa, & rara, ac paucis conceſſa locis Sultano Petræ à quodam Æthiopum Rege illius expetente amicitiam dono ſunt miſſa. Reperiri etiam in quadam Æthiopiæ regione Monocerotas in nauigatione Petri de Sintra Luſitani retulit Ludouicus Cadamuſtius. Ioannes de Heſe presbyter Traiectenſis in ſuo Itinerario (quod tamen totum innumeris, ac portẽtoſis illis quidem ſcatet mendaciis fabulíſque) de quodam agens fluuio, qui à Sinai monte quatuor dierum itinere diſtat, iſthæc inuitâ, & craſsâ (vt aiunt) Mineruâ refert. *Et adhuc hodiernis temporibus, vt dicitur, animalia venenoſa intoxicant illam aquam poſt occaſum Solis, ſic quòd bouina de ea bibere non poſſunt. De mane verò poſt ortum Solis venit vnicornus, ponens cornu ſuum ad prædictum fluuium, expellendo venenum ex illo, vt in die cætera animalia ſumant potum, quod idem ipſe vidi.* Volaterranus. *Alterum Monoceros à Plinio libro 8. ponitur, aſperrima fera, reliquo corpore equo ſimili, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro in media fronte cubitorum duum eminente; naſcitur in Æthiopia, ac viuus mirimè capitur.* Nicolaus de Comitibus Venetus, venenatis rebus remedio eſſe Monocerotis cornu affirmat, illudq; animal reperiri in Mangi Orié-

Apud Rhamu. tom. 1.

Philologiæ l. 25.

In ſuo Itinerario.

talis Indiæ Prouincia. Paulus verò Iouius elegantissimus scriptor, de Regno agens Gogiano, quod supra Nili ortum in extrema penè Africa iacet, excelsis montibus, ac densissimis syluis immanium omnis generis belluarum plenis abundans, sic deinceps. *Idem affirmant de Monocerote, quod animal vnicorne à nostris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, bircina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod leuore candoreq; eburneo, & pallidis distinctum spiris ad obtundenda, hebetandaq; venena mirificam potestatem habere dicitur: cornu enim immisso, & per limphas circumducto fontes expiare perhibent, vt salubriter viuat, si inde viroſæ bestiæ præpotarint, id viuo animali non detrahi, cùm vllis insidiis intercipi nequeat: cornu tamen sponte decisum in desertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui ex senectæ vitiis renouante natura, vetus cornu exuunt, venantibusq; relinquunt. Hoc cornu Regiis impositum mensis, toxica siqua sint epulis indita, emisso statim admirabili sudore conuiuis prodere narrant. Ex his duos vidimus bicubitales brachiali ferè crassitudine: primum Venetiis, quod postea Senatus Solymano Turcarũ Imperatori dono misit: alterum pari propè magnitudine, sed præcisa cuspide argentea basi insertum: quod Clemens Pontifex Massiliam profectus, pro insigni munere ad Franciscum Regem detulit. Cæterùm de vi tantæ dotis in hac animante nihil plus affirmauerim, quàm quod euulgata fama credentibus suadet, cùm antiquorum autorum nemo, quod legerim, præter vnum Ælianum Græcum, quicquam de hac Monocerotis admiranda potestate memoriæ prodiderit.* Hactenus Iouius. Tot scriptorum non

Historiarũ l. 18.

contem

contemnendæ autoritatis doctrina asseritur Monoceros. Vnde iure miror sanctissimum æquè, atque eruditissimum virum Ambrosium scripsisse aliquando; *Cornua quomodo posuit vnicornuum requirendum, cùm ipse vnicornuus inter generationes ferarum (vt periti aiunt) non inueniatur.* Cùm tamen certo certius sit non modò animal prædicta forma, peculiari nomine vnicorne dictũ, existere in rerum natura: verùm pleraque etiam alia vnicornua animalia, veluti boues vnicornes Indici, de quibus Plinius. *In India & boues solidis vngulis vnicornes.* Solinus. *Sunt præterea boues vnicornes solidis vngulis, nec bifidis.* Sicut & in Aonia, quæ montana Bœotiæ pars. Oppianus de tauris agens.

lib. 11. de benedictionibus.

l. 8. cap. 20. cap. 53. aliàs 63.

Solipedes sunt Aonij varium genus vnicornes,
Et ex media cornu exitiosum attollunt fronte.

l. 2. de Venatione.

Boues item in Hercinia Germaniæ sylua, quos ita descripsit Cæsar. *Cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit celsius magisq; directũ his, quæ nobis nota sunt, cornibus, ab eius summo sicut palmæ, ramiq; latè diffundũtur.* Sũt & Asini Indici vnicornes, sunt & Rhinocerotes, de quibus mox. non ergo possunt vnicornua animalia inter generationes ferarum non inueniri; sed cur sanctissimus isthæc dixerit Doctor, si nos (fortè quia infirmioris sumus iudicij) adhuc latet, aliis elatioris ingenij scriptoribus perscrutandum relinquere satius erit. Monocerotem porrò eundem esse cum Rhinocerote hodie putant multi, neque absque anteriorum exemplo; Diuus enim Gregorius ita videtur docuisse, sic enim ille. *Rhinoceros iste, qui etiam Monoceros in Græcis exemplaribus*

De bell. Gallic. l. 6.

l. Moral. 31. cap. 13.

nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, vt nulla venantiũ virtute capiatur, sed sicut hi asserunt qui describendis naturis animalium laboriosa inuestigatione sudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate postposita, capu deponit, sicque ab eis, à quibus capi quæritur, repentè velut inermis inuenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat, ventrem aduersantium ferire perhibetur, vt cum ea, quæ molliora sunt, vulnerat, impugnantes se facilè sternat. Isidorus autẽ eisdem ferme verbis sic ex illo.

l. Origin. 12. c. 4. *Rhinoceros à Græcis vocatus, Latinè interpretatur in nare cornu, idem & Monoceros, ideò quòd vnum cornu in media fronte habeat pedum quatuor, ita acutum, & validum, vt quicquid impetierit, aut ventilet, aut perforet: nam & cum elephanto sæpe certamen habet, & in ventre vulneratum prosternit. Tantæ autem est fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur: sed sicut asserunt qui naturas animalium scripserunt, virgo puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita, caput ponit: sicque soporatus velut inermis capitur.* Idem in libris de animalibus tradit Albertus Magnus, addens Romę quoque à Pompeio ad spectacula exhibitum, eodémque cornu ad saxum limato etiam elephantem lædere. Hæc illi. Sed an verum sit, nécne, eundem esse cum Monocerote Rhinocerotem, quando iam Monocerotis formam descripsimus, ex Rhinocerotis, quam nunc apponemus, descriptione constabit. Illum igitur sic describit Diodorus.

lib. 22.

l. 4. cap. 3. *Est animal, quod ab re Rhinocerotem vocant, par vi-*

bu

bus elephanti, magnitudine inferior, pelle duriſſima, colore buxi. In ſummitate narium cornu gerit, ſimum forma, durumq; inſtar ferri. hoc pabuli cauſa cum elephanto certat: acuit enim ad ſaxa cornu, deinde cum elephante congreſſus, ventrem grauiter ictum cornu tanquam gladio proſcindit: hoc pacto pugnans beſtiam exanguem reddit. Strabo. *Fert* (Troglodytica) *etiam pardales fortiſſimas, & Rhinocerotes, qui* (*vt Artemidorus ait*) *longitudine paulùm ab elephantis ſuperantur, quod ſe Alexandriæ vidiſſe affirmat, ferè etiam quantùm ad altitudinem. Eius autem quem nos vidimus, color, non buxo, ſed elephanti ſimilis erat: magnitudo tauri, forma apro proxima, præſertim quod ad roſtrum attinet, dempto naſo, qui cornu quoddam eſt recuruum, omni oſſe durius. Eo pro armis vtuntur, quemadmodum aper dentibus. Habet etiam duo cingula, tanquam draconum volumina à dorſo vſque ad vterum circumeuntia, alterum iubam verſus, alterum ad lumbum. Nos hæc de eo dicimus, quẽ ipſi vidimus. Artemidorus addit id animal de paſtu cum elephante pugnare, & roſtro ſubire, ac ventrem eius conſcindere, niſi ab elephantis proboſcide, vel dẽtibus præuertatur.* lib. 16.

Adhuc ille. Plinius. *Iiſdem ludis* (ſcilicet Pompeij Magni) *& Rhinoceros vnius in nare cornu, qualis ſæpe viſus. Alter hic genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ, in dimicatione aluum maximè petens, quã ſcit eſſe molliorem, lõgitudo ei par, crura multo breuiora, color buxeus.* Vbi ſuprà.

Solinus. *Ante ludos C. Põpei Rhinocerota Romana ſpectacula neſciebãt; cui beſtiæ color buxeus, in naribus cornu vnicum, & repandum, quod ſubinde attritum cautibus in mucronem excitat, eoq; aduerſus elephantos præliatur. Par* Cap. 33.

ipsis propè longitudine, breuior cruribus naturali telo aluum petens, quam solùm intelligit ictibus suis peruiam. Ælianus. *Rhinocerotis figuram nimis valde frigidum esset describere, quũ permulti ex Græcis, & Romanis, qui illum viderunt, eius formam planè sciant: at enim vim & illius naturam actionum non alienum est exponere; quod in summa nare cornu gerit, cuius mucro acutus existit, ex eo nomen traxit, neque ipsum illud de robore concedit ferro: quod quidem ipsum cùm est contra elephantum pugnaturus, saxis exacuit, & limat: cætera non ei paria cum elephanto: nam hic & procerissimus est, & fortissimus. Cornu igitur cuspidato elephanti crura subiens, aluum discerpit, & lacerat: isque effuso sanguine decumbit. Pugna eorum est de pastionibus, pro iisque tuendis multi mori dicuntur: at si aluum non præoccuparit Rhinoceros, sed in aliam elephanti partem aberrarit, elephantinis dentibus distrahitur: ac tametsi eius pellis ea existat firmitate, vt ægrè iaculo pentrari queat, tamen tam violentus est elephanti impetus, vt eam traiiciat.* Xiphilinus etiam ex Dione in Augusto. *Est autem Rhinoceros similis elephanto, cornu iuxta nasum habens, quamobrem hoc nomine appellatus est.* Sed & Oppianus Græcus poëta.

De hist. animal.

lib 51.

Rhinoceros autem Oryge quidem est corpore violento

Non multo maior, paulum autem super summum nasum

Attollit cornu sæuum, acutum, atrocem gladium:

Illo æs perforarit impetu facto

Feriens, durúmque diuiserit saxum.

Ille tametsi validum inuadens elephantum,

Vbi suprà.

Sæpe

Sæpenumero mortuum talemet tantum reddit.
Leuiter porrò in flaua pulchricoma fronte,
Et tergo guttæ crebrò purpuraſcunt.

Et hæc ferè ſunt quæ de Rhinocerote ſcripſêre Antiqui, déque eius forma, quæ eadem omnino eſt cum ea Rhinocerotis illius, qui proximè præterito ſæculo Emanueli inclyto Luſitaniæ Regi viuus allatus eſt ex India, qui quidem Rex, vt erat magnificentiſſimus, inſigne dedit Olyſſipone ſpectaculum Rhinocerotis cum Elephanto certantis Anno Domini (vt Surius refert in ſui temporis commentariis) 1515. in quo certamine ſuccubuit Elephantus: cuius etiam rei meminit Ludouicus Granatenſis. Et eadem etiam forma viſus eſt paucis abhinc annis Rhinoceros alter Toleti, & Madriti noſtris diebus, cui tamen cornu illud, quod in nare gerit, erat reſecatum, excœcatique oculi. Ex quibus omnibus facilè poteſt intelligi quàm diuerſum animal ſit Monoceros dictum peculiari nomine, de quo iſthæc tractatio, ab eo quod Rhinoceros dicitur, licèt vtrumque vnico tantùm armatum ſit cornu. Quanuis malè (ni fallor) aliqui ex Martiale, & Pauſania geminum cornu habere Rhinocerotas contra omnem Antiquitatis autoritatem, imò & contra experientiam ipſam contendant, nam ex Martiale contrarium potiùs conuincitur, dum ait.

In introduct. ad ſymb. Fidei.

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

In Amphitheatr. ep. 9.

Verſus verò qui deinceps in alio de Rhinocerote Epigrammate legitur, mendoſus eſt; ſic enim circumferetur communiter.

Ibid.Epigr. 22. *Nanque grauem gemino cornu sic extulit vrsum,*
Reponendum nanque est in eo vbi *vrsum* habet, *vrum*, vt ita dicat.

Nanque grauem gemino cornu sic extulit Vrum,
Iactat vt impositas taurus ad astra pilas.

Et hoc modo grauem vrum gemino cornu, & nō Rhinocerotem intelligendum, vt optimè cum Iano Doëza sensit Hadrianus Iunius, valere iussis Calderini, Politiani, Bulengeri, & aliorum in hunc locum interpretationibus. Locus autem Pausaniæ nil nobis negotij faciet; ibi enim non de Rhinocerotibus propriè dictis, sed de tauris agit ille Æthiopicis, qui ex forma, & analogicè Rhinocerotes dicuntur, eo nimirum quòd cornu etiam in naso habeant, quid enim Rhinoceros, nisi in nare cornu? vt non malè post alios suprà citatos declarauit Politianus: quod vel ex ipsomet Pausaniæ loco facilè conuincitur, in hunc enim se habet modum. *Vidi & tauros Æthiopicos, quos ex euentu Rhinocerotas nominant: quia in narium extremitate vnum cuilibet cornu est enatum, & sub eo aliud non magnum. In capite autem prorsus nullum cornu gerunt.* Vnicorne igitur animal est Rhinoceros; atque ita intelligendum esse puto Septimium Tertullianum, Diuos Gregorium, & Isidorum, & omnes quorquot Rhinocerotem vnicornem appellant, non scilicet intellexisse, vnum atque idem animal esse illud quod propriè vnicorne dicitur, & quod Rhinoceros, sed eo quòd vnicum etiam cornu habeat Rhinoceros, generali, & aliis etiam animantibus communi nomine appellare illud voluisse: quòd enim de-

Miscell. c.56. Buleng.de Venat. Circi,& Amph. cap.19.

Miscellaneor.cap. 56.sup. dict. In Bœoticis l.9.

Tertullianus aduers. Proximam. Greg. & Isid.loc.suprà citato.

tur

tur vnicorne peculiari nomine ita appellarum,& quod distinctum sit à Rhinocerote, satis(vt credo) superiùs probatum remanet. Neque solùm prædictis prophanorum autoritatibus,verùm sacræ etiam Scripturæ testimonio poterit hoc affirmari. Psalmis enim 21.28.77.91. ac Esaiæ 34. vnicornis expressa fit mentio, nec non apud sanctos Patres, Iustinum Martyrem, & Alexandrinum Clementem malè à plerique citatum in Pædagogi cap. 4. cùm in 5. potiùs, & non alibi; *Qui sunt vnicornium cornuum amatores*; dicat. cuius etiam animalis meminit Diuus Damascenus. Rhinocerotis porrò in Vulgata nostra mentio etiam fit Numerorum 23. Deuteronomij 33. & Iob. 39. quanuis verum sit Græcam tralationem Μονοκέρωτα vertisse, vbicunque Hebræum Reem, seu Rem legitur in originali:sed Vulgatæ potiùs nostræ credendum Ecclesiæ totius Catholicæ autoritate confirmatæ. Cæterùm quia suprà ex Iouio tetigimus id quod vulgo persuasum est de vi, quam dicitur aduersus venena habere Monocerotis, siue Vnicornij cornu,non abs re erit, quid hac de re sentiamus, exponere iam in huius tractatus calce. Et quidem à nullo antiquorum mentionem fuisse factam talis huius cornu potestatis iure affirmat, quem modò nominauimus, Iouius; in hoc tamen fallitur, quòd ab vnico Æliano redactam fuisse in historiam refert. Ælianus nanque cùm de Monocerote ageret, de huiusmodi re (vt suprà vidimus) ne verbum quidem. Hanc tamen ille venenatis rebus medendi potestatem tribuit cornu Indici Asini, quem

In colloq. cum Tryphone Iudæo.

In Balaami historia.

etiam vnicornem esse superiùs diximus, & cuius meminêre Aristoteles; *At solipes, idémque vnicorne est, quanquam rarum, vt Asinus Indicus: ille enim, & vnicornis, & solipes est.* Et Plinius de iis animantibus agens, quibus cornua tribuit natura; *Nec Solipedum vlli, excepto Asino Indico, qui vno armatus est cornu.* Et inferiùs. *Cornigera ferè bisulca, solida vngula, & bicorne nullum, vnicorne Asinus tantùm Indicus.* De his porrò Asinis ita Ælianus; *Syluestres Asinos equis magnitudine non inferiores apud Indos nasci audio, eósque reliquo corpore albos, capite verò purpureo, oculisque nigris esse, cornúque in fronte gerere, cuius superius puniceum, inferius autem album, medium verò nigrum sit: atque hac varietate distinctis cornibus non omnes quidem Indos, sed potentiores, tanquam armillis quibusdam brachia ornantes, sic ea ipsa auro distinguentes bibere ex hoc cornu bibentem ab insanabilibus morbis tutum fieri, neque eum ipsum conuulsionibus corripi, neque sacro morbo tentari, neque venenis vllis ferunt; quin etiam si quid priùs pestilens biberit, tum id euomere, túmque ad sanitatem redire. Cùm autem cæteri Asini quibuscunque in terris sint, tam domestici, quàm syluestres, tum solipeda animalia non talos habeant; Asinos Indicos cornigeros Cresias inquit talis primùm, iísque nigris præditos esse,* &c. Hactenus Ælianus. Nicolaus de Comitibus Venetus in suo Itinerario cuiusdam meminit portentosi animalis (fortè illud Asinus hic Indicus, quale enim fortitum sit nomen non declarat hic autor, licèt Maiolus Rhinocerotem nominasse aliud agés dicat, cum quo tamen aliquam videtur habere similitudinem.)

De hist. Animal. l. 2. c. 1.

l. 11. c. 37.

Eod. l. c. 46.

De hist. animal. l. 4. c. 51.

Dier. Canicul. 1. p. col. 7

nem.) Hic igitur ſcriptor Mangi Orientalis Indiæ deſcribens Prouinciam ; *Eſt ibi etiam* (ait) *quoddam animal, caput habens porcino ſimile, caudã bouinæ, & vnicum in fronte cornu, velut vnicorni, ſed breuius, quanuis brachio longius, color illi, & proceritas velut elephanti, cum quo illi perpetuum bellum, cornu illud omni dicitur venenatæ rei remedio eſſe, qua de cauſa magno eſt in pretio.* Vulgò certè creditur ab omnibus cornu huic vnicornij dicti talẽ ineſſe naturalem vim, vt venena à cibo expellat, vel potu, & ideo in magna vbique gentium æſtimatione eſt. Vidimus nos Romæ duo, Clementis VIII. P. O. M. B. alterum ; alterum verò ipſius nepotis Illuſtriſſimi Principis Petri Cardinalis Aldobrandini, quæ quidem inter pretioſam vtriuſque ſupellectilem non minimo habebantur in pretio : vtrumque bicubitali longitudine, brachiali craſſitudine ; Videramus iam priùs aliud Toleti in Pharmacopolæ illius taberna, cui regio munere conceſſum, vt Theriaca ſolus conficiat : quod tamen multo erat breuius; vix enim palmum cum ſemiſſe implebat, & nigrius aliis, acutæ quidem cuſpidis, ſed adeò craſſum qua parte erat reſciſſum, vt vix tribus poſſet palmis orbis eius circumſcribi. Hoc verò cornu ingenuè faſſus mihi eſt Pharmacopola vnicornij non eſſe ; talem tamen ei ineſſe naturalem virtutem experimento ſe comperiſſe affirmauit, vt præſentem contra venena omnia vim haberet, qua de cauſa illud ipſe ſibi ad conficiendum Theriaca comparauerat ; cuius rei fides ſit penes autorem. Apponere tamen libuit Appollonij Thia-

nei

nei circa hoc sententiam non quidem illepidam, quam sic retulit Philostratus. *Asinos praterea syl-*
Vitæ Apollonij l. 3. *uestres in vicinis paludibus multos capi dicunt; esse autem huiusmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generosissimè pugnant. Conficere autem Indos ex illis cornibus pocula, asserúntque nullis morbis illo die affici, qui eiusmodi poculo potauerint, neque si vulnerati ferint, dolere: & ex igne etiam incolumes egredi, neque vllis venenis lædi, quæcunque nocendi gratia in potu dantur, iccirco Regum esse eadem pocula, & Regi tantùm eiusmodi feræ venationem permitti. Apollonium itaque feram aspexisse, eiúsque naturam cum admiratione considerasse ferunt. Interroganti autem Damidi, an sermoni, qui de poculo iam dicto ferebatur, fidem adhiberet: Adhibeo (inquit Apollonius) si huius regionis immortalem esse Regem intelxero: qui enim mihi, aut alteri cuicunque poculum ita salubre dare potest, nónne verisimilius est ipsum quotidie illo vti, & ex eo cornu frequenter ad extremam vsque plenitudinem bibere? nemo enim, vt puto, calumniabitur eum, qui tali poculo etiam inebrietur.* Hæc Philostratus. Sed quidquid sit de medica cornu Asini Indici virtute (Vnicornij enim propriè dicti cornu haud puto talem inesse potestatem; non enim tot latuisset veritatis, & arcanorum naturæ diligentissimos indagatores antiquos) cornua certè, quæ sub hoc nomine circumferuntur, neque Monocerotis, neque Indici Asini, sed neque Rhinocerotis etiam esse puto, sed vt plurimùm piscis potiùs cuiusdam, qui in Septentrionali plaga reperitur, Monocerotis dicti, eo quòd vnicum in fronte maximum cornu

nu habeat, de quo Olaus Magnus. *Monoceros eſt monſtrum marinum, habens in fronte cornu maximũ, quo naues obuias penetrare poſſit, ac deſtruere, & hominum multitudinem perdere, ſed in hoc pietas diuini numinis nauigantibus prouidit, cùm ferox ſit hæc bellua, tarditas ſua, quam habet maximam, præuiſa timentibus eius acceſſum, fugam concedit.* Cuius etiã piſcis meminit in Monocerote Albertus Magnus, & alii, qui de piſcibus copiosè tractarunt. Non itaque nos omnino circulatores cornua vẽditantes Monocerotis circumueniunt, ſi huius venditant piſcis cornua: ab illorum tamen emptione ſenſatus quiſque, ni ſuas in caſſum abire pecunias velit; abſtineat neceſſe eſt. Rerum Septentrion. l. 21 c. 10.

An pulmonem habeant piſces, & an reſpirent.

CAPVT X.

INTER omnes quidem conuenit, piſcibus etiam aliquibus & pulmonem ineſſe, & reſpirationem effectum pulmonis, quem Medici, ac Philoſophi flabellum cordis vocant, ij ſunt quotquot fiſtulam branchiarum loco habent, veluti Delphini, balenæ, vituli marini, & alia cete, ita docente Ariſtotele: ſic enim ille; *Spirant quæ fiſtulam habent omnia, & recipiunt aërem: haud enim carent pulmone.* l. 6. de Hiſt. animal. c. 12

l. Natur. Hist.9.c.7. *pulmone.* Quod etiam ex ipso,& aliis retulit Plinius,& apertiùs multo docuit experientia. Dissidium tamen maximum est inter Aristotelem, ac Plinium, eorúmque assectas circa reliquorum piscium naturam,cùm alter carere pisces pulmone,& respiratione; alter verò vel non carere pulmone,vel aliquam in eis viscerum partem vicem adimplere pulmonis asseuerarit, qua nimirum media illi respirent.Et vt Aristotelis priùs referamus placitum,carere pisces pulmone, & respiratione non vno in loco scripsit ille: in ipsius enim doctrina,quæcunque animalium habent pulmonem, respirant omnia, aliorum autem quæcunque non habent pulmonem, nullum respirat, vt in libello de vita & morte, & respiratione bene probauit, & in libris etiam de partibus animalium. sic igitur de piscibus Aristoteles. *At verò pulmo non omibus datus est;pisces enim,& omnino,qua branchias habent,carent pulmone.*& alibi.*Pulmonem atque arteriam* (habent scilicet) *omnia præter pisces.* Plinius autem mẽtione facta eorum piscium, qui confessione omnium spirant (vt suprà retulimus) & eorum etiam, qui nec pulmonem habere putantur à multis,nec spirare,subdit statim; *In qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrinæ indaginibus.Nec me protinus huic opinioni eorum accedere, haud dissimulo: quoniam & pulmonum vice aliis possunt alia spirabilia inesse viscera,ita volente natura: sicut & pro sanguine est multis alius humor.* Cuius opinionis quædam iacit ipse fundamenta, quæ referre non alienum erit ab instituto,si priùs,quod paulo antè de pulmonis of-

cap. 4. l.3.c.6. Hist. anim. l. 2.c. 15.

De part. anim.l.4.c.1.

l. Nat. hist. 9.c.7.

ficio,

ficio tetigimus, nunc manifestiùs tam ex Plinij, quàm ex Aristotelis doctrina referamus. De eo ita Aristoteles; *Pulmo igitur spirandi officio delegatus est, qui originem quidem sui motus accipit ex corde, sed sua tum amplitudine, tum inanitate aditum spiritui patefacit: cùm enim attollitur, influit spiritus, cùm contrahitur, effluit.* Plinius cùm de corde priùs egisset, hæc subdidit; *sub eo pulmo est, spirandiq; officina attrahens, ac reddens animam, idcirco spongiosus, ac fistulis inanibus cauus.* Quo posito, suam astruere conatur sententiam Plinius quibusdam argumentis, atque congruentiis. Primò enim non impossibile esse ait penetrare in aquas vitalem hunc halitum, quandoquidem in terras, quæ sunt spissioris naturæ, penetrat argumento animalium, quæ semper defossa viuunt, vt talpæ. Secundò, quia pisces æstiuo calore anhelare adnotati sunt sæpe, & tranquillo tempore velut oscitare. Deinde, quia confessione omnium dormiunt; nullus autem sine respiratione somno locus. Prætera bullantium aquarum sufflatio, luneq́ue effectu Concharum quoque corpora augescentia. Denique, quia auditum, & odoratum piscibus inesse non est dubium. Hæc omnia latiùs ille libri noni capite septimo per totum. Quibus satis (vt puto) fiet, si Aristotelicæ fundaméta opinionis breuiter perstringamus: his enim positis vnusquisque luce clariùs iudicare valebit vter eorum rectiùs circa hanc rem fuerit opinatus. Sic igitur Aristoteles; *Quæcunque autem branchias habent, omnia refrigerantur suscipientia aquam; habet autem branchias genus eorum, quæ cartilaginea vocantur, & aliorum, quæ*

l. 3. De partib. ca. 6.

l. 11. ca. 37.

l. De vita & morte, & Respir. c. 11.

quæ sine pedibus; sine pedibus autem pisces omnes: etenim quæ habent, secundùm similitudinem alarum habent; pedes autem habentium unum, habet branchiam solum eorum, quæ visa sunt, qui vocatur cordulus; simul autem pulmonem, & branchias nullum visum est unquam habens. Causa autem, quia pulmo quidem gratia refrigerationis à spiritu est (videtur enim & nomen accepisse pulmo propter susceptionem spiritus) branchiæ autem ad refrigerationem ab aqua; unum autem ad unum opportunum instrumentum: & una refrigeratio sufficiens est omnibus. Quare quoniã frustrà nihil videmus facientem naturam: duobus autem existentibus, alterum utique esset frustrà, propter hoc hæc quidem habent branchias; illa autem pulmonem; ambo autem nullum. Et inferiùs; *Tendit autem ex extremitate cordis fistula veneruia ad medium, qua continguntur inuicem omnes branchiæ. maxima igitur ista est; hinc autem & inde à corde protenduntur, & alteræ in extremitatem singularum brãchiarum, per quas refrigeratio fit ad cor, decurrens semper aqua per branchias. Eodem autem modo & respirantibus pectus sursum, & deorsum mouetur, frequenter suscipientibus spiritum & emittentibus, ut branchiæ piscibus.* Hæc ille, confutaris priùs & deinceps Democriti, Anaxagoræ, Diogenis, Platonis, & Empedoclis circa piscium respirationem opinionibus, & hoc validissimis, & immortali laude dignis rationibus. Sed & in libris de partibus animalium idem autor, *Pulmo* (ait) *ideo habetur, quia genus animalium quoddam pedestre est: calorem enim refrigerari necesse est, quod extrinsecus ea, quæ habent sanguinem, desiderant: sum enim*

Eodem l. c. 13.

l. 3. cap. 6.

enim calidiora: at quæ ſanguine carent, vel ſuo natiuo ſpiritu ſatis refrigerari poſsũt: extrinſecus autẽ vel aëre, vel aqua refrigerari neceſſe eſt: quamobrem piſciũ nullus habet pulmonem, ſed pro eo branchias obtinent, vt cùm de ſpiratione ageremus, retulimus: aquæ enim refrigerantur, vt aëre, quæ ſpirant. Hæc ſunt Ariſtotelicæ fundamenta doctrinæ, quæ adeò mihi arrident, vt in hanc ſententiam pedibus ire non dubitem: Plinianis enim argumentationibus maxima ex parte fit ſatis ex ſuprà dictis. Nec enim aut pulmo, aut aliqua pars viſcerum, quæ vicem pulmonis adimpleat, requiritur in piſcibus ad refrigerationem, cùm eam ipſi ex aqua ſumãt branchiarum ope: non itaque neceſſum erit admittere vitalem halitum in aquas penetrare ad hunc effectum, quemadmodum & in terras penetrare dicit Plinius, ſiquidem abſque eo ſola aquæ per branchias attractæ frigiditate piſcium corda refrigerantur. Videntur autem piſces æſtiuo tempore veluti anhelare, & oſcitare, branchias moritando ea de cauſa quòd æſtu calefacta aliquantulùm aqua, ipſis opus ſit, remoto calido ambiente branchiarum, frequenti motione frigidiorem, qua viuant, aquam quærere, quẽadmodũ & nos flabellis æſtiuo tẽpore facimus; nã ob defectũ huius refrigerationis, ſiue ab aëre, ſiue ab aqua tã reſpirantia, quàm aquatilia emoriuntur. Ariſtoteles; *Et reſpirantia quidem in pauco aëre, & eodem; aquatilia autem in pauca aqua, & eadem ſuffocantur: celeriter vtrumque ipſorum fit calidum: calefacit enim ſanguinis contactus vtrumque. calidus autem exiſtens ſanguis prohibet refrigerationem;* & De vita, & morte, & reſpirat. c. 13.

non potentibus mouere, respirantibus quidem pulmonem, aquatilibus autem branchias propter passionem, aut propter senectutem, tunc accidit mors. Ex hac etiam motitatione branchiarum proueniũt aliquandō bullæ in aqua: nam repercussa illis sæpius aqua, & vna aliam impellente sursum,& subintrante aliquantulùm aëris, bullæ fiant necesse est. Dormire etiam pisces fatetur ipsemet non vno in loco Aristoteles, sed ad somnum nō requiritur (contrà quàm credidit Plinius) respiratio, cùm tamen refrigeratio caloris cordis requiratur, quæ quidem branchiarum motione in piscibus sit, etiam dum dormiunt:nisi quando ex toto quiescunt tantisper,vt ait Aristoteles,neque parte alia,quàm cauda leuiter mouentur: ad pauxillum enim temporis frigiditas ambientis,refrigerationi cordis satis est. Sed neque concharum corpora lunæ effectu augescunt respirando, & suscipiendo aërem in Plenilunio,nisi ob eam quã ex Aristotele referemus, causam.*Laborant enim* (inquit ille)*testata omnia per frigus, & æstum,atque exuperantiam temporis pati nequeunt; Argumento est, quòd echinis euenit; habent enim id iam inde ab ortu natura, & pleniluniis uberius, & non quia per id tempus copiosiùs pascantur, vt quidam putant, sed quia noctes tepidiores sint propter lucem pleniorem; calorem enim desiderant, quoniam frigori patent, vtpote quæ sanguine careant.* Odoratũ porrò, & auditum piscibus esse,vt argumentatur Plinius,verum est, & pluribus id probat Aristoteles,licèt horum sensuum nullum in eis appareat membrum manifestum; quod enim tale videri potest per loca

l.4.c.10.& l. 6.c. 12.

De hist.animal.l.4.c.10.

l.4. de part. anim.c.5.

De hist animal.l.4 c.8.

narium,

narium, id non ad cerebrum vſque tranſmeat, ſed partim obſeptum, & cœcum mox deſinit, partim ad branchias fertur; non tamen ideo dicendum reſpirare piſces; horum enim ſenſuum ſenſatio ex communi omnium conſenſu in capite duntaxat, vnde in illis piſcium occultis inſtrumentis fiet etiam, neque quicquam commune cum reſpiratione habebit, cùm ad cor, & viſcera ſenſatio illa non pertineat: niſi dicas, quòd delati ad branchias ſonus, & odor ab aqua inde ad cor deferantur, quod futile eſſe nemo non videt. Ex omnibus igitur iam dictis facilè elici poteſt Ariſtotelicæ aſſertionis veritas; vt enim optimè dixit ille, cùm natura nihil faciat fruſtrà, dicendum non eſt dediſſe piſcibus pulmonem, quandoquidem habentibus branchias, quibus refrigeretur cor, alterum redundaret inſtrumentum refrigerationis, quod non eſt admittendum, quando etiam in iure noſtro, quod præcepta ſequitur naturæ, fruſtrà fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora, dicatur: & hoc ipſum manifeſtiſſimis etiam probatur argumentis; Piſcibus enim ideò non ineſt guttur, quia non indigent reſpiratione. Ariſtoteles; *Guttur ſpiritus cauſa datum eſt; hoc enim ſpiritum animalia trahunt, & reddunt, & reſpirando, & expirando. Quamobrem quæ carent pulmone, collo etiam carent, vt genus piſciũ.* Itidem neque vocem habent, quia nec reſpirationem. Idem Ariſtoteles; *Multa autem animalium vocem non habent, vt & quæ ſunt ſine ſanguine, & ſanguinem habentium piſces, & hoc rationabiliter, ſiquidem ſonus aëris motus eſt: ſed qui dicuntur vocem*

De part. an. l. 2. c. 3.

l. 2. de Anima, text 87.

Eodem l. text. 91. *edere, vt qui in Acheloo sunt pisces, sonant branchijs, aut quodam alio huiusmodi.* Et inferiùs. *Manifestum autem & cur pisces sine voce sunt: non enim habent guttur. hanc autem partem non habent, quia non recipiunt aërem, neque respirant.* Duobus etiam aliis argumentis id probat Aristoteles, cuius verbis ea nos referemus. *Præterea omnibus respirantibus, & trahentibus spiritum, videmus quendam motum fieri particulæ trahentis; in piscibus autem non accidit: nihil enim videntur mouere eorum, quæ circa ventrem, nisi branchias solùm & in humido, & in siccum incidentes cùm palpitant. Præterea cùm moriuntur suffocata in humidis omnia respirantia, fiunt ampullæ spiritu exeunte violenter, vt siquis cogat testudines, aut ranas, aut aliquid aliud talium generum: in piscibus autem non accidit, experientibus omnem modum, tanquã non habentibus spiritum de foris vllum.* Adhuc ille.

De vita, & morte, & respirat. c. 5.

Antiq. lect. l. 4. c. 15. Quibus, vt puto, motus rationibus Rhodiginus spretis aliorum, & Plinij etiam sententiis, Aristoteli in hac parte iure optimo adhæsit, vt & nos nunc facimus lubentes.

An

An verum sit pisces alicubi fossiles dari.

CAPVT XI.

FOssiles pisces in aliquibus reperiri terrarum tractibus, qui tale ideo sortiti sunt nomen, quòd effossa terra cuniculorum, aut talparum more, inde extrahantur, graues certè tradidêre autores, quod quia creditu difficile est, atque à naturæ ordine longè discretum, verũ sit nécne, examinare nũc libuit, cùm præcipuè ad nostram Hispaniam, quâ Pyrenea protendit iuga, etiam pertineat. Aristoteles igitur in libello de mirandis auditionibus (simodò Aristotelis liber ille est, & non Theophrasti, vt non leui coniectura Maiolus, & alij opinantur) hæc de his piscibus. *Circa Babylonis rigua decedentibus fluuiis in cauernas aqueas hebetes pisces nonnullos remanere proditur, quos inde exire ad pabula pinnulis gradientes crebro caudæ motu, contráque venantes refugere in suas cauernas, & in his obuersos stare, ac sæpenumero viros aliquos eorum cauernas ingredi, ipsosq; irritare aiunt. Illorum autem capita ranæ marinæ proxima extant, reliquæ partes, gobiis, branchiæ cæteris piscibus.* Idem mox. *In Heraclea, quæ in Ponto est, & in Rhegio defossos pisces innasci legitur, qui iuxta amnes aquatilesq; regiones incolunt; cùm verò certo tempore*

Dierũ Canicular. colloq. 9. Arist. l. dicto. c. 69.

Cap. 70.

hæc exsiccantur, exarescuntq́, in terram iter contendũt; postea autem terra magis desiccata, humorem insectantes ad sylvam confugiunt; postremò verò hac arefacta, adhuc in humore perseverant, quemadmodum animalia, quæ in latebris remorantur; cùm autem eos effodiunt, antequam aquarum successio eueniat, motu demum corporum ipsos viuere approbant. Et deinde.

cap. 71. *Apud Paphlagoniam effossos ex altis scrobibus pisces oriri asserunt, virtute quidem præstantissimos in locis, vbi nullæ propè restagnant aquæ, sola tellure vitam illis*

c.87. *suppetente.* Demum ipse; *Circa Liguriam in Massiliensium agro stagnum quoddam reperiri asserunt, quod ebullire, ac aquas supereffundere aiunt, tantáq́ piscium copiam eiicere, vt nec credere dignum sit. Cùm verò Etesiæ efflant, terræ puluerem super se obducit, eunq́ talem illic procreat, vt superficiem eius ceu solum firmet. Ceterùm indigenæ tridente id interrumpunt, & quotquot pisces voluerint, promptè excipiunt.* Adhuc

l.8,c.1. Aristoteles. Athenęus; *Opus est autẽ* (inquit ex persona Democriti) *vt vos etiam pisces, effossos dictos in obsoniũ parũ capiatis, qui nascuntur in Heraclea, & apud Tium Milesiorum coloniam; de quo scribit Theophrastus. Hic idem Philosophus de piscibus in glacie per hyemem compactis, qui non priùs sentiunt, aut mouentur, quàm in ollas conjecti coquantur. Illud propriũ est, quòd præter hos, iis piscibus accidit in Paphlagonia, qui effossi dicuntur: nam in profundum in iis locis excauari inquit, quæ neque fluuiorum, neque calidarum aquarum habeant fluxus, pisceſq́ ibi viuos inueniri.* Idem paulo inferiùs. *Polybius libro trigesimo quarto historiarum planitiem esse inquit, post Pyrenem ad Narbonẽ vsque fluuium, per quã Illybernis, & Roscy-*

nus

nus fluuij ciuitates à Celtis conditas eiuſdem nominis alluentes defluunt, in qua piſces ſint effoſſi. habet autem hæc planicies terram exolutam, multúmque gramen innatum: ſubter terra eſt ſabuloſa ad duas vel tres vlnas, ſub qua aqua inuenitur, quæ à fluminibus aberrauit, in qua piſces ſub terra diſcurrunt per riuos ipſos cibi gratia, quia graminis radicibus mirum in modum delectantur, totam planiciem idcirco piſces ſubterranei occuparunt, quos excauantes capiunt. Hæc ille. Strabo l. Geog. 4. etiam. *E Pyrena fluunt Roſcyno, & Illybernis, vterque vrbem habens cognominem: Roſcynoni etiam lacus eſt propinquus, ac paulo ſupra mare locus aquoſus, plenus ſalinarum, is etiam foſſiles habet mugiles; vbi enim duos, aut tres pedes foderis, immiſſo in aquam limoſam tridente configere licet piſcem eum iuſtæ magnitudinis, is alitur limo ſicut anguillæ.* & mox; *Retuli iam antè vnum huius litoris miraculum de foſſilibus piſcibus.* Plinius eadẽ prorſus verba Ariſtotelis retulit de ſubterraneis piſcibus, niſi quòd quemadmodum Athenæus, non Ariſtoteli, ſed Theophraſto id tribuit, & piſcium Narbonenſis agri nullam fecit mentionem, cuius locum vt aliquanto diffuſiorem hic apponere non placuit. Verùm, licèt tot habeat aſſertores hæc narratio (nam præter antiquos, id ex recentioribus Leonicenus Ioannes Camers, Caſaubonus, Maiolus, & alij pro vero retulêre) nulla inniti videtur veritate. Primò enim certo certius eſt, ac poinde vulgatiſſimum, nullum animal extra ſuum viuere poſſe elementum, atque ita quemadmodum pereat neceſſe eſt, quodcunque terreſtre, aut volatile, quod in aquas ad longiuſculum tempus immittatur:*

l. nat. hiſt. 9. c. 57.

Leon. Variæ hiſt. l. 2. 15. & l. 3. c. 12. Camers in Solinum. c. 56. Caſaub. in Stranonẽ. Maiol. Can. colloq. 9.

ita etiam & quodcunque aquatile, aqua carens, ac terra opertum animam exhalet necesse est, ni iam piscium illud naturam exuisse, ac in vermem mutarum dicamus. Secundò, impossibile id esse probatur vel in doctrina eorum, qui respirare pisces credunt, vel in eorum, qui non respirare, quod certius esse nos demonstrauimus: si enim pisces ij mugiles terræ sunt veluti inserti, quomodo aëre ad respirationem necessariò fruentur? Talpæ enim, quamuis defossæ viuant, viuunt tamen aëris ope, qui quidem per aliquas fistulas illas suas subingreditur cauernulas pro corporis sui mole satis amplas; si verò branchiarum auxilio sua humectant, & refrigerant corda pisces, aquam attrahentes, elementum nimirum frigidum, humidũ, fluidúmque, quomodo terra elemento quantunuis frigido, sicco tamen, & concreto viuere poterunt, quod quidẽ nec dimouere brãchiis valẽt? Vnde facetè quidẽ noster Seneca hãc irridet fabellã; cũ enim ex Theophrasto pisces alicubi è terra erui retulisset, hęc subiũgit;

Natural. quæst. l. 3. c. 17.

Multa hoc loco tibi in mentem venêre, quæ vrbane in re incredibili fabulosęq; dicas: Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum. Expecto vt aliquis in mari venetur. Quid est autem quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes. Vltimò, fabulosum id esse in cæteris partibus, exemplo eius quod antiqui in nostra finxêre Hispania, argumento à paritate rationis ducto manifestè deprehenditur. Dixêre vno ore Græci omnes (Aristotelem excipias, qui etiam in eo errauit, quòd in Massi liensium

ſium agro circa Liguriam hoc euenire ſcripſit) piſces hos è terra extrahi in Roſcynonenſi agro (vulgò *Condado de Ruyſſellon.*) At quàm longè à vero aberrauerint Græci in huius noſtræ occidentalis Europæ rebus enarrandis (vt nos alibi diximus, & dicemus inferiùs) autoritate Pomponij Melæ noſtratis comprobabo. Is enim ſic; *Vltrà eſt Leucata litoris nomõ, & Salſulæ fons non dulcibus, ſed ſalſioribus, quàm marinæ ſint, aquis defluens; iuxtà campus minuta arundine, gracilig̃ peruiridis, cæterùm ſtagno ſubeunte ſuſpenſus: id manifeſtat media pars eius, quæ abſciſſa proximis velut inſula natat, pelliq̃ ſe, atque attrahi patitur. Quin & ex iis, quæ ad imum perfuſa ſunt, fuffuſum mare oſtenditur: Vnde Graiis, noſtriſq̃ etiam autoribus verine ignorantia, an prudentibus etiam mendacij libidine viſum eſt tradere poſteris, in ea regione piſcem è terra penitus erui, qui vbi ex alto penetrauit huc vſque per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur.* Ita Mela. Ecce tibi indigenæ teſtimonium, Græcos, cæteróſque qui hac de re ſcripſerunt, aut ignorantiæ, aut mendacij conuincens. Sed & alterius recentioris, oculati teſtis autoritate antiquitas redarguitur, Gaſparis nimirum Barrerij Luſitani; is enim ſe hunc Salſularum (vulgò *Salſas*) fontem vidiſſe refert, haberéque illum circumferentiæ 160. altitudinis vero ad 70. aut 80. palmos, ſalſumque eſſe, ac prope viam ſitum, qua Salſulis Narbonem itur, exoneraréque ſe in lacum quédá dimidio leucæ, ſeu milliaribus duobus ab illo diſtantem, per meatus quoſdam, qui quandoque gramine, & cannis cooperiuntur, per quos etiam

1.2.cap.

In ſua Chorographia.

è lacu optimi pisces tam æstate, quàm hyeme in fontem ascendunt, inibíque à Perpinianensibus piscatoribus obstructis meatibus capiuntur diuersis retium generibus, & non fuscina, aut tridente excauata terra, quemadmodum scripserant antiqui, excepto Mela, cuius testimonium iure laudat Barrerius, sicut & reprehendit Græcos, præcipuè verò Polybium, non ob ea duntaxat, quæ de fossilibus piscibus scripserunt, sed quòd campum illum fluuiis duobus Roscyno, & Illyberni intersecari affirmarint, cùm tamen longè ab eo campo, vbi fons est, hæc distent flumina. Sed quid miretur ille Græcorum impostura, si Aristoteles illorum scientissimus (quem tamen aliàs nos, & laudamus, & suspicimus) Danubium è Pyrenis oriri scripsit? si Tragicus Æschylus Italum Eridanum hodie Pó, Hispaniæ fluuiú fecit, eumdémque cum Gallico Rhodano? Si Euripides, & Appollonius Rhodanum in Adriaticú defluere dixerunt? Si deniq; Ephorus Historicus apud Iosephum Hispaniam vnicam tantùm ciuitatem esse testatus est? Iure igitur abroganda illis fides in rebus præcipuè ad has Europæ nostræ occiduas partes pertinentibus, meritóque diligentissimus autor Plinius, qui aliquando Hispaniæ cum imperio præfuit, cùm cætera ex Theophrasto retulisset de fossilibus piscibus, totam hanc de Roscynonensis campi terrestri piscatione narrationem omnino tacuit, in honorem fortasse antiquitatis: sed neque reliquis Theophrasti narrationibus plenam illũ adhibuisse fidem (vt erat iudicioſissimus) nullus non videbit; re-

l.1. contra Appionem.

censitis

censitis enim Theophrasti opinionibus, demum concludit; *Quidquid est hoc, certè minùs admirabile* Vbi suprà. *facit talparum vita, subterranei animalis, nisi fortè vermium terrenorum & piscibus natura est.* Dicendum igitur, fabulosum esse id omne, quod de subterraneis piscibus Græci scripsêre, vt ex iam dictis patet, nec non ex Liuij immortalis memoriæ historici doctrina, nostram confirmante sententiam; ille enim maximi prodigij loco inter alia quædam: *In Gallico agro, qua induceretur aratrum* l. hist. 42. *subexistentibus glebis pisces emersisse*, retulit; non itaque pisces concedemus effossiles, nisi fortè in aliqua aquarum vena, quæ terra latuerit operta; ex ea enim derecta, quemadmodum & ex puteis, aliquando pisces extrahi poterunt; cęterùm ingrati, ac noxij saporis, & non iucundi, ac salubris, vt de Paphlagonicis, ac Roscynonensibus piscibus dixerant antiqui: id enim reperiri non potest in piscibus luce carentibus, quemadmodum pro colophone, Senecæ nostri probabo testimonio, qui sic; *Sed vt ad propositum reuertar, accipe argumentum magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem fœdo situ piscium: si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, ac turpem, ac noxiam gustu. Certè cùm in Caria circa Myndum vrbem talis exilisset vnda, periêre quicũque illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo nouus amnis ostendit. Nec id mirum; erant enim pinguia, & differta, vt ex longo otio corpora; cæterùm inexercitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur.* Natural. quæstionũ l. 3. cap. 19.

An

An verum sit viperas in Venerem furentes suos mares trucidare, ipsasque deinde dirupto utero à filiis nasci gestientibus occidi.

CAPVT XII.

RIdebis fortasse in re adeò vulgari laborem impensum, ac nihil æquè frequenter à concionatoribus pro suggesto audisse te iurabis, credam. Scriptitatum hoc ab antiquiorum plurimis à nonnullis recentiorum, dices. Fatebor. Parum referre inquies, veráne sint, nécne, quæ de viperæ conceptu, partúve vulgò creduntur. At ibo inficias. quid enim vel in re leuissima splendidius veritate? quid mendacio obscurius? qui enim quouis mendacij genere delectatur, is & nihilo, & minimè bono: aliquid enim bonum, ac verum. Dicam ergo, quid hac de re scripserint alij, dicam quid sentiam: quòd si nihil aliud boni, at certè amicis ita iubentibus obsequium præstiterim. Antiquissimus igitur Herodotus in suæ
siue l. 3. Thalia ita hac de re; *Quare si viperæ, & alati Arabiæ serpentes ita gignerentur, vt ipsorum natura ferri, non esset hominibus viuendi facultas. Nunc autem cùm libidine agitantur, & per paria coëunt, fœmina*

collum

collum maris in emittenda genitura comprehendit, ſorbénſque non priùs dimittit, quàm deuorauerit: & mas quidem hoc modo perit. Fœmina verò talem luit maſculo pœnam: quia filij, dum adhuc intra vterum ſunt, patrem vlciſcentes, matricem ambedunt: eiuſq; aluo ambeſa, ita partum faciunt. Horus Apollo Niliacus; *Liberos matri inſidiantes vt demonſtrent, viperam pingunt. nam hæc non iuxta cæterorum animantium naturam in lucem editur, ſed exeſo diruptoq; matris prodit vtero.* Plinius; *Viperæ mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua vnius coloris, & mollia, vt piſces. Tertia die intra vterum catulos excludit: deinde ſingulos diebus ſingulis parit, viginti ferè numero. Itaque cæteræ tarditatis impatientes perrumpunt: lateram, occiſa parente.* Plutarchus. *Acus memorant, & viperas cùm enituntur, dirumpi.* Ælianus. *Vipera ſua circumplicatus fœmina cum ea coit; hæc verò ſine moleſtia iniri ſe patitur, poſtquam ad coëundi finem peruenerunt, vxor pro coitus conſuetudine, mala ſignificatione amoris maritum excipit: nam ei ad collum inhærens, morſu abſcindit caput. Itaque ex viperino coitu hæc perit; illa verò prægnans efficitur; non autem oua parit, ſed animantes partus edit, iamiam idoneos natura ad perniciem inferendam. In ipſo enim partu matris aluum diſtrahunt, & lacerant, perq; diſruptum ventrem erumpunt, vlciſcentes patrem in hunc modum.* Hæc ille ex Herodoti ſententia; ex Theophraſti enim paulo diuerſa. *Viperæ catulos Theophraſtus ſcribit parentis vterum non exedere, atque conficere: neque ſanè, vt quiddam ludens dicam, foribus effractis obſtructum exitum perrumpere, ſed fœminam*

Hieroglyphic. 56.

l. 10. c. 62.

De Garrulitate.

De animal. hiſt. l. 1. c. 25.

Animal. hiſt. l. 15. c. 16.

nam vteri angustiis compulsam non parere, sed disrumpi. Cuius sententia ita rem habere mihi ad veritatem planè persuadet, si quidem marinæ Acus, quia tenues sint, & haud quaquam sinuosam, & capacem aluum habeant: iccirco similiter à suis fœtibus afficiuntur. Etsi iam antè fabulosè viperarum partus descripsi, tamen ne mihi Herodotus succenseat, quale ipse conscripsit. Apuleius. *Vipera, vt audio, exeso matris vtero in lucem proserpit, atq; ita parricidio gignitur.* Cl. Galenus de Theriaca ad Pisonem. *Ferunt enim ipsam* (viperam) *ore adaperto maris semen excipere: quod cùm fecerit, insertum illius caput præcidere hùncque viperis esse congressus morem: ex eo semine postea natos fœtus naturâ taciteè vltionẽ procurãte, genitricis ventrem rodendo diuidere; atq; ita foras exilientes in patris vindictam matrem occidere. Hæc nobis Nicander suis in carminibus eleganter describit; sunt autem hæc.*

Apologia pro se ipso 2. Cap. 9.

In Theriacis.

O triuium moneo fugias, & aperta viator,
Distinctis maculis quoties mas vipera nigris
Congressum vitat, dentesq; subire maritæ
Diffugit, exardens tunc illa Cupidinis ira
Insequitur, saltuq; viri conatibus obstat.
Donec ab occursu, & Veneris dulcedine captus
Vxori demens caput inserit, illa mariti
Ora fouet, lambitq; diu, compressaq; tandem
Colla secat: tali prægnans de semine gestat
Progeniem, matris fraudes, cædemq; parentis
Vlturam, fracta cùm mox prorumpit ab aluo.

Quod ipsum Ænigmatũ scriptor Sympositus antiquus, & non infacetus poëta carmine ita descripsit.

Non

Non possum nasci, si non occidero matrem. Ænigmat. 5
Occidi matrem, sed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.

Et huc pertinere aiunt quidam illud cõciuis mei Lucani, licèt aliter meo iudicio se res habeat.

Viperei coëunt abrupto corpore nodi. lib. 6.

Ita enim legi in omnibus tam antiquis, quàm nouis exemplaribus inuenio, neque pro *nodi, nati*, vt noster legit Isidorus inferiùs citandus. Hanc verò opinionem sequuti etiam sunt ex sanctis Patribus complures. Diuus Athanasius. *Quare Baptista vocat Iudæos progeniem viperarum? quia illa bestia suæ matris ventrem exedit, & sic demum egreditur. qualia etiam isti patricidia patrauerunt, suos interficientes doctores, & prophetas*, &c. In Quæstionibus ad Antiochum quæst. 56. Sanctus Epiphanius. *Sic sanè tradunt & doloris pariendi exortem viperam concupiscentiæ affectu demulsam, tum fœminam ad masculum, tum masculum ad fœminam circumplicari, & simul per os hiante fœmina masculum caput immittere, illam verò affectu detentam, huius caput abscindere, & sic ab ore distillans virus in se ipsam deglutire, & ipsam ex hoc gemellos masculum, & fœminam concipere, qui in ventre maturi facti, & non habentes vnde gignantur, latus matris sauciant, & sic gignuntur, vt pater, & mater eorum pereat; Quapropter nomen inditum ex eo quòd dolores partus non experiatur. Grauis & horrida super omnia reptilia est vipera, ipsa in se ipsam interitum operans, & per os turpitudinem concipiens.* Hæresi 26. Adhuc ille. Magnus Basilius. *Et viperas vtero matris eroso, fama est in lucem exire, decentes scilicet mercedes præmiaq; parentibus reddentes.* Hexam. homil. 9. Diuus Hieronymus in epistola ad Præsidium Diaconum

Tomo 4.

Diaconum (si modò Hieronymi est integra illa epistola.) *Viperæ per os coitum faciũt, masculi mortem contemnunt, sed fœmina in ipso coitu, siue magna dulcedine exagitata, siue futuri præscia periculi, dum absorbet semen, caput masculi abscindit, & sic eum occidit, sed cùm conceperit, viscera illius ab ipsis, quos concepit, comeduntur, & sic matrem occidunt.* Sanctus Augustinus. *Et sicut aiunt viperas dilacerato, & diruptoillo ipso materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci.* Isidorus Pelusiota. *Viperarum progeniem Ioannes Iudæos appellauit, vt improborum parentum improbiores fœtus; aiunt enim hanc feram maternum ventrem cùm in lucem editur, arrodere.* Gregorius Magnus. *Viperæ cùm conceperint, filij earum in ventre sæuiunt, qui ruptis lateribus matrum, ex earum ventribus procedunt, vnde & vipera, eo quòd vi pariat, nominatur. Vipera itaque sic nascitur, vt violenter exeat, & cum matris suæ extinctione producatur.* Noster Isidorus. *Vipera dicta, quòd vi pariat, nam cùm venter eius ad partum intumuerit, catuli non expectantes naturæ maturam solutionem, sed corrosis eius lateribus, vi erumpunt cum matris interitu. Lucanus; Viperei coëunt abrupto corpore nati. Fertur autem, quòd masculus ore inserto viperæ semen expuat. Illa autem ex voluptate libidinis in rabiem versa, caput maris ore receptum præcidit, ita fit vt parẽs vterque pereat, masculus dum coit, fœmina dum parturit.* Idem etiam sensit Euthymius in Matthæum. Ex recentioribus verò hanc sequutus opinionem Rhodiginus, sequutus Volateranus, sed mordicùs illam tenent Solimparaphrastes, Iulius Camers, Simon Maiolus, & nonnulli alij, cui certè & nominis etymologiam

Sermone 83. de Tẽp.

l. 1. epist. 105.

l. Moral. 15. cap. 7.

Originum l. 12. c. 4.

Rhodig. l. 6. c. 13.

Volater. philolog. l. 25.

Maiolus Canicul. 1. p. colloq. 8.

tam

ram Latina, quàm Græca videtur ſuffragari, neque parum fauere ratio ipſa. Vipera enim Latinè dicitur hoc animal, quòd vi pariat, teſtibus, vt vidimus, Gregorio, & Iſidoro. Ἔχιδνλω, Echidnem Græcè appellari Rhodignus, & alij dicunt, eo quòd ad interitum vſque fœtum intus contineat. Vbi ſuprà.

Ratione verò aſtruitur, quia (vt inquit Herodotus) ſi vt cætera generarent, ac parerent animantia adeò virulentæ, ac fœcundæ beſtiæ, iam non eſſet præ illarum multitudine hominibus viuendi facultas, quare ita prouiſum à natura, vt in generatione, ac partu interirent parentes. Vel, ſi moralem huius tei cauſam velis conſiderare; voluiſſe Deum vindicati exempla parricidij in hoc animalculo nobis ante oculos ponere, cum Sanctorum Patrum quibuſdam affirmabis. Oppoſitum huius ſententiæ tenuit Ariſtoteles malè intellectus, & peiùs citatus pro ſuperiori opinione à nonnullis recentiorum; Viperam enim animal in lucem edere, neque in partu occidi à filiis, non vno in loco ille teſtatur; in libris namque de hiſtoria animalium; *Vipera enim* (inquit) *animal edit, poſtquam intra ſe oua pepererit, cùm cætera ſerpentum omnia genera oua edant in lucem.* Et in libris de partibus. *Viperæ inter ſerpentes eadem à cæteris ſui generis differentia diſcrepant, qua inter piſces cartilaginea à cæteris ſui generis: nam & cartilaginea, & viperæ animal edunt in lucem, vbi primùm intra ſe oua pepererint.* In libris quoque de generatione animalium. *Cartilaginea verò, & viperæ cùm intra ſe oua generent, mox animal foras pariunt.* Sed meliùs, & clariùs hac de re in iis, quos ſuperiùs citauimus,

l. 3. c. 1.

l. 4. c. 1.

l. 1. c. 10.

l.5.cap.34. libris de animalium historia. *Vipera* (ait) *è serpentibus vna animal edit: cùm intra se oua primùm pepererit. Ouum hoc vnius coloris, & molle, vt piscium est, fœtus supernè consistit: nec cortice continetur, sicut nec piscium quidem. Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur: euenit interdum, vt qui in vtero adhuc sunt, abrosis membranis prorumpant. Singulos diebus singulis parit, plures quã viginti.* Hæc Philosophus. Ex quibus verbis recentiores aliqui falsò opinati sunt, in ea fuisse Aristotelem sententia, vt existimaret viperam in filiorum latera parientis corrodentium partu perire: tantùm enim abest, vt id ille voluerit, vt contrarium potiùs expressè doceat. Ait enim parere catulos suos membranis inuoluros; hos autem die tertia corrosis illis membranis, quæ iam sunt extra vterum erumpere, sicuti & pulli etiam cortice oui fracto emergunt, hoc tamen non inducit matri mortem. Dicit præterea, aliquando intra vterum catulos rumpere has membranas, & sic singulos singulis diebus à ventre emitti, plures quàm vinginti numero, non autem dicit latera rumpi matris, at membranas illas, in quibus obuoluti nasci solent catuli illi. neque inde sequitur matris interitus, sicut neque in animantibus aliis, quæ in vtero gestant membranis obuolutos fœtus, emittúntq; eos ruptis membranis in vtero, ipsasque deinde membranas. Si enim vipera moritur lateribus apertis, quomodo potest singulis diebus singulos parere plures viginti? Necesse esset primo, aut secundo die mori, nec posset peruenire ad vigesimum diem, vt vltimum pareret.

Si

Si ergo decem & nouem ſalua emiſit, cur non & vigeſimum? Ariſtotelis igitur ſententia minimè fauet opinioni, quòd vipera in partu occidatur à fœtu, ſed contrarium potiùs omnino docet, vt bene hiſce rationibus oſtendit conciuis noſter Cardinalis Toletus in commentariis in Lucam. Appolonius Tianeus (referente Philoſtrato) fabulam putauit, quod vulgò creditur de lethali viperæ partu, his verbis. *Vipera viſa eſt ſerpentes, quos pepererit, lingua lambere, & quaſi expolire: neque enim aſſentior* (inquit) *imprudenti eorum ſermoni, qui dicunt viperarum filios abſque matre naſci; neque enim hoc natura patitur, neque comprobat experientia.* Albertus etiam Magnus vulgari ſermoni de conceptu, & partu viperæ, fidem adhibentis irridet, & ipſum imprimis Plinium, veluti mendacium, & impoſſibile aſſerentem (ita verò ille hanc vocat narrationem.) *Natura enim* (inquit) *nunquam dedit actum, cuius non daret naturalem potentiam, & facultatem, quia aliter deficeret in neceſſariis.* Alberti autem opinioni, imò & Ariſtotelis, Pierius Valerianus, Dioſcoridis paraphraſtes Laguna. Brodæus, Iulius Cæſar Capaccius, Cardinalis Toletus, aliíque eruditi recentiores ſubſcripsére. Et quidem re, qua potuimus diligentia, pro virili examinata, hanc vt & nos veriorem fateamur, & tenendam opinionem, contrariámque improbemus multa nos mouent. Ratio primùm fundamentorum, deinde opinionis contrariæ deſtructio (autoritatibus enim vel vnico verbo fiet ſatis) ac demum rationum omnium potiſſima experientia. Et quidem hanc opinionem illa, quæ

cap. 3. annotat. 22.

l. 2. vitæ Apollonij.

l. hiſt. animalium 25.

Pier. Hieroglyphicor. l. 14

Lagu. l. 2 c. 16.

Brod. Miſcellan. l. 3. c. 11. & 28.

ab Alberto Magno adducta, atque à nobis superiùs recitata est, ratio validè, meo iudicio confirmat, quanuis aliquibus parui facienda nullo iure videatur. Primùm autem contrariæ opinionis fundamentum ab etymologia nominis desumptum, vt cætera eiusmodi argumenta vel nullam, vel perexiguam habere vim in comperto est apud omnes, qua de re latè agit Alciatus, & I.C. alij in l. Tabernæ. 193. D. de verborum significatione. Verùm neque illi fauere opinioni nominis viperæ Latinum etymon (quod pace sanctissimorum virorum Gregorij, & Isidori dixerim) facilè ex eo conuincetur, si viperam dictam, non, quasi vi parientem, sed quasi viuiparam, affirmemus cum recentioribus nonnullis: hæc enim sola ex serpentibus animal parit viuum, vt vidimus ex Aristotele, atque inde sortita nomen. Quin & Græca etymologia nihilo plus dictam corroborat opinionem. Ἔχιδνα enim, siue Ἔχις, dicta vipera proculdubio contra Rhodigini sententiam à verbo Ἔχω. μ. ἔξω, quod inter alia, *prægnare, grauidam esse, vterum ferre* significat, vel quia animal hoc verè & propriè inter sui generis omnia vterum gestet solum, ideóque antonomasticè ita appellatum, vel quia maiorem prolis numerum in vtero ferat. Ratio verò Herodoti parum etiam vrget; alio namque modo huic malo natura prouidit, ne ob fœcunditatem prolis crescceret in immensum, breue nimirum tempus vitæ iis animantibus tribuendo, vt insectis cæteris, & venenatis, quemadmodum araneis, quos quater septenis diebus consummari aiunt Aristoteles, & Plinius,

Arist de hist. animal. l. 5. c. 27. Plin. l. 11. c. 24.

nius, aut ob exiguas dispositiones, quibus vt citissimè generantur, ita diutiùs nequeunt conser-seruari, vel ob veneni in se ipsas agentis copiam. Neque credendum naturam adeò ipsimet naturæ contrarium gignendi, ac pariendi modum eis tribuisse, cùm satius fuisset vel exiguam illis concedere prolem, vel omnibus aliis orbis partibus pestem hanc, præterquàm Lybicis negare desertis, vt cum aliis factum scimus virulentis monstris. Neque mouere nos debet, vt id credamus, moralis ratio, cùm quia non in vno quoque animalium genere quærendum nobis est vitæ exemplar, tum quia si parricidij vindictam expressam in animantibus adhuc velimus, eam in Hippopotamis, seu fluuialibus equis, in Phalangiis etiam araneis deprehendemus; de illis enim ita Ælianus. *Summè impius est, parentem enim suum exest, & conficit.* De his verò ita Aristoteles. *Cúmque ipsa proles increuerit, matrem amplexa consumit, & eiicit: sæpe etiam patrem, si ceperint.* Plinius etiam. *Phalangius tantùm in ipso specu incubat magno numero: qui vt emerserit, matrem consumit, sæpe & patrem.* Verùm iam omni exceptione maiori testimonio, experientia nimirum agendum, non eorum modò, qui antiquitus id experti, velut Aristoteles, Appollonius, Albertus Magnus, quanuis id sufficeret, sed recentiorum, qui aut nostra, aut patrum nostrorum ætate huius rei fecêre periculum, quade re verba hic apponam Pierij. *Cùm etiam fuerint ætate nostra, qui has, quas putamus viperas, vtriusque sexus electas vinariis inclusêre, easq; aliorum instar animalium coniungi, concipere, parere, educareq; fœtus*

De hist. animal. l 5. c. 53.

Vbi suprà.

Vbi suprà.

Dicto l. 14

suos experimento compererint, nullo parentum desiderato. Iulius Cæsar Capaccius huius nostri sæculi autor à Ferdinando Imperatore grauidam viperam captam, ac vase fuisse inclusam refert, visamque ab eo nunc vnum, nunc duos parturire catulos, neque tamen à partu occisam. Andreas Laguna in commrentariis in Dioscoridem, sæpiùs à se Romæ in domo Gilberti medici apprimè docti, & arcanorum naturæ scrutatoris diligentissimi, visas refert viperas plures vtriusque sexus cæterorum serpentium more coire, parere fœminas absque ventris laterúmve noxa, superuiuere, lambere, educaréque catulos suos. Scio ego in celeberrimo, ac religiosissimo Societatis Iesu Romano collegio aliquando experimenti gratia viperam vitreo in vase prægnantem inclusam, inque fœtum emisisse abque ventris diruptione vlla, ibíque per aliquod tépus, quoad Patribus placuit, catulos fouisse. Certo igitur certius est hanc secundam veram esse, ac proinde credendam sententiam, contrariámque vt fabulosam explodendam, quippe quæ à Græcanicis imposturis originem sumpserit; incrementum verò à credulis, & minimè experiri curantibus. Quòd si Doctores sacri aliter ac nos sensêre, dicam cum Toleto;

Vbi suprà.

Dicto loco in Lucam.

Vulgarem illos sequutos opinionem, vt verba eorum indicant, eam satis sibi esse existimantes ad similitudines, quibus vtebantur, faciendas: Neque in re (licèt fortasse etiam minùs ab ipsis credita) quæ ad sacram Fidem minimè pertinebat, aut sedulò laborare, aut terere tempus voluisse.

Quomodo

Quomodo fiat ſternutatio, & quare ſacra, & ominoſa Antiquis; morem ſalutandi ſternuentes ab eis emanaſſe.

CAPVT XIII.

STERNVTATIONEM effici ex ſubtili vapore incluſo in ventriculis cerebri conante natura vehementiùs expurgare, & expellere, docent Ariſtoteles in Problemat. Galenus, Alexãder Aphrodiſeus, nec non ex ſanctis Patribus, Gregorius in Moralibus in illa verba capitis 41. Iob. *ſternutatio eius ſplendor ignis*. Et quia perangustos narium meatus ſpiritus ille excluditur, ideo fit ſtrepitus ille; ſicut & quia binæ ſunt nares, per quas exit, bis ferè ſemper ſternutare ſolemus, ex Ariſtotele vbi ſuprà. Sacram fuiſſe habitam ſternutationẽ docet etiam ibidem ipſe Ariſtoteles, elegantémque reddit rationem, quia nimirum de capite membrorum præcipuè omniũ diuino, vnde cogitatio eſt, ſuũ ducit principium, vel quia cæteri corporis affectus, ratione morbi proueniant, hic valetudinis. Ominoſam fuiſſe, & dextri quãdoque, quandoque ſiniſtri augurij docuerunt ex ipſiſmet antiquis complures. Theo-

Ariſt. Prob. ſect. 33. pluribus queſt. Galen. l. 2. de Symptomat. cauſis c. 2. 3. 4. & 5. Alex. lib. 1. Probl. q. 144. Diu. Greg. Moral. l. 33. c. 34.

critus. *Simichidæ infaustum læua de nare Cupido*
Sternuit.

Catullus.

Hoc vt dixit amans, Amor sinistra
Dextram sternuit ad probationem.

(Sic enim primum locum iuxta Ioſephi Scaligeri emendationem lego, & non vt habetur in vulgatis codicibus.

Hoc vt dixit, Amor sinistra, vt antè
Dextram sternuit ad probationem.

nullam enim mentionem Amoris ſternuentis priùs fecerat poëta, & præterea, quia nimium erat confuſus hic locus cum inferiori, in quo iterum eadem hæc vltima repetebantur verba; quod etiam ante Scaligerum adnotauerat Muretus.)

In commẽt. in Catullũ.

Propertius. l. Elegiar. 2.

Num tibi naſcenti primis mea vita diebus
Aridus argutum ſternuit omen Amor?

Meminit & ominoſę ſternutationis Philoſophus loco citato, qui illud etiam peculiare docet manè, & in vniuſcuiuſq; rei inchoatione minùs boni, veſperi verò, & in fine rei boni fuiſſe ominis ſternutamẽtum, cuius ibi rationem, licèt ſubobſcurè, reddit; & quidem ſternutationes obſeruatas fuiſſe in auguriis, eas reprehendens obſeruationes teſtatur Diuus Auguſtinus his verbis; *Illas verò non ſolùm ſacrilegas, ſed etiam ridiculoſas ſternutationes conſiderare, & obſeruare nolite.* Quid verò in ridicula augurum doctrina ſignificarent ſternutamenta docuit Niphus in tractatu de Auguriis. Solitos fuiſſe Antiquos ſternuentes ſalutem ſibi, & Deos imprecari propitios, & eandem à

libro 2. Vide Plinii̇ l. 28. c. 2.

circun

circunſtantibus imprecationem audire ſatis cō-ſtat. Apuleius. *Atque vt primùm è regione mulieris pone tergum eius maritus acceperat ſonum ſternutationis, quod cùm putaret ab ea profectum, ſolito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus, & iterato rurſum, & frequentato ſæpiùs.* Extat & ad hoc comprobandum lepidiſſimum è Græco epigramma, cuius lemma; *In vehementer naſutum*; quod ſic Thomas Morus vertit. Aſini aurei l. 9.

Nunquam Procle manu nares emungere poſſis,
Nam tua nare manus, magna licèt, minor eſt.
Quando Iouẽ inclamas ſternutãs quippe nec audis,
Iam procul ab naſus prominet aure tuus.

Meminit huiuſmodi conſuetudinis, & illius cauſam explicauit ſimul Philoſophorum princeps loco toties repetito, cuius hæc ſunt verba; *Perinde igitur quaſi bonæ indiciũ valetudinis partis optimæ, atque ſacerrimæ ſternutamentum adorant, benéque augurantur.* Vnde luce clariùs meridiana patet nos ab Antiquis mutuatos eſſe morem ſalutandi noſmetipſos cùm ſternutamus, ſiue alios idem facientes: meritóque explodenda videtur illa vulgò adeò recepta fabella, nimirum morem hunc à Diui Gregorij temporibus emanaſſe: aiunt enim laborante tunc temporis mortifera peſte Romano populo homines inter oſcitandum, & ſternuendum repẽtè mortuos procubuiſſe, quod mortis genus vt effugerent cæteri, crucis ſe ſigno oſcitantes, diuini nominis inuocatione ſternuẽtes muniebant, & inde id in poſteros tranſmiſſum. Quod de oſcitantibus (ſi alicuius probati Scriptoris autoritate mihi confirmetur) credam,

quia verisimile : de sternuentibus quàm sit credibile ex iam dictis nemo non videt. Præcipuè cùm morem illum sternuentes salutandi , non Europæorum modò hominum, sed barbarorum noui Orbis partem, quæ Florida vocatur , incolentium proprium fuisse , & esse Garcias Lassus Inca nobilis & clarus vir in sua Florida testetur.

Defensus à multorum calumnia Iustinianus Imperator.

CAPVT XIV.

ANicium Iustinianum Magnum variè à plurimis reprehensum scio : alius enim imperitiæ eũ accusat : alius ingratianimi vitium in eo damnat: alius vt impium , & hæreticum detestatur : alius deniq;ei alia crimini dat.Neque me latet à plurimis etiam defensum , quorum sententiam iure tueri debemus omnes , quotquot sacræ dedimus nomina Iurisprudentiæ ; quia tamen multi fortasse mortales Iustiniano nostro addicti aduersariorum circumueniri possent calũniis , eo quòd autores, qui Iustinani defẽdendas suscepere partes , ad manus non haberẽt , ideo nunc obiectionibus pro virili facere satis non omnino supervacaneum duxi. Franciscus Floridus Sabinus in libro , quem de Iuris interpretibus scripsit,Iustinianum

nianum imperitiæ arguit, & hoc pluribus verbis, & non ſine Suidæ teſtimonio: ſic enim de illo Suidas. *Iuſtinianus Romanorum Imperator imprimis orthodoxus, literarum omnino expers fuit, atque etiam, quod aiunt, analphabetus.* Cuius etiam teſtimonio vſus eſt in Iuſtinianum doctiſſimus æquè, ac piiſſimus Cardinalis Baronius, licèt nõ ita exactè, vt Suidæ ſonant verba, intelligendũ, ex aliquibus inferiùs dicendis fateatur, contrariũ tamen docet Procopius grauis autor, qui Iuſtiniani prudentiam ſępe, ſæpe ingenium, & magnanimitatem laudat in omnibus ſuis operibus (illud excipias, quod *Anecdota* nuncupauit, conuitia in Beliſarium, ac Iuſtinianum, & Theodoram eius vxorem continens, teſte Suida; ſiue vt Nicephorus ait, retractationem earum orationum, quas apud Iuſtinianum habuit, laudibus eum vehens) ſed cùm opus illud non exte*, circa quæ ſint conuitia, affirmare ex Procopio non poſſumus. Agathias etiam magnæ autoritatis ſcriptor mirè ſemper Iuſtinianum laudat, ſed alicubi ſic. *Imperatoris tamen ſententia alia quædam, & longè maiora conſpicabatur, vt non longè pòſt ex voto denique euaſura: ſiquidem qui prius ſe incuſaſſent, ſic ciuibus perſuaſit, vt ſui prudentiam ſimul, & ingenium mirarentur.* Marcellinus Comes in Chronico Iuſtinianum ſuum promulgaſſe Codicem Lampadio, & Oreſte Coſſ. aſſerit, quod eiuſdem Iuſtiniani confirmatur epiſtola, Digeſtorũ initio præfixa, quæ aliàs lex eſt prima Cod. de veteri Iure enucleando. Hoc ipſum Paulus Diaconus in Iuſtiniano confirmat, Iuſtinianeos omnes legum

Tomo 7. Annal.

l. 5. in fine.

Roman. rerum l. 16.

l.1.c.17. legum Codices peculiariter enarrans, quod etiam in Longobardorum gestis recensetiterũ. Isidorus noster in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc de Iustiniano, inter eos ipsum recẽsens. *Iustinianus Imperator quosdam libros de incarnatione Domini edidit, quos etiam per diuersas misit prouincias, condidit quoque rescriptum contra Synodum Illyricianam.* Ex recentioribus etiam non illiteratum prædicant Iustinianum, Platina, Volaterranus, Sabellicus, Ægnatius Baptista, Panuinus, & alij multi historiarum scriptores (Iurisconsultos enim consultò omitto.) Quòd si Etruscorum Poëtarum in hac parte fidem facere possunt carmina, Ioannes Georgius Trissinus in principio suæ liberatæ Italiæ.

Plati. in Bonifacio 2. Volaterr. Anthropol. l.22. Sabel. Ennead.8.l.2. Ægnat. in Iustiniano. Pan. in Fast. & Rom. Principibus, &alibi.

Como quel giusto ch' ordinò le leggi,
Tolse al Italia il graue, & aspro giogo.

Verùm analphabetum saltem non fuisse, vt falsò testatus est Suidas, irrefragabili Vigilij Romani Pontificis testimonio conuincitur; is enim ita in quadam epistola; *His ita se habentibus per magnificum virum Petrum Referendarium die pride Kalẽdas Februarias quædam charta nobis allata est, quam à clementissimo Principe nullo modo credimus destinatam, quia nec fuerat pietatis eius manu scripta.* Sed & Vaticanus Codex, teste Baronio, Quintæ Synodi acta continens. *Iustinianus Imperator per Theodorum Decurionem Palatij ad eundem Vigilium Rom. Pontificem à se antè conscriptum volumen de tribus capitulis misit.* Eustachius etiam in vita Eutychij Constantinopolitani Patriarchæ. *Cúmque Imperator assumpta charta, in qua detestanda illa opinio*

Epistol. Vigilij 7. tom. 1. Epistol. Rom. Pont.

Vbi suprà.

Apud Sur. die 6. April. tomo 2.

opinio, quòd Domini corpus ex diuinæ naturæ copulatione incorruptibile fuerit, continebatur, eam diuino, magnóque pugili Eutychio perlegisset. Viden' iã non omnino literarum expertem, & analphabetum Iustinianum fuisse? valeant ergo iam garrulorum columniæ Rhetorum, qui (vt Alciatus ait) insanum, & illiteratum Christianissimum vocant Imperatorem, infideles ipsi, & athei. At ingratissimus fuit erga Belisarium summum Ducem Iustinianus, instant obtrectatores. Maximo certè laborasset vitio, & excusatione indigno vir tantus, si Belisarium tot rerum gestarum, tot triumphorum gloria illustrem post Vandalorũ, & Gotthorum captos Reges, post debellatos Persarũ exercitus, aut nulla, aut minima de causa honoribus, bonis, atque oculis priuatum, obolum à viatoribus petere coëgisset, vt Crinitus, Volaterranus, Pontanus, & nonnulli alij scripto testati sunt. Quod quidem neque rationi, neque magnorum autoritati scriptorum vllo modo videtur consentaneum: non enim verisimile sit magnanimum Principem adeò se inhumanè gessisse erga eum, qui tot illi victorias, tantum peperisset nomen, ac decus; quem denique ipse tãto prosequutus fuisset amore, tantis cumulasset honoribus, vt Cedreno teste, nummum percusserit, in cuius altera parte se, in altera verò Belisarium armatum effinxerit cum hac inscriptione, BELISARIVS ROMANORVM DECVS. Sed & in nostro asseruatur Musæo numisma quoddam, in cuius facie Belisarij cernitur imago cum inscriptione hac. BILLISARIVS. ex

Parergon l. 5. c. 2.

Crinit. de honest. disciplin. l. 9. cap. 6. Volaterr. Anthrop. l. 23.

aduerso

aduerso verò Victoriæ effigies cum hac ; GOT. DE VICTIS. quod post Gotthicam cussum victoriam facilè mihi persuadeo, ita Iustiniano Principe Belisarium honorare volente: quiduis itaque potiùs creder cordatus quisque (vt opinor) quàm Belisarium in tantum dignitatis gradum à Iustiniano euectum, luminibus deinde, bonis, & honoribus orbatum, liberum ab ipso dimissum, atque à viatoribus obolum petere pra paupertate coactum; neque enim adeò industrio viro, cui oculos, famam, & facultares ademerat, si sapuit Iustinianus, pedum, & linguæ facultatem reliquisset: Sed res iam testimoniis agatur. Procopius quidem (vt bene notauit Alciatus) nullibi fabellæ huius meminit, cùm tamen infensum ipsum & Iustiniano, & Belisario ad extremum fuisse, ex libro retractationum superiùs relato satis constet: Agathias, siue Agathius, qui illi in historia successit, ætate grauem Belisarium cum Hunnis manum conseruisse ait, quamprimúmque Constantinopolim reuocatum aduersa Procerum voluntate, qui eius inuidentes gloriæ, ne exanthlatis laboribus digna consequeretur præmia, curarunt; nullum præterea aliud verbum. Constantinus Manasses in Annalibus, cecidisse Belisarium in maximas calamitates ob inuidiam dicit; Zonaras, & Glicas, sicut & Cedrenus bonis duntaxat, & honoribus priuatum dicunt; Vnus Ioannes Poëta nequaquam antiquus autor in Iambis, quos Græco exarauit sermone, ex aliquorum sententia, bonis, honoribus & oculis priuatum Belisarium, à viatoribus obolum exegisse;

1. Parerg. 4. c. 24.

1. 5.

gisse; ex aliorum verò nequaquam excœcatum, sed bonis tantùm, atque honoribus exutum, postea restiturum in gradum pristinum, asserit; At Suidas, cùm Belisarij descripsisset gesta, ac vitã, nihil de tali scripsit obitu, vnde communi eum decessisse morte, satis supérque cõuincitur. Annalium Constantinopolitanorum incertus autor Græcus, ante Iustiniani obitum detecta quadam conspiratione insimulatum à Sergio Belisarium retulit, & hoc nomine domi suæ custoditum fuisse, deinde post paucos dies absolutum, pristinos honores recepisse. De hoc ita Paulus Diaconus in ipso vitæ Iustiniani fine. *Interea quinta die mensis Decembris fecit Imperator silentium adducens Eutychium Patriarcham, & iubens eorum recitari confessiones. Quo audito Belisarius ingenti est mœrore grauatus; & mittens Imperator, comprehendens omnes homines eius, & ipsum domi sedere præcepit custodiẽdum.* Et paulo pòst. *Nona decima verò die mensis Martij dimissus est Belisarius Patricius receptis omnibus dignitatibus suis.* Hæc ille duntaxat. Ex quo planè apparet commentitiam omnino esse Criniti, Volaterrani, & sectatorum narrationem: & quidem nullus sanæ mentis (vt bene aduertit Alciatus) adeò malè habitum à Iustiniano Belisarium credat, cùm ex Procopio constet Arthabanem, quosdámque alios viri tanti meritis & gloriæ longè impares, qui in caput ipsius Principis coniurauerant, deprehensos, nõ vltrà punitos fuisse, quàm vt in custodia essent, nihil præterea passos mali. At de Religione malè audiit ab omnibus Iustinianus. Fateor summos

Vbi suprà.

15.

viros

viros hæresis labe infectum Iustinianum dixisse: Euagrius sæpe: Isidorus noster Acephalorum hæresim susceptisse Iustinianum, omnésque in Regno suo Episcopos tria Chalcedonensis Concilij capita damnare compulisse, scriptum reliquit: Aphthartodocitarum hæresim illum secutum affirmat Nicephorus, quæ quidem hæresis carné, quam Saluator noster Christus ex Diua assumpsit Virgine, ante passionem incorruptibilé fuisse prædicabat, ac proinde Eutychianæ quodámodo similis erat, quatenus videlicet hæc carné Christi non fuisse nostræ similem asseuerabat, & hac proculdubio de causa Eutychianæ hæresis labe infectum Iustinianum Ægnatius Baptista dixit: Verùm prædictam Aphthartodocitarum illi videtur obiicere Paulus Diaconus. *Tricesimo octauo* (inquit ille) *Imperij sui anno Iustinianus de corruptibili, & incorruptibili dogmate commonens edicto vbique alieno à pietate trãsmisso, Deo præoccupante defunctus est.* Cæterùm licèt aliquando hæresim amplexus videatur Iustinianus, religionem eius mirè ab omnibus commendatam nullus est, qui ire possit inficias; nam ipse Paulus Diaconus cùm alibi in fide Catholicum, in operibus, & in iudicij rectum dicit. Suidas (vt suprà vidimus) Orthodoxum imprimis appellat; Nicephorus tanto illum in Deum, ac Dominum flagrasse amore affirmat, vt multa hac de causa violenter fecerit: non enim Christi carnem corruptibilem fuisse, audire poterat æquo animo: æmulationé itaque Dei habuit absque dubio bonus Imperator, *sed non secundùm scientiam*, (vt ait Apostolus.)

In Chronic.

1. Ecclesiast. hist. 17. c. 29.

Vbi suprà.

De gest. Lõgob. l. 1. c. 17.

Ad Rom. c. 10.

Sed

Sed pro eius excusatione, aut encomio potiùs Nicephori audiamus verba: is enim cùm de Iustiniani morte egisset, atque illum Aphtharto-docitarum opinionem non aboleuisse dixisset, eo quòd sententiam huiusmodi ad honorem Dominici corporis magis facere existimauerit, hæc subdit. *Nonnulli certè veniam illi concedunt, neque eum ob talem opinionem itidem vt hæreses alias ab Ecclesia proscribendum esse dicunt. Id ex præfatione Sextæ Synodi magis liquet, quæ Iustinianum beata quiete dignatur verbis eiuscemodi. Quandoquidem Sanctæ & Oecumenicæ duæ Synodi, quæ in Imperante hac, & religiosa vrbe coactæ sunt, altera quidem Iustiniani diuinæ quietis temporibus, altera sub piæ memoriæ Imperatoris nostri Constantini clementiæ tuæ parentis*, &c. *Sed enim acta quoque eius Concilij, cùm mentio eius facienda est, semper eum, qui in sanctis est, Iustinianum dicunt; in quibus & scholium siue breuẽ annotationem inueni, quòd Ioannes Chalcedonis filius cùm Constantinopolitanæ præesset Ecclesiæ Alexij Cõmeni ætate in ipso Dei verbi Sapientiæ templo quotannis magnificè memoriam eius celebrarit, populi vniuersi concione ad rem diuinam coacta. Memoria eius Ephesi quoque in delubro discipuli eius, qui supra pectus Saluatoris recubuit, culta: quod delubrum ipse Iustinianus construxerat. In quacunque verò ille apud Deum demum, & homines est existimatione, tum quidem hanc etiam ob causam illum Sacrum Eutychium, atque alios plures throno expulisse aiunt. Cæterùm moriturus sicuti Diuus Constantinus Athanasij, ita & hic Eutychij restitutionem in testamento Iustino successori suo mandauit. Equidem opinor, non autem decer-*

l.17.dicto c. 31.

no propter alia ipsius egregiè, & rectè facta, & præstantem in diuinum numen æmulationem, piámque in omnibus religionem, interueniente quoque mirifico Dei verbi Sapientiæ templi opere, si quid tum in eo desideratum, id infinita Dei misericordia resartum, & contectum iri. Hæc Nicephorus. Sed & alia de Iustiniani pietate, ac Religione clarissima testimonia eadem nobis suggerit Sancta Synodus sexta Cõstantinopolitana; in Epistola enim sanctissimi viri Agathonis Romani Pontificis ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Augg. quæ recitata extat eius Synodi actione 4. post recitatos Sanctos Orthodoxos Episcopos, qui aduersus hæreticos pro Fide Catholica certamen inierũt, statim subditur. *Et præ omnibus æmulator veræ, & Apostolicæ Fidei piæ memoriæ Iustinianus Augustus, cuius fidei rectitudo, quantùm pro syncera confessione Deo placuit, tantùm Rempublicam Christianam exaltauit. Et vtique ab omnibus gentibus eius religiosa memoria veneratione digna censetur, cuius Fidei rectitudo per augustissima eius edicta in toto orbe diffusa laudatur: quorum vnum, quod ad Zoilum Alexandrinum præsulem aduersus Acephalorum hæresim missum est, pro Catholicæ Fidei rectitudine satisfacere sufficiens cum hac nostræ humilitatis suggestione vestra tranquillissimæ Christianitati dirigentes per præsentiũ latores offerimus.* Ecce tibi luculentissimum Apostolicæ fidei Iustiniani testimonium, nec non dãnationis ab eodem factæ Acephalorum hæresis, in quam lapsum ipsum, nullo iure aliqui asseuerarunt. & in alia etiam epistola ad eosdem Augg. Roma ex Synodo centum vigintiquinque Episcoporum

ſcoporum ſub Agathone miſſa, vbi commemorata Magni Conſtantini, Theodoſij Magni, & Martiani Imperatorum Fidei Catholicæ præſtãtia, hæc de Iuſtiniano deinde. *Et ſicut extremi quidem, præſtantiſſimi tamen omnium, magni illius Iuſtiniani, cuius vt virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem reſtaurauit: cuius inſtar fortiſſimæ veſtræ clementiæ Principatus, virtutis quidem conatibus Rempublicam Chriſtianam tuetur, & reſtaurat in melius, pietatiſque ſtudiis Catholicæ ſuccurrit Eccleſiæ, vt in vnitate veræ, ac Apoſtolicæ confeſſionis perfectiùs copuletur*, &c. Sed & acta eius Synodi Iuſtinianum Piiſſimum Imperatorum vocant, in cuius etiam fauſtis acclamationibus actionum 16. & 18. Imperatori Conſtantino quarto ſecũdùm aliquos, ſed veriùs quinto, Pogonato dicto factis, Orthodoxorum Imperatorum inditis ei nominibus Conſtantino, nouo Conſtantino Magno, nouo Theodoſio, nouo Martiano, nouoque Iuſtiniano multos annos imprecata eſt vniuerſa Synodus. Diuus quoque Gregorius Magnus omni exceptione maior teſtis, piæ memoriæ Iuſtinianum, quoties illius agit mentionem, conſtanter appellat. Piè itaque nos omnes ſentire debere exiſtimo de homine eo, qui tot vbique locorum delubra in honorem Dei ædificauit magnificentiſſima, vt Conſtantinopoli Sanctæ Sophiæ, cuius mirabilem ſtructuram latè Procopius, & ex ipſo deſcribit Nicephorus. Reſtaurauit etiam in eadem vrbe ſanctorum Apoſtolorum templum, quod (prædictorum teſtimonio) nulli vult primas concedere, & in quo Im-

Actione 10.

l. 17. c. 20.

peratores sepeliebãtur, & Antistites. Ephesi, sancti Ioannis Euangelistæ, & alia aliis in locis cõplura, quorũ meminêre Procopius, & Euagrius, & ex eis Nicephorus: vbique ferè demum plurimas sacras ædes, aliásque pietatis domos ad affectæ, vel imperfectæ ætatis, & cum variis morbis conflictantium virorum, & mulierum curam ædificauit, ingentibus, vnde fouerentur, redditibus eis attributis. Quòd si in hac templorum materialium ædificatione, quæ quidem ex arena, calce, lapidibus, lateribus, lignis, plumbo, ære, argento, auróve conflata, pietatem eluxisse Iustiniani negandum non est; quid, quæso, dicendum de Spiritualium, ac pretiosiorum ædificatione templorum Dei, quales nos Christiani
1.Cor.3.cap. sumus, teste Apostolo? cùm certo certius sit à nullo vnquam Imperatorum, ne dicam hominũ (magno illo, si placet, Constantino excepto) tot gentes in Catholicam euocatas Ecclesiam, quot à piissimo nostro Iustiniano. Primo enim Imperij ipsius anno Hunnorum, qui sunt iuxta Bosphorum, Rex Gorda nomine fidem recepit Christianam illius opera; Absagi gens ad Caucasum sita eodem Imperatore secundùm Deum autore Christianis initiata sacris Imperij ipsius anno tertio: quo etiam anno Tzani Armeniis finitimi absque legibus, Regibúsve ferino viuentes more, Imperatore curante fidem amplexi Christianam cum vicinis aliis barbaris gentibus, quarum ipse in l. vltima C. de officio magistri militum, mentionem fecit. Quarto deinde anno Imperij Blemij, & Nabathæi ipsius diligen-

Miscelle autor l.16.
Euagr.l.4.c. 2
Niceph.l.17 c 13
Procop.de ædificiis Iust.Imp. Orat 3 & de bello Persico.l.1.
Procop.de bel. Persico l.1.

tia

tia Christiani facti: nec non & Ægyllæ vrbes duæ Pentapoleos relicto Idolorum cultu fidem recepêre nostram, sicut & Boreum vrbs Mauru-siis vicina in Ægypto à Iudæis primùm habitata, quorum in ea celeberrimum templum in Eccle-siæ speciem Iudaicis eliminatis ritibus transfor-mari curauit Imperator. Mauri, qui Pacati dein-de dicti, Africa superata à Iustiniano suasi Or-thodoxam suscepêre Fidem Imperij eiusdem an-no octauo. Auximitæ Æthiopiæ populi Cedre-no, Axomitæ Vopisco, & Stephano (licèt Ptole-mæo malè ab Ortelio citato Auximitæ Mauri-taniæ Cæsariensis, Aximatæ Persidis incolæ) im-petratis à Iustiniano sacerdotibus, & Episcopis Romanæ Ecclesiæ dogmatibus imbuti anno Im-perij eiusdem decimoquinto. Rex Erulorum Ge-thes nomine cum populo suo baptismi suscipiē-di causa Constantinopolim adiens initio prin-cipatus Iustiniani ab ipso est in sacro fonte sus-ceptus. Quid referam Arrianam teterrimam hæ-resim cum Vandalis in Africa, Gotthisque in Italia ab ipso Imperatore ducibus Belisario, & Narsete penè extinctam? Quid innumeros Or-thodoxos Episcopos, sacerdotes, aliósque fide-les ob Apostolicæ fidei confessionem cruciatos, ac iamdudum solum vertere iussos, ipsius ope in sedes pristinas, ac veræ Fidei liberum exerci-tium restitutos? Extat profectò hodie in omni-bus Græcorum Ecclesiis pietatis eius egregium monumentum, canticum nimirum ab ipsomet Imperatore compositum, quod inter sacros ca-nitur Rhythmos, qua de re audiendus omnino

Procop de ædifi. Iust. Oratione 6. Idem ibidē.

Procop. de ædificiis Iust. Orat. 3.

Vopisc. in Aureliano.

Cedrenus.

Miscell. au-tor. l. 16. Euagr. l. 4. c. 19. Nicep. l. 17. c. 13.

Procop. de bello Pers. l. 2.

l. 17. cap. 28. Nicephorus. *Post Synodum Imperator troparium, seu cantilenam, cuius initium est, Vnigenitus filius, & Verbum Dei, composuit, atque eam Ecclesiæ inter psallendum vsurpandam tradidit. Ea porrò ad hoc vsque tempus lege insolubili frequentatur.* Quo magis appareat eorum error, vel mendacium, qui omnino illiteratum, & analphabetum illum asseruêre. Constat igitur ex his audiendos non esse eos, qui hæreticum iniustè appellant eum, cuius egregiam pietatem sacræ Synodi, summorum decreta Pontificum, optimæque ab ipso latæ leges tam in Ecclesiarum fauorem, quàm aduersus perfidiam hæreticorum satis, superque arteſtantur. Neque enim tyranni more (vt falsò quidam putarunt) in alienam messem falcem immittere voluit Iustinianus, atque pro arbitrio Ecclesiæ Dei leges præscribere, quas enim ille ad Ecclesiasticam pertinentes disciplinam leges promulgauit, in iis quidem sanciendis sese sacras Regulas sequutum profitetur pluribus in locis: in Authentico de Monachis. §. Sancimus. ibi. *Sancimus ergo sacras sequentes Regulas* titulo 5. collatione 1. & in Authentico. Quomodo oporteat Episcopos, & cæteros clericos, &c. §. Sancimus. ibi. *Sancimus igitur sacras per omnia sequentes Regulas.* & in eodem Authent. §. quæ igitur. ibi. *Quæ igitur à nobis sancita sunt, & sacrum ordinem statumque custodiunt secundùm sacrarum regularum obseruationem, & virtutem.* titulo 6. collatione 1. Quòd si minùs credendus in hoc videatur, at Ioanni sanctissimo Papæ fidem adhibeamus

hibeamus neceſſe eſt; is enim in Epiſtola quadã ad Iuſtinianum, quæ aliàs lex eſt 4. C. de ſumma Trinitate, & Fide Catholica, hæc ait. *Quorum etiam relatione comperimus, quòd fidelibus populis propoſuiſtis edictum amore Fidei pro ſubmouenda hæreticorum intentione ſecundùm Apoſtolicam doctrinam fratrum, & Coëpiſcoporum noſtrorum interueniente conſenſu.* quod feciſſe credendus, vt imperiali poteſtate, autoritate, & vi impios, & Eccleſiaſticis legibus aduerſari præſumentes temporalis pœnæ metu reprimeret, ac coërceret. Non itidem audiendum eſſe Euagrium conſtat, qui vt auariſſimum Principem Iuſtinianum reprehendit, ſuo enim ipſe ſuperiùs allato conuincitur teſtimonio de tot ædificiis ſacris, torque, ac tantis eis attributis redditibus inter immenſos, ac perpetuos bellorum ſumptus. Non qui deceptum à Triboniano dicunt, ei ſuadente immortalem futurum Principem, atque in cœlum cum carne euaſurum, cuius rei autores fuêre Suidas, ac Heſychius Milleſius, quódque aliqui probant (ea eſt cauillationis vis) ex ipſiuſmet Iuſtiniani verbis, in lege finali. §. finali, ibi. *Hæc igitur omnia quæ pietatis intuitu noſtra ſanxit æternitas.* Codice de Epiſcop. & Clericis. commentitium enim hoc totum eſt, non enim Tribonianus maximus ingenio vir (ipſomet Suida teſte) quantumuis impius, has aniles fabulas Iuſtiniano perſuadere voluiſſet, vel ſi tentaſſet ille, cordatiſſimus æquè, ac Chriſtianiſſimus Princeps credidiſſet. Quòd ſi æterniratis ſe titulo condecorauit, id imperatorio fecit more, quemadmodum & in Au-

De Philoſophis.

thenrico de litigiosis titulo octauo, collatione 8. vbi numinis sese titulo insigniuit, neque id ei vitio vertendum, cùm præcedentium Imperatorum in hoc sectatus sit vestigia; Gratianus enim, Valentinianus, Theodosius, & Archadius Perennitatis, quæ idem ferè atque æternitas significat, titulum vsurparunt, vt patet in lege Nemo, quæ à prædictis Impp. lata est. C. de Episcopali audientia. *Nemo deinceps tardiores fortassis affatus nostræ perennitatis expectet.* cuius superbi tituli autor fortasse Constãtius Imperator, de quo hæc Ammianus Marcellinus. *Quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus, immunemq; se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim à iustitia declinauit ita intemperanter, vt æternitatem eam aliquoties assereret, & ipse dictando scribendoq; propria manu orbis totius se Dominum appellaret.* Porrò eo quòd diuortium permiserit, & vsuras non aboleuerit, non minùs commodè audire debet Iustinianus noster: illum nanque in hac parte optimè defendit Alciatus, ad quem, ne plus iusto longiores simus, lectorem amãdamus.

lib. 14.

Quid

Quid ſit ſeruitus; & vnde dicta; ipſius origo; & quare à iure gentium introducta, & iuri naturali dicatur contraria, cùm ab ipſomet emanarit.

CAPVT XV.

SERVITVTEM tam de hominibus, quàm de rebus dici in confeſſo eſt apud omnes: eam verò, quæ de rebus dicitur, duplicem eſſe, perſonalem alteram, veluti vſus fructus, vſus, habitationis: alteram realem vrbanorum ſcilicet, vel ruſticorum prædiorum, docent I.C. Martianus, & Pomponius. Sed quia de duplici hac, quæ de rebus dicitur, ſeruitute latè agunt conſulti, diſputántque Doctores noſtri in Rubricis de ſeruitutibus, & ſeruitutibus vrbanorum, & ruſticorum prædiorum, de ſeruitute legata, & aliis, ideo hac omiſſa, de ea, quæ de hominibus dicitur, à qua denominationē altera accepit, agam breuiter. Seruitus igitur ex Cicerone *Obedientia eſt fracti animi, & abiecti arbitrio carentis ſuo.* I. C. tamen eam dicunt Conſtitutionem Iuris gentium eſſe, qua quis dominio alieno contra naturam ſubicitur. ita Florentinus I.C. ita Iuſtinianus Imperator. Regia quoque noſtra Partitarum lex.

l.1.& 1. Quoties. D. de ſeruitutibus.

Paradox. Penultim. l. libertas. §.1. de ſtatu hom. D. & in §. ſeruitus Inſtit. de iure perſonar.

Seruidumbre es postura, e establecimiento, que ficièron antiquamente las gentes, por la qual los omes que eran naturalmente libres se façen siervos e se meten a senorio de otro contra raçon de natura. Quòd si libertati opponitur seruitus, quid hæc sit, optimè per negationem explicabitur, cùm contrariorum eadem sit disciplina; Dicendum igitur erit nihil aliud seruiturem esse, quàm priuationem naturalis facultatis eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut iure prohibetur: hanc enim facultatem, libertatem esse definiunt prædicti Florentinus & Iustinianus, licèt hæc (vt inferiùs dicemus) facultas seruitutem seruiẽti etiam competat, à qua etiam libertatis definitione non nimium diuersus abiit Cicero. *Quid enim* (inquit) *est libertas? potestas viuẽdi vt velis.* & alibi. *Libertatis proprium est sic viuere, vt velis.* quanuis hanc legibus subditam fatetur ille potestatem, his verbis. *Is viuit vt vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio: cui viuendi via considerata, atque prouisa est: qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maximè esse iudicat.* Vnde optimè ipsemet alio in loco. *Iccirco omnes legum serui sumus, vt liberi esse possimus,* quod ipsum ita exposuit Persius.

Vbi suprà.

Vbi suprà.

Officiorum 1.

Vbi suprà.

Pro Cluentio.

Satyra 5.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat iussit quodcunque voluntas,
Excepto siquid Masuri Rubrica vetauit?

Seruitutem autem dictam fuisse à seruando volunt penè omnes I.C. Florentinus: *Serui ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent.* Idem repetunt Pomponius,

l. 4. § final. D. de statu hominum.

ponius,& Iustinianus.D.Augustinus.*Origo autem vocabuli seruorum in Latina lingua ideo creditur ducta, quòd hi, qui iure belli possent occidi, à victoribus cùm seruabantur, serui fiebant, à seruando appellati.* Isidorus noster. *Seruitus à seruando vocata: apud Antiquos enim, qui in bello à morte seruabantur, serui vocabantur.* Regia quoque nostra Partitarum lex. *E sieruo tomo este nome de vna palabra, que llaman en Latin, seruare, que quiere tanto deçir en Romance, como guardar, e esta guarda fue establecida por los Emperadores ca antiguamẽte todos quãtos * criauan, mataua, mas los Emperadores tuuieron por bien, e mandarõ, que los non mataſſen, mas que los guardaſſen, e se ſeruieſſen de ellos.* Cæterùm (si modò fas esset à tantorum autoritate scriptorum recedere, asseríque posset *Seruio* verbum non à nomine *seruus*; sed ab alio quopiam originem duxisse) dicerem ego cũ eruditissimo Brissonio à seruiendo potiùs, quàm à seruando seruitutis, ac serui fluxisse vocabula, & hoc duplici de causa. Primò, quia serui nomen ex iniuria natum est. Seneca. *Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? nomina ex ambitione aut ex iniuria nata.* Quòd si à seruando, & non à seruiendo dicti fuissent serui, ex beneficentia natum fuisset eorum nomen & non ex iniuria, à qua certè emanasse seruitutem mox dicetur. Deinde, quia si Tabellarius, publicus dicitur seruus, à seruiendo, vt notat Glossa in §. seruitutem. 1. verbo, seruare; Institutis de Iure personarum, potiori (ni fallor) iure eum, qui seruitutem coactus seruit, à seruiendo nomẽ fuisse adeptum deberemus affirmare. Sed huius rei iudicium penes doctiores esto.

L. Pupillus. 239. §. 1. D. de verbor. signif. & §. 3. Instit. de Iure person. De ciuit. Dei l. 19. c. 15 Originũ l. 5. l. 1. tt. 21. partita 4.

* Criar, in antiqua Hispanorũ lingua idẽ quod capere in Latina, & in recentiori, tomar quod verbũ proprium est Lusitanæ.

Ioannes Barros l. 1. Decad. 2. Finalmente como criauan posse logo se intitulan por Xeques, ou Reyes de tal pouoaçam, ou cidade.

B. Deverborum significatione. Ad Lucil. l. 4. epist 31.

esto. Initium autem sumpsisse à iure gentium seruitutem præter allegata superiùs iura docent Vlpianus I.C. in lege *Manumissiones*. D. de iustitia, & iure. ibi. *Sed posteaquam iure gentium seruitus inuasit*. Iustinianus in §. *Manumissio*. Ibi. *Sed postquã iure gentium seruitus ingenuitatem inuasit*. Institutis de Libertinis. Diuus Isidorus. *Ius gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes*, &c. quæ verba in sacris iuris Pontificij Codicibus ex eo sumpta leguntur. Verumenimuerò seruitutem ipso, quo nunc vtimur, iure gentium anteriorem esse, nullus (ita viuam) qui sacra perlegerit volumina, inficias ibit: tunc enim primò seruitutis nomen legitur in Scriptura, cùm generis humani secundus Parens Noë in vindictam impudentiæ filij sui Chami, eius filio Chanaano maledixit his verbis; *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*; *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan seruus eius*. & hoc sancti agnouêre Patres. Ambrosius. *Manebat autem, antequam vinum inueniretur, omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere, non esset hodie seruitus, si ebrietas nõ fuisset*. Augustinus. *Cõditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori: proinde nusquã scripturarũ legimus seruum, antequã hoc vocabulo Noë iustus peccatũ filij vindicaret: nomẽ itaque istud culpa meruit, non natura*. Vnde apertè comprobatur id, quod superiùs diximus, ex iniuria seruitutis natum nomen. Patet etiam omnia iura seruitutem à iure gẽtium introductam affirmantia,

1. Originũ 5.

In c. Ius Gẽtium. dist. 1.

Genesis 9.

De Helia, & Ieiunio. c. 5. tom. 4. quæ verba etiam habentur in cap. sexto dic. 35. dist. De ciuit. Dei l. 19. c. 15.

mantia,ita esse intelligenda, vt non quidem à iure gentium primò inuentam illam velint, sed à iure quidem gentium propagatam, & vbique locorum approbatam, vbique constituram dicant, & ita prædicta intelligi iura optima tenet Glossa in capite, *Ius gentium*, verbo *seruitus*, distinctione 1. Hinc vltimò deprehenditur falsum omnino esse id, quod Plinius asserit, seruitium nimirum à Lacædemonibus primò inuentum, quandoquidem tot antè inuentum sæculis irrefragabilis Scripturæ sacræ docet autoritas. Supereſt nunc explicare quomodo seruitus naturali dicatur iuri contraria, cùm abipsomet videatur emanasse. Et quidem omnibus credo notum esse liberum hominis arbitrium, nec ab ipsomet coactum Deo tam in seruis, quàm in liberis hominibus reperiri, sicque (vt huius tractationis initio diximus) illa libertatis definitio, quam Florentinus, & Iustinianus afferunt, facultatem esse dicentes agendi quicquid velis, nisi quod vi, aut iure prohibetur, æquè certè seruo, ac ingenuo competit, vt etiam notauit Glossa in §. *& libertas*, verbo, *libertas*, Institutis de iure personarum; neque enim dubium est eum, qui bellum aut sustinet, aut mouet, se præcipitare in casum, quo libertas eius periclitatur: nam si deinde capitur, vult seruus esse; neque enim cogi potest, si malit occidi. Vnde optimè ille alter apud Philonem;

l.7.cap.56.

Quis seruus est, mortem qui potest temnere?

In l. Quòd omnis probus liber sit. Vide Syluiū l. singulari in leges.

Idem dico de seruo pœnæ. Eodem igitur iure naturæ homo seruus fit, quo ipse liber erat. At verò quia nihil æquè naturæ contrarium est (Augu-

stino

ſtino teſte) quàm hominem homini, vt ſeruum, ac mancipium ſubdi (nam eſſe alteri ſubditum vt ab illo regaris, veluti Imperatori, Regi, ac Duci, ſecundùm ordinem naturæ eſt, atque ita præceptum à Doctore Gentium Paulo, & ſecundùm illum naturæ ordinem omnes ſerui ſumus, vt inquit Seneca, & poſt illum Calcagninus) ideo ſeruitus naturali dicitur iuri contraria. Diſtinguenda itaque ſunt meo iudicio in ſeruitute duo inſtantia. Primum, in quo liberè poteſt homo vel eam eligere, vel mortem. Secundum verò, in quo iam ſeruitutem elegit. Et quidem ſecundùm primum inſtans ſeruitus naturalis erit, vt pote quæ à libera hominis voluntate procedat. Si verò cõſideretur ſecundum inſtans, erit certè contra naturam ſeruitus, cùm hominem volentem, nolentem alterius imperata cogat facere; neque mirum videri debet cuipiam ex vna, & eadem cauſa contrarios oriri effectus non ſolùm in diuerſis ſubiectis:

Ad Epheſ. 6. ad Coloſſ. c. 3. ad Titũ 2. D. Petr. epiſtolæ 1. c. 2.

In Pharmaceutria.

Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit
Vno eodemq; igni.

Vergilianis vti liceat exemplis; verùm in eiſdem etiam ſubiectis, poſitis his, vel illis diſpoſitionibus, aut circumſtantiis: Vipera, & ſcorpius homini venenum, homini etiam medicina: Balnea ſanitatis quandoque, quandoque interitus cauſa, ſicut & pharmaca plura. Frigidus in Epiro fons, cuius meminêre Lucretius, Plinius, & Solinus, accenſas, ſi admoueantur illi, faces extinguit, extinctas accendit. Et ſic de ſexcentis aliis, quorum tractationem Phyſicis, ac medicis relinquemus.

Lucret. l. 6. Plin. l. 2. ca. 106. Solin. c. 12.

hoc

hoc dixisse sufficiat, à nulla re alia magis contrarios, quàm ab vna voluntate effectus produci.

Quis fuerit I. C. Labeo, & cur Horatio insanus dictus.

CAPVT XVI.

QVintus Antistius Labeo I. C. ex antiqua Labeonum familia fuit, ex qua multi prodiêre præclari viri, ac summis in Republica magistratibus functi. Sed ante omnes alios illustris Q. Fabij Labeonis memoria viget, non ex eo solùm quòd Prætor naualem de Creta insula triumphum à Senatu impetrarit, autore Liuio: quòd Regem Antiochum, quem bello superauerat, tota classe, celebri astu priuarit, nam cùm ex fœdere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias ille omnes secuit, teste Valerio Maximo: quòd consulatum cum M. Claudio Marcello collega gesserit anno ab Vrbe condita, iuxa Panuinum DLXX. iuxta Sigonium verò DLXVII. cui assentitur Genebrardus; iuxta autorem verò qui fastos M. Verrij Flacci Capitolini tabulis accommodauit, DLXXI. Sed quòd illo consule quædam accidere memoratu digniſſima. Insula enim Vulcania iuxta Siciliam, quæ antè non fuerat, repentè emersit, testibus Obsequente, & Orosio:

l. 37. in fine.

l. 7. c. 2.

In Fastis consul.

§. In Fastis. Gen. in Chron. Obseq. in libel. de Prodigiis.

Oros.l.4. hist. Prob.in Hãnibale. Obseq.vbi supra. Oros.vbi supra. Cassiod. in Chronic.

Orosio: Hannibal apud Prusiam in Bithynia veneno hausto periit; vt volunt Probus ex Attico (seu quisquis ille est autor libri de viris illustribus) nec non Obsequens, Orosius,& Cassiodorus: interiit etiam ex Orosio Aphricanus Scipio; pacatique ex eisdem Obsequente, & Orosio, Celtiberi trecentis eorum oppidis excisis. Posterioribus deinde temporibus ex eadem floruisse gẽte Aterium Labeonem Prætorium virũ,

l.35.cap.4.

& Narbonensis Prouinciæ Proconsulem, autor est Plinius. Labeones porrò à labiis sortitos fuisse cognomen idem est autor Plinius: Charisius verò ex Verrio Flacco à labiis Labiones dictos autumat. Ex hac igitur ortus familia noster Antistius Labeo patrem habuit Labeonem Antistiũ, cui falsò Cinnæ cognomen adiecit Horomanus (Cinna enim alius ex decem Iurisconsultis Ser. Sulpicij auditoribus à Pomponio in lege secunda de origine iuris enumeratis.) Seruium audiuit Sulpicium referente his verbis Pomponio; *Labeo Antistius Labeonis Antistij Pater.* Tribunus Pleb.fuit Coss.Sylla, & Pompeio, quo in magistratu mira Iuris prudentiæ,ac animi roboris pateficit ornamenta;de eo Cicero. *Rabula* (inquit) *sanè probabilis,qui multos cùm tacuisset annos, neque contemni solùm, sed irrideri etiam solitus esset, in Tribunatu primùm contra Caij Iulij illam consulatus petitionem extraordinariam veram causam agens est probatus. Itaque post Tribunatum primò multæ adeum causæ,deinde omnes maximæ quæcunque erant,deferebantur.* Mortuus demum est M. Lepido Triumuiro Reip. Constituendæ, & L. Munatio Planco

In I C. descript.

l.11.cap.37. Institut. Gram.l.1.

dicta l.2.D. de Origine Iuris.

In Bruto.

Coss.

Coss. Anno ab Vrbe condita 712. iuxta Panuinum, eodem nempe, & eadem in acie, in qua cecidêre Brutus, & Cassius, quorũ ipse partes fuerat secutus, vt Bruti scilicet Legatus. Plutarchus. *Paulo post amicos, qui in pugna ipsum* (Brutum) *defendẽtes ceciderant, nominatim recensens, Flauij maximè, & Labeonis recordatione ingemuit, quorum hic legatus eius, ille præfectus fabrorum fuerat.* eius mortem si enarrat Appianus. *Labeo item vir notæ sapiẽtiæ pater Labeonis eius, qui nũc quoque inter iurisconsultos celebratur, effossa in tentorio ad sui corporis modum fouea, vbi reliqua seruis mandauit, vxori quoque & liberis scripsit quæ voluit, & literas seruis commisit, fidissimum autem ex eis dextra prehensum circum egit, vt mos est Romanis libertos facientibus, moxque gladium ei dedit, & iugulum præbuit, & huic quidem tentorium pro sepulchro fuit.* Atque hęc illi contigit mors; quare non possum non valde mirari adeò longè à vero aberrasse Hotomanum, qui cùm hæc ignorare aut non posset, aut non debuisset, eundem facit Labeonem Antistium cum Publio Antistio ædilitio, qui à Damasippo Prætore, eo quòd Pompeij socer esset, prioris nimirum vxoris illius Antistiæ pater, quasi Syllanarum partium, in curia veluti ad consultandum vocatus, crudeliter, & nefariè occisus est Coss. Cn. Carbone tertiùm, & C. Mario iuuene, Anno ab Vrbe condita iuxta omnes ferè classicos autores 672. quantunuis Sigonius horum Consulatum in Annum 668. referat. Sed exiguum forsasse discrimen putauit Hotomanus constituere potuisse inter vtrunque nomen, magistratum, lo-

In Bruto.

De bellis Ciuilib. l. 4. in fine.

cum, modúmque mortis, & quadraginta annorum tempus. Huius itaque filius Quintus Antistius Labeo (tali enim prænomine ab A. Gellio quanuis falsò illi, Marci, tribuat Lambinus) citatur. Labeo noster parternis insistés vestigiis, Iuris prudentiæ operam nauauit, auditórque Cascelij, Ofilij, Tuberonísque I. C. sed Trebatij præcipuè discipulus fuit, cuius ingenium, iuris peritiam, autoritatem, & animi magnitudiné satis ostendunt, extollúntque grauissimi, qui de illo meminerunt autores; Póponius. I.C. *Post hunc* (inquit) *maximæ autoritatis fuerunt Atteius Capito, qui Ofilium secutus est, & Antistius Labeo, qui omnes hos audiuit, institutus est autem à Trebatio; Ex his Atteius consul fuit, Labeo noluit, cùm ei offerretur ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, & honorem susciperet, sed plurimam studiis operam dedit, & totum annum ita diuiserat, vt Romæ sex mensibus cum studiosis esset, & sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret: itaque reliquit quadraginta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur.* & inferiùs idem. *Labeo ingenij qualitate, & fiducia doctrinæ fretus, qui præ cæteris sapientiæ operam dederat, plurima innouare instituit.* Tacitus de Atteio Capitone agens. *Consulatum ei acceleraverat Augustus, vt Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem dignitate eius magistratus anteiret, namque illa ætas duo pacis decora simul tulit, sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior. Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi quòd Præturam intra stetit commendatio ex iniuria, huic quòd consulatum adeptus est, odium ex inuidia oriebatur.* Suetonius in Augusto.

Noct. Attic, l. 20. c. 1.

d. l. 2. De Origine Iur.

l. Annal. 3. in fine.

Augusto. *Antistius Labeo senatus lectione cum Tri-* Cap.54.
umuirum legeret Marcum Lepidum hostem olim eius
(Augusti scilicet) *& tunc exulantẽ legit: interroga-*
tusq3. abeo (Augusto) *annon essent alij digniores? suum*
quemque iudicium habere respondit. Quod tamen
Dio in Augusto ita narrat. *Cùm Antistius Labeo* lib.54.
(cuius arbitrio legendum senatum Augustus permise-
rat) in senatorum numerum Lepidum retulisset, per-
iurium ei Augustus obiecit, suppliciumq3 minatus est: at
cùm is respondisset non videri sibi rem indignam hanc
à se factam, quòd eum virum in senatu retinuisset, quem
ipse Augustus adhuc pateretur esse Pontificem Maxi-
mum, iram omnem Augustus remisit, qui sanè cùm se-
penumero, & priuatim, & publico iudicio hoc sibi sa-
cerdotium expetiisset, non censuit tamen id viuo Lepido
occupandum. Hoc itaque dictum Antistij haud impor-
tunè prolatum esse videbatur, sicut ne illud quidem cùm
in senatu mentione aliquando illata conuenire, vt Au-
gustum ipsi per ordinem singuli custodirent, neque con-
tradicere ausus, neque assentiri, sustinens somnolentum
se, & excubiis pro eo agendis inhabilem esse dixit. Hęc
Dio. Tantum homini ingenij acumẽ, tanta in di-
cendo libertas, tanta inerat constantia; vnde mi-
rum non est si ab Horatio Flacco Principibus
blandiri cupiente insanus vocetur.

——Labeone insanior inter Satyr.l.3.
Sanos dicatur. Satyr.3.

vt rectè ibi notauit Lambinus. Addere ego aliam
causam. Libertino nimirum, ac proinde infimæ
penè conditionis homini iure quodammodo in-
sanum eum visum, qui summum in Republica
magistratum offerente etiam Principe respuerit,

sed cur id fecerit dicetur inferiùs. Labeonis certè honorificam ab omnibus quantumuis maledicis, vel ipsius parum amicis factam fuisse mẽtionem, Attei Capitonis, qui cum eo de Iuris peritiæ contendit principatu, testimonio nobis erunt hæc ab A. Gellio relata verba. *In quadam epistola Attei Capitonis scriptum legimus, Labeonem Antistium legum atque morum Populi Romani, iurisque ciuilis doctum apprimè fuisse; sed agitabat, inquit, hominem libertas quædam nimia, atque vecors, vsque eò vt Diuo Augusto iam Principe, & Rempublicam obtinente, ratum tamen, pensumq; nihil haberet, nisi quod iustum, sanctúmq; in Romanis antiquitatibus legisset. Ac deinde narrat, quid idem Labeo per viatorem à Tribunis Plebis vocatus responderit: cùm à muliere, inquit, quadam Tribuni Plebis aduersum eum aditi, Gellianum ad eum misissent, vt veniret, & mulieri responderet: iussit eum, qui missus erat, redire, & Tribunis dicere: ius eos non habere neque se, neque alium quemquam vocandi, cùm moribus maiorũ Tribuni Plebis prehensionẽ haberẽt, vocationem non haberent: posse igitur eos venire, & prehendi se iubere: sed vocandi absentem ius non habere.* Adhuc A. Gellius. Petronius Labeonem Seruio Sulpitio summo viro non dubitauit adæquare, sic enim ille.

Noct. Attic. l. 13. c. 12.

In satyris.

Iurisconsultus Paret, non Paret, habeto,
Atque esto quicquid Seruius, & Labeo.

Cur autem oblatum ab Augusto repudiarit ille consulatum, quo suffectus fieret, duplicem ego assignarim causam. Primò enim ominosum erat iuxta quorundam sententiam, in demortui, vel abdicati locum vocari, id enim suffici est, licèt præci

præcipuè id in Censoria obseruaretur dignitate. Liuius. *C. Iulius Censor decessit, in eius locum M. Cornelius suffectus, quæ res postea religioni fuit: quia eo lustro Roma capta est, nec deinde vnquam in demortui locum Censor sufficitur.* Idem. *Nisi vniuersam Rempublicam eo nefario obstrinxeris: quod ominari etiam reformidat animus, vrbs eo lustro capta est, quo demortuo collega C. Iulio Censore L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam subrogauit.* Secundò, quia minùs certè honorificum erat in alterius suffici locum, nam neque tãtæ autoritatis suffecti erant Consules, quantæ Ordinarij, siue Maiores, neque ab illis anno dabatur nomen, sicut ab Ordinariis. Panuinus. *Hi enim Consules, qui Kal. Ianuarij magistratum inibant, appellabantur Consules Ordinarij, siue Maiores, qui etsi toto anno Consules non essent, quicquid tamen eo anno memoria dignum agebatur, ita sub eorum consulatu notatum erat, ac si anno integro Consules fuissent; cùm ipsi anno nomen darent, annorumq; series ab eorum consulatibus numeraretur, quamquam iam antea aliis suffectis Consulatu abiissent. hi verò Consules, qui Ordinariis abdicantibus in aliquot reliquos anni menses subrogabantur, dicebantur Consules suffecti, siue minores; hi plerunque non ita nobiles erant, sicut Ordinarij, qui, vt dixi, in binos, ternósve, aut plus, vel minùs anni menses magistratum gerebãt, vt Imperatoribus libuisset.* Labeo itaque antiqui moris vir, qui se omnibus eius ætatis hominibus iurisperitia, & animi magnitudine anteire (nec falsò credebat) is esse noluit Consul, qui minor dicererur, qui minùs haberetur nobilis, qui nomen anno non daret, & L. 5. L. 9.

à quo annorum series non numeraretur, vt ante oppressam fiebat Rempublicam, quando annales erant Consules. quanuis C. Atteius Capito Principibus obsequentissimus huiusmodi consulatu contentus fuerit; hic nanque ex Kal. Iuliis cum C. Vibio Posthumo collega Consul fuit Anno ab Vrbe condita iuxta Panuinum 759. cui Consules adnotantur Ordinarij M. Lepidus, & L. Aruntius. Quo aurem obierit anno Q. Antistius Labeo adhhuc non liquet; liquet tamen ante annum Imperij Tiberij Cæsaris octauum vita functum esse, & habita ratione temporis, in quo illius decessit pater, & quia eo Tiberij anno obiit (vt vult Tacitus) Capito, qui Labeonis (vt suprà ex A. Gellio retulimus) tanquam iam mortui mentionem fecit.

l. 3. in fine.

An Noe idem cum Iano fuerit.

CAPVT XVII.

l. 3.

NOA eundem fuisse cum Iano affirmat Ioannes Annius Viterbiẽsis in commentariis ad suppositititium illum suum ipsius Berosi librum, latéque probare contendit, quem tamen planè irridet Lilius Gregorius Gyraldus, ridiculum esse dicens asseuerare Noa eundem esse cum Iano. Verùm hisce valere iussis quid hac de re

Syntagma. l. 4.

re ſentiam, paucis diam. Noa inuentorem fuiſſe vini conſtat ex ſacris literis, eundemque generis reparatorem humani, vt pote qui vniuerſali terrarum inundationi ſuperſtes fuit,& à cuius filiis, ac neporibus totus denuò cœperit habitari orbis. Manifeſtum etiam eſt gubernatorem,vel gubernationem, Ianoë dici apud Hebræos, ſicut & Iain, vinũ, quæ certè nomina nulli potiùs, quàm Noë conueniunt: quis enim potiori iure gubernator? quis à vino denominari aptiùs quàm inuentor potuit? à Iain autem proculdubio deſumptum Græcum verbum Ἰάω, Iæno, quod eſt exhilaro,lætifico; proprium enim vini lætificare, quod præter Horatium, & alios Regius teſtatus eſt vates. *& vinum lætificet cor hominis*. quare crediderim certè ego, Ἰάων priùs, deinde antiquata diphtongo Ἰανων Græcis, Ianum Latinis dictum Noa, quod ex Iani attributis planè deprehenditur: Gemina enim pingebatur facie Ianus, quarum vna ea, quæ ante, altera verò ea,quæ poſt ſe erant, apertè cernebat, teſte Macrobio, quod & videre eſt in aliquot noſtris veruſtiſſimis æreis, & argenteis numiſmatibus; Noa ſcilicet innuere ſimili pictura voluit antiquitas, qui primam vidit,ac præteritam iam mundi ætatem, quæ diluuium præceſſit, & eam etiam, quæ ſubſecura eſt diluuiũ. Pingebatur etiam baculum tenens dextra, ſiniſtra verò clauem.Ouidius.

Geneſ.9. & aliis.

Pſalm.103.

Satur.1.c.7.

Ille tenens baculum dextra,clauémque ſiniſtra. Faſtor.1.

cuius rei cauſam ipſemet Ianus reddit apud eundem.

Quicquid vbique vides,cœlum,mare,nubila,terras, Ibidem.

Omnia sunt nostra clausa, patentq́; manu.
Me penes est vnum vasti custodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum est.

Satur. 1. c. 9. Cui etiam consonat Macrobius. *Nam & cum claui* (ait) *ac virga figuratur, quasi omnium & portarum custos, ac rector viarum.* & clauibus certè custodiam, virga verò gubernationem, & imperium designari, videre est apud Pierium, sed & in sacris literis, *tibi dabo claues regni cœlorum*, dixit Saluator Petro. *Virgam virtutis tuæ emittat Dominus ex Sion. Reges eos in virga ferrea. Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum Virgam vigilantem ego video*; & sexcentis aliis in locis. Quis autem Deo auspice æquè generis humani custos, quis rector, & gubernator, vt Noë, qui vniuersum terrarum orbem in sua progenie rexit, ac gubernauit? vnde optimè illi quadrat Hebraicum nomen Ianoë, quod Latinè gubernatorem significat. Pingebatur in numismatibus antiquis ex aduerso bifrontis Iani nauis quædam (vt in iis quæ in nostro asseruantur musæo apparet) cuius rei causam refert Naso in aduentum Saturni in Italiam regnante Iano, qui ob hospitis honorem, nauim, qua aduectus fuerat, depingi fecit. Plutarchus tamen veriorem attingere videtur inter alias. *An hoc* (inquit) *accommodare est multis? etenim Ianus, Euander, Æneas mari sunt aduecti.* verissima tamen causa est ob memoriam Noëticæ nauium inuentionis, quam iure illi Polydorus tribuit. Arcam enim, quá diuino præmonitus iussu Noë fecit, nauim appellauit grauissimus autor Berosus teste Iosepho, sicut è contrà arcá vocitauit Plutarchus

Psalm. 109. Psalm. 2. Psalm. 124. Hierem. 1.

Fast. 1.

In Quæst. Centur. Rom. De inuentorib. rerũ l. 3. c. 15. l. Antiquit. l. c. 4.

tarchus nauigiũ illud, in quo Deucalion diluuiũ dicitur vitasse Thessalicũ. Posteros ergo Noë credẽdũ est salutis Symbolũ nauim simulcũ Noëtica effigie gestare voluisse. Adde quòd *Cõsuuius dictus fuit Ianus à cõserẽdo* (vt Macrobius ait) *id est à propagine generis humani, quæ Iano autore conseritur.* Quod quidem (Adamum excipias) nulli hominum, præter Noa, potest conuenire. Amplius agricolam dicit sacra Scriptura fuisse Noa. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam*, &c. De Iano autem sic Plutarchus, agens de Numa rege. *Ianúmque ad ingentes honores prouexisse, vt eum qui politicus fuisset, agricolationísque quàm bellandi potiùs studiosus.* Ex quibus omnibus bene (vt credo) probatum est Iani nomine reuera parentem nostrum Noa significasse antiquos, licèt multa illos latuerint ex præcipuis Noë gestis, plurima de illo finxerint. Neque est cur dicas Ianum hunc Italum, & indigenã fuisse, cum Macrobio Hyginium citante, qui Protarchum Trallianum secutus id tradit, nam (vt alibi diximus ex Lucretio, & aliis) ante Troianum, & Thebanum bellum nihil certi reperitur apud Antiquos, & quidem Plutarchus Græcum facit Ianum, ac gente Perrhæbum, vtrumque ergo errasse iure credetur. Dicendum ergo Noa eundẽ esse cum Iano, neque Iani nomine significari Iauan Noë neporem ex Iaphet (à quo nos etiam Hispani originem ducimus) filio Noë natu maiore (vt & Hebræorum auctoritate, & validissima ratione bene probat Genebrardus aduersus quosdam ex nostris) quod nullo argumento cre-

De animãtium cõparatione.

I. Saturn. r. c. 9.

Genesis 9.

In qu. Cent. Rom.

I. Saturn. r. c. 7.

In Quæst. Cent. Rom.

In Chron.

In libello de Numismatibus. n. 1

didit Constantius Landus; falsò enim pro hac sententia citat ille Iosephum, nec non & sacram paginam: Iosephus enim, Hieronymus, & Isidorus, cæterique nihil aliud de Iauan retulêre, nisi quòd ab ipso Iones Græci originem trahãt, quod ipsum sacra eriam confirmare videtur scriptura, dum sub nomine Iauan Græciam intelligit apud Esaiam, Ioelem, & Danielem. Quantumuis prophani scriptores Herodotus, Strabo, Vitruuius, ac Pausanias Iones Græcos (nam ab iis deriuati sunt Asiatici) ita denominatos affirment ab Ione Xuthi filio, ac Deucalionis pronepote, qui certè Deucalion (vt ex Eusebio & aliis colligit Genebrardus) octingentis ad minimum annis Noa posterior fuit.

1. Antiq. 1. c. 7.

In Genes.

Esai. 66 c.

Ioel. c. 3.

Dan. c. 8. & 9

Herod. l. 7.

Strab. l. 8.

Vitruu. l. 4.

Paus. In Achaicis.

Lucanus in enarrandis Massiliensium sacris à Iosephi Scaligeri calumnia vindicatus; humanis litandi hostiis Gentium aliquot ritus.

CAPVT XVIII.

IOsephus Scaliger hominum nostræ tempestatis bonarum literarum cognitione postponendus nulli, sed qui immeritam Hispanorum gentem hæreditario prosequutus videtur odio, conciuem meum

meum Lucanum immortali laude dignum poëtam non poëtices dūtaxat, Aſtronomiæ, ac Geographiæ (nam & in hoc iudicio iampridē ipſius Pater Iulius Cæſar ineptierat) verùm hiſtoriæ etiam, &, quod peius eſt, ſuorum ferè temporū hiſtoriæ ignarum, ac neſcium prædicat. Eius verba in commentariis ad librum Manilij 1. hæc ſunt. *Quid in hiſtoria rerum qualis eſt? vt cùm Maſſilienſes ait homines immolare, quia ſciebat eos eſſe in Gallia, & Gallos eas victimas immolare ſolitos apud Cæſarem legerat, ſed non meminerat Maſſiliotas, non Gallos, ſed Græcos eſſe.* Hæc ille. Verùm priùs quā calumniæ faciam ſatis, Scaligerum vel coram maximis Hiſpani nominis hoſtibus iudicio ſiſtam, atque hoc ab illis declaratum velim, vtri maior hac in re adhibenda fides, Scaligeróne, qui tot ſæculorum ſerie Lucanum ſubſequutus eſt, an Lucano ipſi, qui Maſſilienſium ritus non audiſſe, ſed vidiſſe, ſi paulo illi ſuperior contigiſſet ætas, & manibus, vt ita dicam, potuit cōtrectaſſe? cùm ante Diui Claudij tempora, qui ſeueriſſimo illas ſuſtulit edicto, humanæ mactari hoſtiæ non deſierint, quod tamen vſque ad Adriani tempora omnino abolitum non eſt: hic enim, teſte Euſebio, id fieri prohibuit penitus. Pronuntiabunt certè illi pro Lucano. At vnica ſe poterit exceptione defendere Scaliger, ſi nimirū Maſſilienſium hunc mactandorum hominum morem à nullo præter Lucanum autore memoratum fuiſſe, probauerit. Sed vt ita factiratum credatur, id iam à Lucano dictum fuiſſe, omnibus (vt opinor) videbitur ſatis. Ad rem tamen propiùs

Euſeb. de Præp. Euāg. lib. 4. cap. 7. quod etiam habet Lact. l. 1. de falſ. Relig. c. 21.

propiùs accedẽdo, Lucanum dico in tertio Pharſaliæ libro lucum, quem Cæſar in oppugnatione Maſſiliæ excidit, deſcribentem, ita hunc mactandorum hominum ritum tetigiſſe.

Hunc non ruricolæ Panes, nemorúmque potentes
Syluani, Nymphæq́ tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deûm ſtructæ diris altaribus aræ,
Omnis & humanis luſtraia cruoribus arbos.

Primò ergo affirmare auſim Lucanum malè intellectum fuiſſe à Scaligero, dum ex hoc loco Maſſilienſes iuxta Lucani ſententiam homines immolare ſolitos colligit Scaliger: Poëta namque nullo modo (meo iudicio) hos tribuit Maſſilienſibus ritus, ſed Gallis. Druides enim Gallorum Sacerdotes, Philoſophi, & Magi in lucis ſemper, & habitare, & ſacra facere conſueuerant, vnde & ſortiti ſunt nomen teſte Plinio, δρῦς namque quercus, robur, imò & omne arboris genus; cúmque ipſis nulla ferè alia in toto illo tractu relicta eſſet ſylua, priore enim Gallico bello exciſſæ penè omnes à Cæſare fuerant, vt Lucanus ibidem docet; l. 16. c. vlt.

Hanc iubet immiſſo ſyluam procumbere ferro,
Nam vicina operi, bellóque intacta priore
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes.

reliquum erat, vt ibi & degerent, & ſua peragerent deteſtanda ſacra Druides, & Equites Galli: & hoc voluiſſe Lucanum planè indicant ſubſequentes verſus.

——propulſaq́ robore denſo
Suſtinuit ſe Sylua cadens, gemuêre videntes
Gallorum populi, muris ſed clauſa inuentus

Exultat.

Exultat.

Et hoc non Lucanum ſolum, ſed Ciceronem etiam ſenſiſſe, non dubitarem aſſeuerare, dum de Maſſilia Ciuitate in Oratione pro Flacco ait ille. *Cùm in vltimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fructibus alluatur.* quibus enim barbariæ fructibus, niſi vicinis his nefariis ſacris allui potuit Maſſilia? nullis certè, quos legerim aliis: Propria enim Maſſilienſium inſtituta Valerio Maximo, Iuſtino, Straboni, & ipſi denique Ciceroni laudatiſſima ſemper fuiſſe paſſim apud omnes reperimus. Sed iniuriam faciamus Lucani verbis: demus hoc Scaligero, Maſſilioras homines immolaſſe: quid tunc? hiſtoricæ ignorátiæ reus erit celeberrimus poëta? minimè certè gentium. Si enim per Scaligerum alienum fuit à Maſſilienſium moribus homines immolare, quia Græci Maſſilienſes, & non Galli, cùm id à Græcorum ritibus non alienum oſtenderimus, nec à Maſſilienſibus etiam alienum fuiſſe, neceſſe erit fateri; & quidem apud interpretem Lycophronis relatum eſt, cùm vrbs Græcorum aliqua peſtilitate, aut fame, vel maiore vi, atque calamitate affligeretur, conſueuiſſe hominem in ea fœdiſſimum perquiri, quem caſeo cum placenta, & caricis allectum, ſepties virgultis quibuſdam circa pudenda verberatum, tandem facta ſcrobe comburebant, eiuſque cineres in mare proiiciebant, ſic expiari ciuitatem credentes, cuius rei & Hipponax in Iambis, & Lycophron in Locride meminêre. Ita Epheſiorum vrbem peſte laborantem ab Appollonio expiatam, obruto lapi-

Val. Max. l. 2.
Iuſt. l. 43.
Strab. l. 4.
Cic. vbi. ſuprà, & alibi.

dibus

In vita Apollonij l. 4

dibus seniculo quodam autor est Philostratus. Sic Abderæ Thessalicæ Ciuitatis incolas statis diebus deuotum hominem lapidibus obruere solitos Ouidius illo in Ibim carmine cecinit.

Aut te deuoueat certis Abdera diebus,
Saxaque deuotum grandine plura petant.

Pelasgos Græcam gentem, vt à grauibus liberarentur calamitatibus, & morbis omnium suæ gentis hominum decimas Diis quondam sacrificasse Dionysius Halicarnasseus retulit. Lacædemonas humano sanguine feciſſe Dianæ Orthiæ, siue Tauricæ, ita testatur Pausanias. *Edito propterea oraculo iussi sunt aram humano sanguine cruentare. Cùm autem immolaretur quemcunq; sors tetigerat, Lycurgus rem in adolescentum flagra commutauit. Et sic quoque humano sanguine ara implebatur.* Idē præterea narrat ad bellum vsque Troianum singulis annis Achæos puellam ac puerum forma præstantissimos Dianæ Triclariæ sacrificasse. Sed & aliarum Græciæ gentium hos diros seruantiū ritus meminit Alexandrinus Clemens. *Et Aristomenes quidem Messenius Ithomete Ioui trecentos* (scilicet homines) *mactauit, se tot, & tales hecatombas ritè sacrificare existimans, in quibus etiam Theopompus Rex Lacædemoniorum, erat præclara victima. Tauri autem populi, qui habitant circa Tauricā Chersonesum, quoscunque hospites apud se ceperint, ex iis qui mari aberrarunt, Dianæ Tauricæ eos statim sacrificant. Hæc tua sacrificia Euripides in scena tragicè decantat. Monimus autem in collectione rerum mirabilium refert in Pella Thessaliæ Achæum hominem sacrificari Peleo, & Chironi. Lycios autem (sunt hi ve-*

Roman. Antiq. l. 1.

In Laconic.

In Achaicis.

In adhort. ad Gentes.

rò

rò gens Cretenſium) pronuntiat itidem Anticlides in reditibus, Ioui mactare homines, & Lesbios Dionyſio ſimile offerre ſacrificium dicit Doſidas. Phocenſes autem (neque enim eos præteribo) eos ſcribit Pythocles in tertio de concordia, hominem holocauſtum offerre Dianæ Tauricæ: Erechtheus autem Atticus, & Marius Romanus ſacrificarunt filias ſuas. Quorum ille quidẽ Perſephonæ, vt Demaratus in primo rerum Tragicarum: hic autem, nempe Marius Diis Auerruncanis, ſeu malorum depulſoribus, vt Dorotheus ſcribit in quarto rerum Italicarum. Adhuc Clemens. Simile quiddam ſcribit Plantiades Fulgentius in libello de ſermonum antiquorum expoſitione. *Diophãnus* (inquit) *Lacædemonius, qui de ſacris Deorum ſcripſit, ait apud Meſſenios Ioui ſolere ſacrificari ſacrum, quod ἑκατονφόνια appellatur: ſiquis enim centum hoſtes interfeciſſet, Ioui hominẽ ſacrificabat apud Ithomen: quod ſacrificatum eſt à duobus, Ariſtomene Gortynenſi, & Theoclo Elæo, ſicut Soſicrates ſcribit.* Meminêre etiam deteſtandi huius Græcorum ritus non vulgaris notæ poëtæ: Latinorum Princeps Vergilius in 2. diuini operis.

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa,
Cùm primùm Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animáque litandum
Argolica.

Meminerat & priùs Lucretius.

Relligio peperit ſceleroſa, atque impia facta, lib. 1.
Aulide quo pacto Triuiai virginis aram
Iphianaſſæo turparent ſanguine fœdè.

Propertius.

Hoc iuuene amiſſo claſſem non ſoluit Atrides, lib. 3.

Pro

Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Idem de Calchante agens augure.

lib. 4. *Idem Agamemnoniæ ferrum ceruice puellæ*
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.

Horatius Agamemnonem alloquens.

Satyrar. l. 2. Sat. 3. *Tu cùm pro vitula statuis dulcem Aulide natam*
Ante aras, spargisque mola caput improbe salsa,
Rectum animi seruas?

Et paulo inferiùs Agamemnonis indutus personam.

Verùm ego vt hærenteis aduerso littore naueis
Eriperem, prudens placaui sanguine diuos.

lib. 12. Rem narrat Ouidius in Metamorphoseon libris. Extat & huius argumenti elegans Euripidis Tragœdia, Iphigenia in Aulide, nomine; qua dere latè etiam agit Sophocles in Electra. Retulit & hunc Iphigeniæ casum Cicero, causam tamen

1. Officiorū 3. longè aliam illi tribuit. *Quid?* (inquit) *Agamemnon cùm deuouisset Dianæ quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potiùs non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit.* Verùm non Diis duntaxat humanis litare hostiis consueuêre Græci, quin & mortuorum etiam hominum manibus mactatis itidem hominibus parentare soliti. Vnde apud Homerum Achilles in Patrocli funere.

Iliad. l. 23. *Bis sex nobilium Troum de sanguine natos,*
His ego mactabo manibus, tibi amice, tuisq;
Manibus inferias, cinerum hîc ad busta tuorum.

Et inferiùs.

——Ter quattuor addit

Egregios

Egregios iuuenes præstanti ex sanguine Troum,
Infesto mactans animo.

quem imitatus ait Vergilius, Æneam Pallantis parantem exequias optimo suo more describens.

——Sulmone creatos Æneid. l. 10
Quattuor hic iuuenes totidem quos edidit Vfens,
Viuentes rapit, inferias, quos immolet vmbris,
Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.

& alibi de eisdem agens inferiis.

Vinxerat, & post terga manus, quos mitteret vm- l. 11. Æneid.
bris
Inferias, cæso sparsurus sanguine flammas.

Sed & manibus etiam Achillis à Neoptolemo filio mactatæ ad aras Polyxenæ sanguine parentatum, primus, vt credo, Euripides autor fuit in Troadibus, & Hecuba, quem alij multi, tũ Græci, tum Latini sequuti sunt. Naso.

Rapta sinu matris, quam iam propè sola fouebat, Meta. l. 13.
Fortis, & infelix, & plusquàm fœmina, virgo
Ducitur ad tumulum, diróq; fit hostia busto.

Quam quidem narrationem latè deinde prosequitur poëta; latè etiam Tragicus noster Seneca in Troade, latiùs tamen quisquis ille fuit, Quintus Calaber in libris Paralipomenon, seu lib. 14.
prætermissorum ab Homero. Verũ enimuerò ne Romanos quidem ipsos, nedum Græcos (quo minùs Massilienses miremur) ab huiusmodi abstinuisse execrandis sacris, quoties aliqua ciuitati imminentia mala auertere curabant, autor est Aristophanis interpres, fortassis quia profecta existimabant mala à malis Diis, quos humanis

cædibus placari credebant. Diuus Augustinus. *Cùm præsertim Labeo, quem huiuscemodi rerum peritissimum prædicant, numina bona à numinibus malis ista etiam cultus diuersitate distinguat, vt malos Deos propitiari cædibus, & tristibus supplicationibus asserat: bonos autem obsequiis lætis, atque iucundis.* & quidem huiusmodi sacris vsos illos asserit his verbis Liuius. *Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus, & Galla, Græcus, & Græca in foro Boario sub terra vivi dimissi sunt in locum saxo conseptum, ibi antè hostiis humanis minimè Romano sacro imbutum.* Plinius. DCLVII. *demum anno Vrbis conditæ Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur: palámque in tempus illud sacra prodigiosa celebrata.* Sed & ad ipsius Plinij tempora, & deinceps etiam perdurasse dira hæc sacra, ipsius Plinij, & aliorum testimonio comprobatur. ille igitur sic; *Boario verò in foro Græcum, Græcámque defossos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, etiam nostra ætas vidit.* Plutarchus. *Præterea noui sacrorum ritus, soliti enim antehac nihil barbaricum, aut inusitatum facere, sed quàm maximè Græcorum ceremonias imitari, eo tum bello* (scilicet Punico Annibalis) *incidente, coacti sunt Sybillini oraculi iussu duos Græcos, virum, & mulierem, itémque duos Gallos in foro Boario viuos defodere: quomodo etiamnum mense Nouembri Græcis, & Gallis arcana sacra fiunt.* Idem alibi. *Cùm ipsi non multis antè annis viros duos, & duas fœminas in foro Boario, alteros Græcos, alteros Gallos sub terra viuos demisissent.* Et Ioui quidem Lariari, seu

De Ciuit. Dei l. 2. c. 11.

lib. 22.

lib. 30. c. 1.

lib. 28. c. 2.

in M. Marcello.

In qu. Cent. Rom.

seu Latiali humano fieri sanguine multi prodidêre non spernendæ autoritatis scriptores. Tertullianus. *Latio ad hodiernum diem Ioui media in urbe humanus sanguis inguſtatur.* Et alibi idem. *Romæ Iupiter quidam, quem Ludis suis humano proluũt sanguine.* Minutius Felix. *Iupiter cùm Latiaris dicitur, de cruore perfunditur.* Item. *Hodiéque à Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum est, mali, & noxij hominis sanguine saginatur.* Lactantius Firmianus.. *Nec Latini quidem huius immanitatis expertes fuerunt: siquidem Latialis Iupiter etiam nunc sanguine colitur humano.* Aurelius Prudentius in Symmachum;

In Gnostic.

In Apolog.

De falsa Religione l. 1. c. 21.

In cassum arguere iam Taurica sacra solemus:
Funditur humanus Latiari in munere sanguis,
Consessusq; ille spectantum soluit ad aram
Plutonis fera vota sui, quid sanctius ara,
Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?

lib. 1.

Et hæc ferme sunt quæ de talibus referunt sacris à Græcis, & Romanis factitatis classici autores prædicti: mitto enim huiusmodi barbararũ gẽtium ritus, mitto Magorum, quales Erichthonis Thessalæ apud Lucanum, impij Iuliani Augusti apud Theodoricum in Cassiodori tripartita historia. Si ergo Romani Liuio, Plinio, Plutarcho, Tertulliano, Minutio, Lactantio, Prudentio testibus, humanis vsi hostiis; si Ephesij, teste Philostrato; si Abderitani, Ouidio; si Pelasgi, Dionysio Halicarnasseo; si Lacædemonij, & Achæi Pausania; si Pellei Thessali, Lycij Cretenses, Lesbij, Phocenses. Clemente Alexandrino autoribus; si denique Rhodij Saturno, Chij Diony-

lib. 6.

l. 6. cap. 48.

Eusl 4. de præpar. Euang. c. 7. & 8. Lactant. vbi supra.

lib. 43.

sio ex Eusebio ; Salaminíque Cyprij ex Lactantio Ioui hominem immolabant; cur Lucano credendum non erit de Massilienſibus id asseuerati ? (simodò asseuerat) cùm & Romanorum soscij,ipsísque equo fœdere coniuncti fuerint Massilienses , vt autor est Trogus , seu ipsius abbreuiator Iustinus, & à Græcis Asiaticis , Phocensibus nempe (qui & Tauricæ Dianæ homines mactabant , vt ex Clemente retulimus) oriundi.Sed vt aliquid ad similia pertinens sacra de ipsismet Massilienſibus dicamus , tale illorum institutum refert Seruius Grammaticus in illud ex tertio Æneidos. *Auri sacra fames. Sacra* (inquit ille) *execrabilis , tractum ex more Gallorum: nam cùm Massilienses peste laborabant , vnus se ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis , & purioribus cibis: postea verbenis vestibúsque sacris ornatus circumducebatur per vrbem cum execrationibus, vt in eum incideren omnia mala ciuitatis, & sic proiiciebatur. hoc autem in Petronio lectum est.* Adhuc Seruius. Quòd si hac in re Petronio fides adhibetur, cur & in altera Lucano ipsius coætaneo (simodò is arbiter delitiarum Neronis fuit) fides abrogabitur ? Verùm vt finem faciam , duo mihi credi-tu difficilia videri ingenuè fateor , alterum, Massilienses, quanuis nec Romanorum socij, neque à Græcis essent oriundi , à finitimis Gallis diros ritus , prauúmque sacrificandi morem non deſumpsisse : hoc enim ferè semper in gentium, ac regnorum confiniis accidere videmus , vt vitia quibus vtraque gens laborat, vtraque participet, neque itidem virtutes , vt pronior est nostra hæc in

in malum natura: alterum verò, Ioſephum Scaligerum virum literarum cognitione inſignem, ac ingenioſum (vtinam æquè pium) iſthæc, quæ retulimus nos, aut omnia, aut plura cognita iam dudum non habuiſſe: cæterùm præ liuore, aut odio in Lucanum, vel potiùs in omne Hiſpanum nomen, ſimilia ſcripſiſſe deliramenta.

Quis primus carmina fecerit. Ianus Parrhaſius, & Julius Cæſar Scaliger reprehenſi.

CAPVT XIX.

POëſim (quam nihil aliud, quàm imitationem eſſe rectè dixit Ariſtoteles) ſimul cum hominibus natam ex Democriti ſententia retulit Horatiùs, affirmauit Cicero, idque etiam ſenſiſſe Euripidem aſſeruit Plutarchus. Sed longè meliùs idem, quem modò nominauimus, Ariſtoteles. *Cùm verò* (inquit) *nobis natura inſita ſint imitatio, harmonia, numerus* (*metra enim numeri partes eſſe ſatis apparet*) *ab initio ad hæc maximè facti, ea paulatim promouentes ex ipſis quidem extemporariis Poëticam gennerunt: in diuerſa verò abiit pro vniuſcuiuſq; natura.* Quòd ſi mundum non ab æterno, ſed in tempore factum, primúmque parentem noſtrũ fuiſſe Adamum hic cognouiſſet Philoſophus, pri-

Poëtic.c. 1. De Arte Poëtica. Cicero Pro Archia. Plut. De Pythiæ orac. Ariſt. Poët. c.2.

mum proculdubio in mundo Poëtam fuisse Adamum affirmasset: & iure quidem optimo, quandoquidem Hebræi Psalmum 92. ab Adamo compositum asseuerant, Genebrardo teste. Sed omissa Adami Poësi, hunc enim omni scientia sibi ab Opifice Deo reuelata imbutum, extra controuersiam esse debet, quis naturali, & elaborata industria primus carmina fecerit, iam videamus. Diodorus certè ex Ægyptiorum sententia hanc Mercurio Ægyptio tribuit adinuentionem, qui tamen alibi Musis. *Musis* (ait) *à Patre* (Ioue nimirum) *concessa est literarum inuentio, & carminum, quæ Poësis appellatur, ratio.* Laërtius illam quodam modo ex Barbarorum sententia Orpheo videtur tribuere, ex Græcorum verò Musæo Eumolpi, & Lino, quem Mercurio, Musaque Vrania genitum dicit contra Vergilij placita, qui sic.

Chron. l. 1. & in Ps. 91.

l. Bibl. 1. c. 2.

lib. 6. c. 15.

In Proëmio.

In Pollione.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamuis, atq; huic pater adsit,
Orpheo Calliopea, Lino formosus Apollo.

Horatius carminis Heroici autorem videtur facere Homerum, Iambici Archilocum, Tragœdiæ Thespim.

De Arte.

Res gestæ Regumque, ducumque & grandia bella,
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.
Archilocum proprio rabies armauit Iambo.

&,

Ignotum Tragicæ genus inuexisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis.

Tragœdiam tamen, & Comœdiam sibi Dorien-

ses

ſes vendicare, ac Megarenſium colonos tradit Ariſtoteles. Fabius Quintilianus Æſchylum primum in lucem edidiſſe Tragœdiam putat. Bucolicum carmen adinueniſſe in Sicilia Daphnim Mercurij filium, Bucolon dictum à cura Boum, quibus nimium delectabatur, autor eſt Didorus. Elegorum Callinoum facit autorem Terentianus Maurus: alij Etheoclem Naxium, vt Parrhaſio placet. Sydo Neptuni ſoror ex Phœnicum Theologia apud Cæſarienſem Euſebium prima hymnos carminibus compoſuiſſe dicitur. Heroici carminis inuentionem oraculo tributam Pythio refert Plutarchus; Plinius certè varia variis. *Cithara ſine voce cecinit Thamyras primus, cum cantu Amphion, vt alij, Linus. Citharedica carmina compoſuit Terpander. Cum tibiis canere voce Trœzenius Dardanus inſtituit, ſaltationem armatam Cureres docuêre, Pyrrhicem Pyrrhus, vtranque in Creta. verſum Heroicum Pythio oraculo debemus. De Poëmatum origine magna quæſtio eſt, ante bellum Troianum probătur fuiſſe.* Adhuc ille. Clemens Alexandrinus ex Græcorum opinione. *Modos autem Poëmatibus primus adiecit, & Lacædemoniorum leges numeroſis verſibus ſcripſit Terpander Antiſſæus. Dythyrambum autem excogitauit Laſſus Hermioneus. Hymnum Sterſichorus Imeræus. Choream Alcman Lacedæmonius. Amatorias Anacreon Teius. Yporcheſin, id eſt canticũ ad ſaltandum accommodatum Pindarus Thebanus, & Nomous, quos vocant, primos cecinit in choro, & cithara Timotheus Mileſius. Iam verò Iambum quidem excogitauit Archilocus Parius. Claudum autem Iabum Hipponax Ephe-*

Ariſt. Poët. c. 2.

Quint. l. 10. c. 1.

l. Bibliot. 5. c. 14.

In Horatij Poëticam. De præpar. Euang. l. 1. c. 7.

Plutar. De Pythiæ Oraculis.

Plin. l. 7. ca. 56.

l. Stromatum 1.

sius, & Tragœdiam quidem Thespis Atheniensis. Comœdiam autem Sisarion Icarieus. Hæc ille. Verùm valere iussa Ethnicorum hallucinatione potius, quàm doctrina circa Poëseos originem, & inuentionem, aliqui (vt Posseuinus) refert, filium Lamech Caini abnepotis Iubal primum fuisse autumant Poëseos autorem, ea adducti coniectura, quòd sacra Scriptura illum fuisse Patrem canentium Cithara, atque organo dicat, Iosephúsque hunc Musicæ operam dedisse, psalteriúmque & Citharam inuenisse tradat, à quo iubilãdi vocabulum in aliquot linguas fluxisse putat Genebrardus. Cæterùm licèt possibile sit hunc Iubal versus ceciniſſe ad citharæ sonum, sícque primus ille post Adamum credi possit Poëta: tamen ad certiora nobis progrediendum est, neque hac in re coniecturis, licèt non omni ex parte futilibus, & vanis, sed certis autoritatibus, atque omni exceptione maioribus vtendum. Dico igitur rectè Polydorum Vergilium hanc Poëtices inuentionem secluſis gentium opinionibus Moysi tribuisse: hunc enim & Poëtam, & antiquissimum omnium, quos prophani celebrant autores, satis liquet extitisse. Et quidem Poëtam fuisse Moysem planè apparet ex sacra pagina, in libro enim Exodi sic legitur. *Tunc cecinit Moyses, & filij Israël carmen hoc Domino, & dixerunt. Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare.* & in Deuteronomio. *Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit filios Israël.* Et paulo inferiùs. *Locutus est ergo Moyses audiente vniuerso cœtu Israël verba carminis huius*

Bibliothecæ selectæ l. 18. c. 3.

Gen. c. 4.

Chron. l. 1.

De inuentoribus rerum. l. 1. c. 8.

cap. 18.

cap. 32.

&

& ad finem vsque compleuit. Audite cœli, quæ loquor, &c. & licèt Scripturæ sacræ autoritas nulla indigeat corroboratione, Philonis tamen Iudæorum doctissimi verba circa Moysis carmina non abs re visum fuit hic apponere, sicut & aliorum grauium scriptorum; ait ergo Philo præmissa narratione transitus maris rubri. *Quamobrem propheta mentis hymnis celebrauit autorem tanti beneficij, distributa enim tota gente in duos choros, alterum virorum, alterum mulierum, ipse viris carmen præiuit, sororem dedit præcentricem fœminis, vt hymnos in Parentem, conditoremq; alternis canerẽt versibus non discrepante à moribus carmine: dum certatim canunt suis vicibus, & carmen miscetur è sonis acutis, atque grauibus: nam virorum voces graues sunt, acutæ mulierum, vnde temperamentum fit commensuratæ, suauiterq; aptatæ melodiæ.* Iosephus etiam enarrato eodem rubri maris miraculoso transitu, hæc subdit. *Quapropter tum sua salute, tum inimicorum supplicio læti magis, quàm nulli antehac homines in hymnis, & hilaritate totam noctem exegerunt: & Moyses carmen laudes Dei, & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit.* Idem etiam de Moysis vitæ exitu. *Deinde carmen hexametrum eis recitauit, quod scriptum reliquit in sacro volumine, continens prædictionem futurorum, secundùm quam omnia facta sunt, atque fiunt, euentis nunquam non congruentibus.* Vndecim etiam Psalmos, videlicet è nonagesimo, cui titulus est, *Oratio Moysis serui Dei*, vsque ad centesimum, qui prænotatur, *In confessione*, Moysem scripsisse testatur D. Hieronymus, ac ex Rabbinorum doctrina

De vita Moysis.

I. Antiquitatū 2. c. 7.

Antiquitat. l. 4. c. vlt.

Hieron. to. 3. epist. ad Cyprian.

Genebr. in Psalm. 90.

Genebrardus. Librum autem Iob vel editum à Moyse, vel certè ex Syriaca in Hebraicam versum linguam, Polychronius Apameæ Episcopus, & qui sub Origenis nomine commentaria in Iobum edidit, nec non Bedæ, quæ Hieronymi nomine circumferuntur scripta, planè affirmant. Porrò libros Psalmorum, atque Iob opera quidem esse Poëtica, elegantissimísque constare carminibus, asserit Eusebius Cæsariensis de Hebræis agens. *Sunt etiam apud eos artificiosissima carmina, vt Moysis cantus ille magnus, & cẽtesimus decimus octauus Psalmus Dauid heroico metro, quod hexametrum dicitur, componuntur: sunt alia quoque trimetra, & tetrametra: sed quæ ad dictionem pertinent, elegantissimè, grauissimè, iucundissimeq; composita sunt.*

De Præparat. l. 11. c. 3.

Idem etiam non vno in loco docet Hieronymus, & aliquando his verbis. *Denique quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari nunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Quid Deuteronomij, & Esaiæ cantico pulchrius? Quid Solomone grauius? Quid perfectius Iob? quæ omnia hexametris & pentametris versibus, vt Iosephus, & Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt.* & alibi. *Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur.* alibi denique. *A principio itaque voluminis vsque ad verba Iob, prosa oratio est. Porrò à verbis Iob, in quibus ait. Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictũ est, conceptus est homo, vsque ad eum locum vbi ante finem voluminis scriptum est. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere; hexametri versus*

In Præfat. in Eusebij Chronic.

Tomo 3. ep. ad Paulinũ de studio diuinæ scrip.

In præfat. in Iob tom. 3.

versus sunt dactylo, spondæoq; currentes, & propter linguæ idioma crebrò recipiẽtes, & alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum; interdum quoq; rhythmus ipse dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum solutis, quod metrici magis, quàm simplex lector intelligunt; à suprà dicto autem versu vsque ad finem libri paruum comma, quod remanet, prosa oratione contexitur. Quòd si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græciq; Pindari, & Alcæi, & Sapphus vel Psalterium, vel lamentationes Hieremiæ, vel omnia ferme scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio verum me dicere comprobabit. Hæc sanctus Doctor. Moysem verò fuisse antiquiorem omnibus gentium Theologis, & Poëtis, imò & multis, quos pro Diis cœca coluit antiquitas, iam ostendam. Clemens Alexandrinus latè agens de Moysis antiquitate. *Obserua mihi* (inquit) *tempora ad comparationem ætatis Moysis, & antiquissimæ, quæ eius tempore fuit philosophiæ, non solius autem Philosophiæ, sed etiam omnium ferè artium fuêre inuentores barbari.* Ipse deinde enumeratis, quos suprà retulimus, diuersorum autoribus Poëmatum ex Græcorum sententia, subiungit; *Tempora horum tradunt grammatici, longum autem fuerit ea accuratè dicere, cùm ipse mox ostendatur Dionysius, nempe Bacchus, propter quem celebrantur & Dionysia, & spectacula, esse Mose posterior.* Deinde postquam ex variorum opinione antiquorum Moysem ostendit floruisse temporibus Inachi primi Regis Argiuorum, quorum res cæteris Græcorum rebus antiquiores fuisse

Stromat. l. 1.

ex

ex Dionysio Halicarnasseo probat, enumeratis plurimis generationibus Moyse posterioribus, non hominum solùm, verùm Deorum etiam, Bacchi nimirum, Æsculapij, Castoris, Pollucis, Herculis, & Isidis, addit. *Quare vel ante eam quæ ex Græcorum sententia fuit, hominis generationem Moyses videtur floruisse.* Demum, cùm nõ Orpheo, Musæo, & Lino, verùm Apolline etiam antiquiorem probasset Moysem, concludit. *Plurimis ergo, qui apud Græcos coluntur, Diis, non solùm iis, qui dicuntur Sapientes & Poëtæ, ostensum est nobis Mosem esse antiquiorem.* Lactantius Firmianus Moysem Troianum bellum antecessisse ait, nongentis ferè annis, siue (vt alia habent exemplaria) septingentis, quod propiùs videtur accedere temporum supputationi à Clemente Alexandrino factæ, nec non alicubi ab Eusebio Cæsariensi, qui eadem ferè Clementis latè repetens verba, sic tandem ait. *Quare omnibus Diis, ac heroibus Græcorum multo vetustior Moses inuenitur, non enim Homero solummodò Moses superior, verùm etiam omnibus, qui aliquid apud Græcos scripsêre.* & inferiùs. *Non ergo solùm Poëtis, ac Sapientibus, verùm etiam Diis Græcorum multo vetustior Moses inuenitur.* Hunc tamen ex Porphyrij sententia Semiramidis fuisse coætaneum, & octingentis quinquaginta annis bellum Troianum antecessisse in libris de Præparatione Euangelica asserit: ex aliorum verò doctissimorum scriptorum, Inachi Argiui temporibus, cuius rei palinodiam in præfatione in Chronicon penè recantat, multo enim posteriorem facit, Cecropis videlicet Athenarum Regis

De vera Sapientia. l. 4. c. 5.

De Præparatione. l. 10 c. 3.

gis coæuum, qui 350. annis bellum Troianum antecessit. Idem sensit D. Augustinus, Cecropis nimirum tempore floruisse. Orosius noster Amphitrione tertio à Cecrope Athenis regnante Moysem dicit extitisse, tempore nimirum Deucalionei diluuij, anno ante vrbem conditam 805. Ex Diuo verò Isidoro Moysem ante Troianum bellum 280. annis vixisse colligitur. Ex quibus omnibus satis liquet & Poëtam, & Poëtarum antiquissimum fuisse Moysem, siquidē omnes ethnicorum Poëtas, imò & Græcorum Deos ætate præcessit, bellaque Thebanum, & Troianum, quibus nihil antiquius apud antiquos inueniri scriptum asseruit Lucretius.

De Ciuitate Dei. l. 18. c. 8.

Histor. l. 1.

In Chron.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & cœli, semperq; æterna fuerunt.
Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ
Non alias alij quoque res cecinêre poëtæ?

lib. 5.

At poëmata dices ante bellum Troianum fuisse; affirmat (vt vidimus) Plinius; Linúque, Orpheū, & Musæum ante bellum floruisse Troianum, asserunt Clemens Alexandrinus, & Eusebius. Verùm quid inde? non certè ante Moysem, aut Moysis tempore: quanuis & id affirmanti Plinio, Lucretij negantis autoritatem opponere possemus, nec non & Iosephi, is enim sic de Hebræorum literis agens. *Quandoquidem etiam de iis, qui ad Troiam tam multis pòst annis militarunt, magna dubitatio, & quæstio est, num literis vsi fuerint, & verisimilius habetur, eum, qui nunc est, literarum vsum illis ignotum fuisse: Iam verò apud Græcos nullum omnino, de quo constet, scriptum extat, quod sit Homeri carmine*

Clem. lib. Strom 1. Euseb. de Præparat. l. 10. c. 3.

l 1. Contra Appionem.

carmine antiquius. Homerũ autem post Troiana tempora vixisse patet: & aiunt, ne eum quidem in literas retulisse carmen suum, sed memoriæ commendatum ex cantilenis postea compositum fuisse, eámque ob causam multis in locis discrepare. Hæc Iosephus, licèt con-

De varia historia l. 11. c. 2.

stet referente Æliano ex Trœzeniorum sentẽtia (simodò vlla eis, vtpote Græcis habenda fides) Oræbantij Trœzenij poëmata ante Homerum extitisse: vixisséque etiam ante Homerum Daretem Phrygem, eiusque Phrygiam Iliadem ad sua tempora conseruari idem retulit Ælianus, & hunc Gentilium primum historias scripsisse, idq; in foliis palmarum, noster Isidorus scribit. Quod

Originum l. 1. c. 26.

verò attinet ad Linum, Orpheum, & Musæum, nihil nobis negotij facit, hi enim circa Troiani belli tempora fuerunt. Eusebius Cæsariensis. *Li-*

De præparat. l. 10. c. 3.

numigitur Herculis magistrum fuisse constat, qui ante Troianũ bellum vna fuit generatione: Tlepolemus enim filius eius cum Aganemnone in Ilium militauit, Orpheus autem æqualis Herculi fuit, quem Musæus audiuit. At verò Moyses viginti generationibus Troianum bellum præcessit. Clemens Alexan-

Stromat. 1.

drinus. *Ad tempus autem rerum Troianarum ab Inacho generationes quidem viginti, vel plures numerantur.* Eusebius, licèt aliter postea annos enumeret; *Fuerunt autem ab Inacho ad bellum Troianum generationes viginti, quare ante Iliacum bellum quadringentis ad minus annis ipsum fuisse concedendum est: si igitur post Inachũ omnia præclara facinora Græcorum fuerunt, necessariò etiam post Mosem fuerunt.* At Mosem dicet quis Musæum à Græcis dictum, ex cuius doctrina multa Orpheus didicerit,

ex

ex Numenio,& Artapano habet Eusebius. Ergo iure primus poëta Græcis Musæus. Iure equidem primus poëta Musæus, si idem, qui apud nos Moyses. Attamen Græcus poëta Musæus Troiani belli tempore vixit, Orpheique auditor, non magister fuit, Eumolpi itidem filius, non Amaramis, ita enim pater Moysis vocabatur ex Iosepho. Non igitur idem Musæus poëta, ac Moses. Neque etiam Moysem Sydone Poëtria Neptuni sorore, antiquissima licèt illa fuerit (si modò vnquam fuit) posteriorem fuisse dicendum, longo enim tempore illam ætate præcessit, quandoquidem Sydo, Eusebio teste, longè extitit posterior Mercurio Trismegisto ex Maia Atlantis filia & Ioue tertio procreato, quem quidem Mercurium aut posteriorem Moyse, aut illi coætaneum facit D. Augustinus, & ex ipso Marsylius Ficinus. Insurges vltimò. At Pythium oraculum, cui heroici carminis tribuitur inuentio, non posterius Moyse, non ergo illi bono iure poterit huius carminis inuentio denegari, Moysi tribui. Fuisse autem antiquissimum Delphicum oraculum bene probat Strabo, & hoc Homeri testimonio, dicentis Agamemnonem ab illo responsum petiisse.

De Præparat. l. 9. c. 3. & 4.

Vbi suprà.

D. Aug. De Ciu. l. 18. c. 8. Marsyl. in comment. in Trism.

lib. Geograph. 9.

—Quo nomine maior Atrides
Gaudebat Graiûm aspiciens contendere primos.
Sic enim in Pytho quondam responderat olli
Delius ingresso templum, ac responsa petenti.

Odysseę 8. l.

ipse etiam Homerus alibi.

—Non quanta feruntur
Esse reposta sacra in templo donaria Pythi,
Spicula ab ærato mittentis Apollinis arcu.

Iliad. 9.

Quin

Quin & Delphicam platanum Agamemnonis manu saram ex aliquorum sententia scribit Plinius. Neque mirum hoc si tempore ipsius Moysis fuisse Delphis constructum templum D. affirmat Isidorus, indéque primùm superstitiosam sæuam euasisse vocẽ autor est Cicero. Verumenimuerò licèt grauium autoritate scriptorum videatur comprobata hæc opinio, eam nihilominus Christianis, & egregiè cordatis hominibus indignam iudico: fas enim non est spretis interpretibus sacris, fabulosis Gentium scriptoribus aures porrigere, sicuti æquum non esset candida amandata veritate, caliginosa euocare, ac fouere mendacia. Dico ergo primò, quòd licèt Homericę autoritati cõcedamus ante Troiani excidij tempora oraculum Pythium extirisse: licèt demus Isidoro nostro, templum Moysis tempore fuisse coustructum, quod tamen difficillimum sciru est, cùm omnia fuisse confusa tempora apud Græcos ante Olympiadas, fabulísque immixta, neque certam rei alicuius rationem, aut enumerationem post Censorinum ex Varrone referat, ex Africano Cęsariensis Eusebius his verbis. *Africanus igitur in tertio annalium his verbis vtitur. Vsque ad Olympiadas nihil exploratum in historia Græcorum inuenitur, sed omnia confusis conscripta temporibus sunt.* Quin & Thucydides. *Siquidem quæ ante nos natos quæq; vetustiora adhuc sunt, planè comperta esse propter longitudinem æui non quiuerunt.* Olympiades porrò, quæ ab Iphito Æleo Lycurgi coætaneo (vt volunt Paterculus, Plutarchus, & Pausanias) institutæ sunt, enumerari cœperunt annis

l.16.c.44.

In Chron.

l.2.de Diuinatione.

De die Natali.cap. 21.

De Præparat.l.10. c.3.

In præfatione suæ historiæ.

Patercul. in prin.

Plutarch. in Lycurgo.

Pausan. in Eliacis.

post

poſt Troiam captam iuxta Clementis Alexandrini ſententiam, quadringentis ſeptem, iuxta Euſebij verò alicubi, totidem; alicubi verò quadringentis quiquaginta Eſaiæ Prophetæ temporibus, cuius diſcrepantiæ cauſam imperitiæ librariorum, aut amanuenſium, quibus non facile fuit ſeruare collationes illas temporum, rectè tribuit Viues. Non igitur Moyſis tẽpore templum Delphis fuiſſe cõſtructum certò poterit affirmari, præcipuè cùm Diodorus, qui latè de Oraculi inuentione agit, à capríſque repertum ait, & à Caprario quodam (cui nomen fuiſſe Corata ex Plutarcho ſcimus) nihil de inuentionis tempore dicat; nihil Plutarchus ipſe; nihil Strabo, cùm tamen hi omnes multa de templo, multa de oraculo referant. At certè non ex eo quòd templum Delphis tunc temporis fuiſſe conſtructum demus, hexametri carminis inuentionem Pythio eſſe oraculo dandam concedemus; ex Pauſania enim didicimus, priſcis temporibus Oraculum Delphis, non Apollinis, ſed Telluris, & Neptuni fuiſſe, quod ille quibuſdam antiquiſſimi poëtæ Muſæi verſibus comprobat.

Inclyta confeſtim tellus oracula dixit,
Neptuniq; ſimul famulus, qui nomine Pyrcon.

Paulo autem pòſt à Tellure perhibent diuinationem Themidi datam, à Themide Apollinem dono accepiſſe. Oraculi porrò Themidis mentionem etiam fecit Naſo.

Fatidicamq; Themim, quæ tunc oracla tenebat. Metam. 1 1.

At neque Apollinis ipſius oraculum primò ſortes verſibus dediſſe, ſed ſoluta potiùs oratione,

Cle. Stro. 1. l. de Præparat. 1. c. 3. In Præfat. in Chronic.

In lib. Aug. de Ciuit. Dei 18 c. 8. Bibliot. l. 16.

De Oraculorum defectu.

De Pythiæ Oraculis.

In Phocaicis.

testatur Plutarchus ; & Phemonoëm primam fuisse Pythiam vatem, primamque hexametrum carmen ceciniſſe referunt Strabo, & Pausanias, quam viginti septem duntaxat annis anteriorem Orpheo, Musæo, & Lino Clemens Alexandrinus probat. Non ergo Pythio oraculo vlla carminum tribuenda inuentio. Vnde miror Ianum Parrhasium magis videri approbare ethnicorum opinionem, quàm Iudæorum (vt ipse dicit) qui excluso Apolline putant Mosem carmine hoc primum ceciniſſe. Si enim recta ille mentis acie hoc inuestigasset, non à Iudæorum Rabbinis, sed à sacris Scripturis, à sacris scriptoribus exordiũ vidisset hanc sumpsisse sententiam. Sed qui Parrhasium miratur, iure doctiorem ille detestabitur Scaligerum, qui in suis de poëtica libris nulla facta Moysis mentione, Pierio Macedoni posteriorum Musarum (vt vult Cicero) Patri Poëseos originem tribuit. Sed caligat ille in Sole, siquidem & prima poëmata facit pastoralia, & Pastores ex Thucydide, & Varrone antiquiores fuisse aratoribus dicit, pastorémque in otio, aratorem verò in opere esse, idcóque aptiorem illum cantui, & carminibus, minùs aptum hunc, illum priùs feciſſe carmina, hũc posteriùs. Quòd si métem reuocasset Iulius Scaliger ad sacram Genesim (vt bene ait Posseuinus) Abelem vtique pastorem, & Caimum agricultorem eodem vixisse tempore meminisset : quin & ipsummet Adamum, non pastorem, sed agricolam fuisse legimus. *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* Verùm si Scaliger,

Vbi supra vterque.

Vbi suprà.

Super Horatij Poëticam.

lib. 1. c. 2.

l. 7. De natura Deorum.

l. Bibliot. 1. c. 25.

Genes. c. 3

Scaliger, non vt Apollinei fisci procuraror duntaxat, sed etiam vt disciplinæ studiosus, cultissimum poëtam versasset Tibullum, neque id filio Iosepho reliquisset, didicisset certè ab eo Pastores agricultoribus, saltem in carminibus, priores non fuisse: sic enim Tibullus traditione procul dubio ab Antiquis accepta.

Agricola assiduo primùm satiatus aratro,
Cantauit certo rustica verba pede. l. 2. Elegia 1.
Et satur arenti primùm est modulatus auena
Carmen, vt ornatos diceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Cæterùm de Scaligeri effræni iudicio alibi; & nunc de Poësis primordio satis.

Quis sit Poëticæ finis, aliquot autorum conciliata loca.

CAPVT XX.

VIS Poëtæ scopus, quem ad finem tendat Poësis, multis abhinc non annis modò, verùm sæculis dubitatum. Quidam enim ex veteribus delectationem duntaxat propositam esse Poëtæ senserunt: alij iuuare solùm ab eodem esse intentum: alij verò vtrumque; locuples huius rei testis Horatius.

De Arte Poëtica.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut simul & idonea, & iucunda dicere vitæ.

Nam & ante ipsum, & post suos opiniones hæ asserrores habuerunt. Plato quidem in dialogis de Amore, ac Decimo de Republica, sed in Gorgia præcipuè Poëticam aut solùm, aut maximè tendere ad voluptatem asseruit. hoc idem sensisse visus Terentius in Andriæ Prologo, dum ait.

Poëta cùm primùm animum ad scribendum appulit,
Id sibi negotii credidit solùm dari,
Populo vt placerent, quas fecisset fabulas.

1. Definib. Cicero. *An ille tempus in Poëtis euoluendis, vt ego & Triarius te hortatore fecimus, consumet, in quibus nulla solida vtilitas, omnisq; puerilis delectatio?* Alibi

Tuscul. 4. ipse ironicè. *O præclaram emendatricem vitæ Poëticam, quæ amorem flagitij, & leuitatis auctorem, in consilio Deorum collocandum putet!* Denique idem.

1. De legibus. Serm. 29. *Quippe cùm in illa* (historia scilicet) *ad veritatem Quinte, referatur, in hac* (Poësi) *ad delectationem pleraq;*. Maximus Tyrius Platonicus. *Poëta autem mollis habetur, & multitudinem oblectat, vt pote qui propter voluptatem à populo diligatur, propter virtutem nequaquam cognitus sit.* Contrà verò iuuare, solùm spectare Poëticam sensit Xenophon in Symposio, sub Niceratis enim persona ita ait. *Pater meus, inquit, cùm daret operam vt in bonum virũ euaderem, omnia Homeri carmina edisce coëgit.* Sen-

Cap. 23. sisse etiam id visi Aristoteles in Poëtica; *An verò rectè, vel non rectè à quoquam siue dicatur, siue fiat, si quis inquirere velit, non modò id ipsum factum, dictúmve cõsiderare debet, vtrùm laudabile, an prauum sit,*

sit, verùm etiam ad agentem, dicentémve respicere, ad quem videlicet, vel quando, vel cui, vel gratia cuius: verbi causa: boni maioris gratia, vt fiat: mali maioris, ne fiat; Isocrates oratione secunda, Antiquos inquiens Poëtas vitæ reliquisse documenta, quibus homines euaderent meliores; quod sub Euripidis Persona Aristophanes in Ranis dixit. Sed & idem Isocrates in Panerhenaico Poëticam nos à mulcetis auocare delictis affirmauit. Plautus, in Asinaria Prologo.

Ridicula res est, date benignè operam mihi,
Vt vos item aliàs, pariter nunc me ars adiuuet.

Quin & Terẽtius ipse in Heauton timorumenos prologo.

Et cùm esse quæstum in animum induxi maxumũ,
Quàm maxumè seruire vostris commodis.

quæ verba in prologo Hecyræ iterum repetit. Sextus Empiricus (quantumuis, vt disciplinarum insectator aliter postea sentiat) ita in libro aduersus Mathematicos (sic enim vocat ille quarumlibet artium professores.) *Quòd autem Poëtica ad fœlicitatem magna det admimicula, ex hoc est perspicuum, quòd plane optima, quæ in formandis moribus versatur, philosophia, in Poëtarum sententiis omnino radices egerit.* & inferiùs. *Ex quibus narratur quidem Pyrrho perpetuò legisse Poësim Homericam, hoc nunquam facturus, nisi cognouisset vtilem esse Grammaticam* (sic perrò Poësim quandoque appellat) *& propterea necessariam. Epicurus autem deprehenditur suorum dogmatum potissima surripuisse à Poëtis.* Socratem autem virum integerrimum, virtutis potiùs, quàm voluptatum sectatorem ex Cap. 17.

De audiendis Poëtis. certis insomniis dedisse se Poëticæ refert Plutarchus. Verumenimuerò Poëticam circa vtrumque, vtile nimirum, ac delectabile versari aperrè colligitur ex Aristotelis doctrina, dum ille in suo de Poëtica tractatu, ex voluptate, quam parit imitatio, quæ est poësis anima, ratiocinationem natam, ac honesti imitationem, & laudationem ait; Sed aperrè Horatius.

Cap. 2.

De Arte. *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci*
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

Vbi suprà. Plutarchus. *Illud verò non semel iuuenti subiiciendum, demonstrandumq; Poësim cùm argumentum habeat simulatum in rebus, quas tractat, & moribus quidem pigmenta adhibere, & splendorem, affinitatem tamen non abiicere veri, habereq; æmulationem in probabili delectabile.* Idem. *Quo modo autem est Poësis sermonis condimentum, quæ temperat in eo modos, metra, & numeros, atque acriorem reddit ad docendum.*

In Disputatione amatoria.

Sermone 7. Maximus Tyrius suprà nominatus. *Quamobrem existenti duplici causa, quare vel Homerus, vel Hesiodus, vel quilibet alius ob harmoniam Poëticam adepti sunt laudem, quòd scilicet prosint, ac delectent.* Sextus etiam Empiricus. *Humani enim animi perturbationum ac motuum est veluti quoddam propugnaculum Poëtica. Et vt senex habet linguam suauissimam.* qua

Vbi suprà.

lib. 6. c. 1. de re videndus omnino optimus Athenæi locus; hic enim, quia longior, non apponetur. Isthæc sunt antiquorum placita circa Poëticæ finem, quibus quidem pro ingeniorum varietate varij inhæsêre recentiores, qui & rationibus confirmare nisi opiniones, qui enim Poëticæ finem voluptatem, ac delectationem audientium tenent,

quid

quid aliud, inquiunt, Dithyrambica, quid aliud Lyrica Poëſis vel voce, & choris, inſtrumentis muſicis, ac voce, vel hiſce omnibus ſimul intendit, niſi delectationem? Quid Comica? iuuandóne an delectando natæ in ſcenam à Comœdia productæ perſonæ, Paraſiti pecuniis inhiantes, Meretrices non minùs amantium ſubſtantiæ, quàm Venerisauidæ, Lænæ mulieres, fraudulenti ſerui, perditæ prodigalitatis adoleſcentuli, fatui ſenes, milites glorioſi? Ipſa porrò Tragœdia quid aliud quàm delectationem curat? cùm ipſum videre Heroum calamitates, & miſerias; ipſum illorum audire eiularus, & querelas; ipſa eorum commiſeratio animos hominum mirum in modum oblectet? iam verò Epica poëſi, quæ partim in narratione, partim in imitatione conſiſtit, nil dulcius, nil ſuauius, nil denique quod magis voluptate quadam aures æquè & animos quantumliber ſeueriorum Catonum trahat, vnquam excogitarum. In iuuandis enim animis potiùs, quàm delectandis, & iuriſperitia, & ea, quæ de moribus tractat, Philoſophiæ pars tota verſatur. Contrà verò illi, qui iuuare credunt à Poëtica intentum. Antiquos aſſerunt Poëtas, Maximo Tyrio, Clemente Alexandrino, & Euſebio Cæſarienſi teſtibus, eoſdem fuiſſe cum philoſophis, cum Theologis, ac proinde neque in re adeò ludicra, & futili, ac eſt delectatio, vnquam verſatos, Si enim Poëtæ finis nullus eſſet alius, quàm ſeſe, atque alios oblectare, & illiberalis, ac vulgaris res Poëſis ipſa, ſcurriliſque, & leuis quidam, ac ridiculus homo, & paraſiti perſimilis exiſte-

rer Poëta,extitisſetque ſemper , qualem Ennium accepimus ab exteris nationibus habitum,cùm à P.Scipione carmina quędam recitare iuſſus eſſet, ac proinde perfectam omnem Poëſim , ni in his peccet Poëta , non delectabile , verùm quod iuuet, ſequi debere: quæ enim in choris , quæve ad Citharam,aut tibias canitur Poëſis, iuuandis per imitationem animis inuentam dicunt.Comicam porrò eo ipſo quòd paraſitos, merertrices , lænas, perditos adoleſcentes.ſenes fatuos, fraudolentos ſeruos , milites glorioſos inducat, nihil aptius ad hominum emendandos mores inuentum affirmant , in ea enim quod malum timere, quod fugere vitium debeas, quale detrectare ſodalitium, ac proinde quâ ſequi virtutem , ante oculos tibi propoſitum vides. Tragœdiam verò Principum virorum veluti ſpeculum exiſtere , in quo maxima ipſorum pericula, bella,ſeditiones,tumultus, inuidiam , Fortunæ libidinem , quibus domi ac foris exagitari ſolent, planè perſpiciant ; quin & his animos hominum à perturbationibus purgari,arque fortiores reddi.Epicum verò carmen totum eſſe publicæ conſecratum vtilitati , vt pote in quo illuſtres magnorum ducum actiones,Terrarum , ac Marium ſitus, gentium mores , bellorum ſtratagemata,militare robur,facundię vires, Deorum ſacra ediſcantur. Qui autem & iuuare, & delectare ſcopum eſſe Poëtæ dicũt;& aurium, & animorum iudicium in teſtem proferunt , eo enim ipſo quòd carminibus , quòd fabula , quòd ſententiis, quòd agnitionibus,peripetiis, perturbationibus,epiſodiis, aures ad ſe omnium Poëta

volu

voluptate maxima trahit, animos quoque exemplo mouet, moribus informat, quæque agere quæve fugere debeant, optimè docet, & rem quidem ita sese habere tam scriptorum autoritates, quàm pro vtraque parte adductæ, rationes eorum videlicet, qui iuuare finem constituêre Poëticæ, & eorum, qui delectare, tertiam hanc opinionem optimè confirmant: neque enim dubium erit perlegentibus, antiquos omnes à nobis superiùs citatos pedibus (vt aiunt) in eam iuisse sententiam (Platonem Ciceronémque excipias Poëticæ parum fauentes.) Illam itaque ex recentioribus secuti non pauci, Horatianæ artis interpretes Parrhasius, Acron, Porphirio, Franciscus Luisinus, Ioannes Sambucus, Iacobus Falconius, Dionysius Lambinus: Ex aliis verò Hieronymus Fracastorius, Antonius Minturnus, Franciscus Nausea, Iulius Cæsar Scaliger; ex Etruscis autem scriptoribus Alexander Carrerius, & immortalis memoriæ Torquatus Tassus. Neque est quòd cures recentiorum quorundam opinionem, officium Poëtæ, ac finem esse affirmantium, appositè dicere ad admirationem, in qua quidem Iouianus Pontanus fuit, vt ex eius Dialogo, qui *Actius* inscribitur patet, relatus etiam à Fracastorio in suo Naugerio, siue de Poëtica. Falsum enim id esse conuincitur duplici ratione. Primò, quia admiratio non finis, sed comes potiùs est grandiũ, & præter spẽ accidẽtium rerum, peripetiarum, agnitionum, & id generis aliorum: deinde quia per hoc nullo modo distingueretur ab oratore, nullo modo ab histori-

Fracast. in Naugerio, siue de Poëtica.
Mint. l. 2. De Poëta.
Nauf. Primord. in Poët. sect. 2.
Scal. l. Poët. 1. c. 1.
Carrer. nel discorso cõtra l'opera del Dante.
Tass. nel 1. l. de i discorsi intorno al Poëma Heroico.

co ; nam & illi appositè dicere ad admirationem curant. Quòd si finem etiam esse quis dicat Historiæ, & Rhetoricæ artis delectando iuuare, ac proinde neque differre per nos à Poëtica, dabimus hoc illi, quanuis non omni ex parte verum sit, vt artes hæ delectent etiam, ac iuuent (neque enim inconueniens est, sicut omnes artes vnum prospiciunt generalissimum finem, vt inferiùs dicetur, ita & affines has subalternum quendam respicere, sicuti Geometria, & Arithmetica circa quantitatem, tanquam commune obiectum, at verò vt particulare, illa circa continuam, hæc circa discretam versatur : & Physica, ac Medicina quæ corpus quidem naturale considerant, illa tamen vt naturale, seu vt mobile ; hæc vero vt curabile.) Cæterùm à Poëtica illas non differre facultates negauimus ; Historia enim, & Rhetorica dicendo efficere id curabunt, hæc verò imitando, illæ quæ gesta sunt, quomodo gesta dicendo: hæc verò nó quæ gesta, quomodo gesta sunt, sed quomodo agi debuerint, aut debeant, si agátur, effingendo, qua de causa præstantiorem illá esse historia rectè dixit Aristoteles. Neque etiam est, quòd mouere pariter præter delectare, & iuuare, finem esse Poëticæ dicas cum Syncero apud Minturnum ; hoc enim esset (vt Logicorum verbis vtar) entia sine necessitate multiplicare velle ; quis namque ignorat, vt superiùs diximus, animum nostrum eo ipso, quòd delectatur, quòd iuuatur, moueri vel in positiuè, vel saltem in priuatiuè contraria ? Maior oriri posset ex dictis dubitatio, quis nimirùm præcipuus sit finis

Poët.c.7.

l. 2.de Poët.

Poëticæ,

Poëticæ, delectaréne, an iuuare, quandoquidem diuerſa hæc? Et quidem præter communẽ ſcientiarum omnium atque artium finem, bonum, nimirum teſte Ariſtotele; proprium vnamquamque artem habere finem, neque vnicum duntaxat, ſed plures (nam & in ipſis actionibus, & operationibus quandoque finis: quandoque in operibus quibuſdam extra ipſas) ex eiuſdẽ philoſophi doctrina didicimus. Sed quia duplicem præcipuum finem nulli arti contingere patitur concors vniuerſi diſpoſitio; hinc eſt, quòd ſi duplicem finem vnica reſpiciat ars, alterum præcipuè, alterum verò minùs principaliter, & in ordine ad illum alium attingere curet, vt bene poſt alios immortalis memoriæ Taſſus filius aduertit. Dico igitur poſitis hiſce, Poëticam primò & principaliter iuuare tanquam ſuum architectonicum finem (ita enim eum vocat philoſophus) intendere: minùs verò principaliter, aut ſecundariò, delectare. Cæterùm hoc veluti inſtrumento, & fine, vt ita dicam, inſtrumentali, ad conſecutionem finis architectonici ſemper vti. Quod & ratione, & autoritatibus probatur. Ratione, quia nimirum ille eſt præcipuus alicuius artis finis, qui licèt alterius ſuperioris, & generaliſſimi reſpectu dici poſſit ſubalternus, magis, ac magis accedit ad illum artium omnium ſupremum, atque optimum finem, quem eſſe conſtat ſummum morale bonum: at verò iuuare, quod cum vtili, & honeſto coniunctum eſt, magis accedit ad rationem boni huius, quàm voluptas, & delectatio, igitur iuuare, & non delectare,

Moralium Nicomach. l. 1. c. 1.

Vbi ſuprà.

Dicto l. 1. Moral. c. 1.

lectare, præcipuus Poëticæ finis debet credi: nam & experimento constat, aures, atque oculos primò, animum deinde velut inescari, & capi ea voluptate, quæ ex concinnitate carminum, fabulæ pulchritudine, peripetiis, atque agnitionibus oritur. Vtile postremò, quòd iuuet, rebus hisce, veluti vehiculo, in animum ipsum vehi, ac ibi voluptatis amoto famulitio, residere, ac dominari: atque hoc, vt vltimum in exequutione, præcipuum finem: illud vero, vt in exequutione primum, non ita. Autoritate verò id probatur minimæ vulgaris notæ scriptorum. Maximus Tyrius, quid intendat Homerus explicare volens paulo post principium. *Commentitia hæc omnia fuerunt, sed qui expedito animo vsus quasi leui quodam vehiculo, magis quàm corpus ipsum sit ad peregrinandum idoneo, in omnem partem vagabatur, naturámque considerauit vniuersam, quot videlicet motus sunt cœli, quales affectiones terræ, Deorum consilia, hominum naturas,* &c. Sed meliùs Plutarchus. *Ne nos quidem Poëticam, quæ est Musarum vitis, extirpemus, neque perimamus. Cæterùm sicubi præ effusa voluptate ad gloriam ferociens procaciter lasciuiat, luxurietúrque fabulositas eius, ac fastus, ibi manu iniecta frœnos ei imponamus, & reprimamus. At si quando festiuè attingat aliquid doctrinæ, orationísque mel, & illecebræ non infrugiferæ sunt, vel otiosæ: hic philosophiam inducamus, admisceamúsque. Vt enim iuxta vites nascens mandragora, atque vim suam in vinum transfundens, impressionem eius potantibus efficit leuiorem, ita doctrinam Poësis ex philosophia accipiens cum fabulis confusam, leuem, gratámque*

Serm. 16.

De audiendis Poët.

támque iuuentuti eam reddit ad diſcendum. Itaque non ſunt philoſophari intendentibus Poëmata defugienda, ſed in Poëmatibus nauiter philoſophandum aſſueſcentibus in delectabili venari fructum & amplecti. Quod Lucretius Poëta (ſimodò hoc nomine, & non philoſophus appellandus) perpulchro oſtendit ſimili in primo libro, ac deinde in quarti initio eiſdem ferme verſibus, vbi ſic.

Nam veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oris pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauóque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur,
Labrorum tenus interea perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptáque non capiatur:
Sed potiùs tali facto recreata valeſcat.
Sic ego nunc quoniam hæc ratio plerunque videtur
Triſtior eſſe quibus non eſt tractata, retróque
Volgus abhorret ab hac: volui tibi ſuaue loquenti,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle,
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum percipis omnem
Naturam rerum, ac præſentis vtilitatem.

Et in hac opinione aliquando fuit nunquam ſatis laudatus Torquatus Taſſus; ſed expreſsè Alexander Carrerius ſuam ſententiam ſuperioribus Lucretij verſibus comprobans, quòd ſi aliquando ſecus fiat, & delecterur potius animus, quàm iuuetur Poëtica, non artis peccatum erit, ſed vel artificis, qui aut carminum vtitur genere, Poëticæ perfectam rationem vix participante, attingẽtéve; aut fabulam prauè texuit: vel audientis certè, cuius animus prauè diſpoſitus eam, quæ

Vbi ſuprà.
Vbi ſuprà.

ex

ex Poëtica prouenit, vtilitatem, seu non sentiat, seu reiiciat, voluptati duntaxat addictus.

Comœdiæ, ac Tragœdiæ differentiam aliam esse ab ea, quæ vulgò creditur.

CAPVT XXI.

MVlti non spernendæ autoritatis viri quíque tam nostra, quàm parentum, & auorum ætate nostrorum non mediocrem in scribendo adepti sunt laudem, aliud agentes, cùm tamen de Tragœdiæ, ac Comœdiæ agerent differentia, eam aut in hoc duntaxat, aut saltem præcipuè versari dixerunt, quòd Comœdiæ finis lætus, ac hilaris, Tragœdiæ è contrà terribilis semper, ac funestus debeat esse. Ita censuit opinionis huius antesignanus (vt credo) priscus ille Grammaticus Diomedes, hæc enim de Tragœdiæ, ac Comœdiæ differentia inter alia. *Deinde* (inquit) *quod in illa* (Tragœdia nimirum) *frequenter & pene semper lætis rebus exitus tristes, & liberorum, fortunarúmque priorum in peius agnitio: in hac* (Comœdia) *tristibus lætiora succedunt.* Hæc ille, quamuis non à necessariis, sed à communiter accidentibus differentiam videatur sumpsisse. absolutè tamen deinceps id censuêre Cœlius Rhodiginus, Lilius Gregorius Gyraldus, Franciscus

lib. 3. Rhod. lect. Antiq. l. 7. c. 4. & l. 24. ca. 10. Gyral. l. de Poët. tract. de Comœdia.

ciſcus Nauſea, Floridus Labinus, Alexander Carrerius: Cæſar Scaliger; Iaſon de Nores, licèt hic parum ſibi conſtans, contrarium deinde affirmarit; Sed quid enumerandis ſcriptoribus immoror? omnes ferè, qui de Poëtica ſcripſerunt, ſensêre ita, communis hæc vulgi opinio. Verumenimuerò quanuis certò sciam maximè periculoſum ſcribenti eſſe communem contradicere ſententiam, atque eam niti eradicare opinionem, quæ in animis hominum altis in hæret infixa radicibus, tanto tamẽ veritatis detegendæ deſiderio flagro, vt non dubitem Statianus alter Hippomedon hinc intumeſcentis magiſtellorũ Gurgitis vndis, inde contra ſentientis vulgi telis pectus opponere meum: ſed diſpari exitu (vt ſpero) ille enim infenſum ſibi Deum expertus occubuit, me verò veritatis vindex numen victorem reddet. Dico ergo fere,

Horatio ſol contra Toſcana tutta:

ſatis conſtare ex Ariſtotele aliam eſſe definitionem Comœdiæ, aliam Tragœdiæ, & quidem valde inter ſe differre. Comœdia nanque prætermiſſis aliorum definitionibus, de quibus Lilius Gyraldus, ex Ariſtotele hæc. *Comœdia autem eſt peiorum quidem imitatio, non tamen ſecundùm omne vitij genus: quanquam ridiculum à turpi proficiſcitur: ridiculum enim aliquo pacto peccatum eſt, & turpitudo ſine dolore, minimeq; noxia: perinde ac ridicula ſtatim appareat deformis facies diſtorta ſine dolore.* Tragœdiæ autem talis definitio ex Ariſtotele bene à Minturno explicata, quantumuis eam reiiciat Cæſar Scaliger. *Tragœdia eſt imitatio actionis illuſtris,*

Nauſ. in l. Primord. in Poëſ. tract. de Comœd. Sabin. Succiſſiuor. l. 1. c. 15.

Carrer. nel' diſcorſo cõtra l'opera del Dante.

Scalig. Poët. l. 1. c. 4.

Nores nel diſcorſo de la Tragicomedia. Et deinceps.

nel Apologia contra l'autore del Verato.

Vbi ſuprà. Ariſt. de Poët. c. 2.

De Poët. l. 3. Vbi ſuprà. Poët. c. 3.

illustris, absoluta, magnitudinem habentis sermone suaui separatim singulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationem; per misericordiam verò atque terrorem perturbationes huiusmodi purgans. Si ergo tam verũ est, quàm quod verissimũ, res primò, & principaliter per suas differre essentias (liceat nunc logico loqui sermone) & rationes generis, aut speciei constitutiuas, veluti animatum quod ab inanimato differt per animam animatum illud constituendum, & homo ab equo per rationem, quæ illum animal rationale reddens differre simul facit ab equo, leone, & aliis rationis expertibus. Differentia certè Tragœdiæ, & Comœdiæ in actione consistet, quæ in altera est illustris, & illustrium personarum terrorem continens, ac misericordiam: in altera verò humilis, humiliorum, & ridicula, seu turpis. & non in exitu fœlici, aut infœlici, hilari, aut mœsto, cuius certè in definitionibus nullam fecit mentionem Aristoteles. At hilaris, dicet aliquis, in Comœdia exitus, & funestus in Tragœdia, sin minùs essentiæ, propria tamen sunt quarto modo (vt Logici dicunt) id est absque subiectorum corruptione inseparabilia: vel certè conditiones, sine quibus non: aut complementa, & aliquo saltem ex hisce modis necessario in similibus requiruntur poëmatibus. Sed nullo ex prædictis modis requiri iam probabo autoritate, ratione, & exemplo. Aristoteles humanorum omnium studiorum princeps de Tragicæ fabulæ magnitudine agens, hæc subdit. *Eum sanè dicimus legitimum huic fore magnitudinis terminum cùm siue ad*

Poët. c.5.

commodam

commodam fortunam ex incommoda, ſiue ex commoda ad incommodam perpetua ſerie mutata fuerit. Hoc etiam ratione conuincitur, & exemplo. Nam ſi proprium quarto modo eſſet hilaris exitus Comœdiæ, funeſtus Tragœdiæ, cùm proprium ſic, ſeu propria paſſio conuenire debeat illi, cuius proprium eſt, omni, ſoli, & ſemper, non poſſet ab eis ſeparari abſque ſubiecti deſtructione; dãtur tamen Comœdiæ aliquot exitus nequaquam hilares, & Tragœdiæ læti euentus, non igitur illud proprium eſt Tragœdiarum, & Comœdiarum. Neque poteſt eſſe conditio, ſine qua non: ſi enim talis eſſet conditio, neque dici poſſet abſque illa Comœdia, Comœdia, neque Tragœdia, Tragœdia, neutraque ſuum aſſequerentur finem, non enim delectando iuuarent: at verò Comœdiæ abſque læto exitu, & Tragœdiæ etiam abſque triſti exitu, ſeu exodo (ita enim vocat Ariſtoteles eam Tragœdiæ partem extra quam nullus eſt chori cantus) & ſua retinent nomina, & ſuum aſſequuntur finem: in Tragœdia nanque à timore, miſericordiáve delectationem per imitationem Poëta parat, teſte Ariſtotele, non igitur eſt neceſſarius aſſignatus ab aliquibus hiſce Poëmatibus finis: retinere nomen patet: aſſequi finem per peripetias, agnitiones, & perturbationes, quæ in illuſtrium virorum actionibus reperiuntur, ſatis apparet, intentum ergo habemus. Rurſus neque tanquam complementum requiritur hilaris, aut lugubris finis, abſque illo enim Comœdia, & abſque hoc Tragœdia perfectæ ſunt, nullo igitur modo requiritur. Exemplis cõ- Poët. ca. 11.

firmabitur hoc totum, ex ipsis nanque dependet ferè superiùs dictorum comprobatio; In Comœdiis nãque Aristophanis Comœdia *Nebulæ* nũcupata, Strepsiadis vindicta, Socraticæ domus incendio, ipsius Socratis, ac discipulorum lacrymis terminatur. Plauti *Asinaria*, & *Miles gloriosus* pœna, & luctu terminantur, senis illa, hæc militis; cùm tamen ambo essent præcipuæ actionis personæ. Inter Tragœdias prætermissa Sophoclis *Electra* (de qua iure potest disputari, lætúsne dicendus illius finis sit, in qua iniustam parentis necem, suásque ipsius iniurias Tyranni, & matris nece Orestes vlciscitur, regnóque potitur terno.) *Philoctetẽ* certè illius nullus negat, imò neque negare poterit, lætitia terminari, in illa enim intentum assequitur Vlysses, qui Philoctetem secum ad Troiam vehit ex Lemno, neque iam reluctantem. Quod si negent, testimonio nobis erit Chorus, sic enim vltimam Tragœdiæ manum imponens canit.

Cho. *Eamus ecce omnes congregati,*
Nymphis marinis precati
Reditus saluatores venire.

Quòd si parum videatur hilaris Tragœdiæ huius Sophocleæ finis, Euripidis duæ Iphigeniæ, altera in Aulide, in Tauride altera, Iò, Alcestisque, nec non Oetæus Hercules cælitibus iam adscriptus, glorioſusque matri apparens, fidem nobis in hac parte satis, supérque facient. Neque est cur effrons ex aduersariis quis errasse hos dicat Poëtarum proceres; Aristotelis enim testimonio, non minimam in hoomeruisse laudem affirmabimus:

mabimus: ſic nanque ille de Euripide. *Quamobrem illi quidem decipiuntur ob id ipſum, quo Euripidem damnant, vt qui in Tragœdiis ſuis illud obſeruet, earumq; plures in fœlicitatem terminentur, id quod omnino, vt diximus, ex arte eſt, argumento verò illud ſit maximo, quòd in ſcenis, atque adeò in certaminibus hæ, ſi rectè recitentur, maximè quidem Tragicæ appareant, Euripidéſque ipſe tametſi aliqua parum rectè diſpenſet, omnium tamen Poëtarum maximè Tragicus videri poteſt.* Hæc Ariſtoteles, & hæc ex illo noſtra, ac veriſſima circa Tragœdiæ differentiam, & finem ſententia, cui nullus, quod ſciam, adſtipulatus eſt, exceptis duobus, Minturno videlicet in ſuo Poëta, qui licèt dubiè priùs loqui viſus ſit, demum de Tragœdiæ actione agens concludit ita. *Id porrò in Tragœdia ſeruandum omnino cenſemus, vt actio ſit luctuoſa, ancépſque fortuna, ſiue triſtem, ſiue iucundum exitum habeat, & quorum quidem res agitur in maximo illi diſcrimine verſentur*; atque illo qui ſub Altizzati nomine libellum contra Iaſonem de Nores vulgari ſermone, ſed non vulgari elegantia conſcripſit: & (ſi placet) excepto etiam ipſomet Iaſone de Nores vel parum ſibi conſtante, vel iam ſaniore facto in ſua Apologia. Cæterùm quoniã Iaſonis de Nores incidit mentio, æquum erit noſtras aduerſus ipſum tueri partes, nec non contra alios Hiſpanicarum Comœdiarum detractores. Prædictus nanque autor cùm non ſatis forraſſe habuiſſet iure, vel iniuria, imò iniuria certè illud reprehendere immortali laude dignum, ac nunquam in memoria doctorum, auorúmque om-

Poët. c. 11.

lib. 3.

Replica del Altizzato contra l'Apologia del Nores.

nium intermoriturum opus ingenioſiſſimi equitis, ac Poëtæ Ioannis Baptiſtæ Guarini, *Il Paſtor fido Tragicomedia Paſtorale*, maximo cum iudicio nuncuparum, falcem etiam mittere voluit in alienam meſſem (Hiſpanum idioma intelligo) peregrè natus ille, ídque etiam damnare opus, quod omnes noſtri admirantur, prædicant quot quot linguam callent exteri, Tragicomœdiam videlicet *Caliſti*, & *Melibeæ, Cœleſtina* vulgò dicimus, & licèt eius patrocinium facilè poſſem ſuſcipere, nec caderem, vt puto, à cauſa, quantumuis alicuius Medeæ præſtigiis bonus noſter vteretur Iaſon; iis tamen commitere ſatius duxi, quibus Guarini Tragicomœdiæ curæ fuit, aut erit deinceps iuſtiſſima defenſio, quandoquidem apud Nores in eadem ſunt ambæ damnatione. Cæteras quidem Comœdias noſtras aliqui dicũt longè ab Ariſtotelicis aberrare præceptis, quippe quæ in ipſorum ſententia & temporis ab Ariſtotele Comœdiis præfixi ſpatium longè excedant, quæ Regum, & Illuſtrium virorum fabulis texantur; quæ denique ex præclaris partim, partim ex infimis conſtent perſonis. Fateor in Hiſpania, ſicut & in Prouinciis aliis, plurimos reperiri imperitos (eorum enim, vt vetus aſſerit prouerbium, infinitus eſt numerus) qui cùm in omnibus quid faciant, ignorent, omnia tamen facere aggrediuntur; ij dubio procul quantùm diſtat ortus ab Occidente, ab artis ſemper aberrabũt ſcopo, neque vitio dabunt actioni duabus, aut tribus horis duraturæ decem, aut viginti annorum tempus accommodare. Cordati verò homines

mines (vt ſunt multi in Hiſpania) quibus nec læua mens, nec leuis literatura vnius diei duntaxat ſpatio ſuam concludunt actionem; quòd ſi duobus concluderent diebus, id in Heaut. fecit Terentius: Fabulam itidem ſententiarum grauitate, facetiarum dulcedine, argutiarum (quibus præ aliis noſtra ſcatet lingua) venuſtate ornant; qualem hiſce diebus Cordubæ vidimus cuiuſdã amici, & conciuis mei Comœdiam nihil non ſalis, leporis, ac venuſtatis, nihil non argutiarum, nihil non exactiſſimæ artis continentem. Verſari autem circa Illuſtres perſonas Comediæ actionem erratum certè Hiſpanorum non fuit; & hoc Ariſtophanes Græcus in Ranis, & Equitibus fecit, & Italus Plautus in Amphitruone Comœdiis; neque improbauit (vt mox dicam) Ariſtoteles, quemadmodum neque Comœdiam, quæ partim ex humilioribus, partim ex præſtantioribus conſtet perſonis: ſic enim ille. *Secundo loco ſequitur quæ a nonnullis in primo collocatur, illa ex duplici genere compoſitio, quo ex ordine Odyſſea eſt: vt quæ diuerſa ratione partim ex præſtãtioribus perſonis, partim ex humilioribus conſtet. huic ſanè primas tribuit theatralis imperitia, quippe vates hanc auram ſequuntur componentes quidem ad vota ſpectatorum. Cæterùm voluptas illa non Tragœdiæ, ſed Comœdiæ propria eſt, in hac enim ſiqui velut Oreſtes, & Ægyſthus ſecundùm fabulam inimici fuerint, reconciliata tandem inter ſe amicitia, neuterq; ab altero obtruncatus diſcedet.* Ecce tibi vtriuſque rei exemplum in Oreſte, & Ægyſtho illuſtrium in Comœdia; conſtantis verò ex illuſtribus, & humilibus, vt

Pridie Kal. Mai.

Poët. c. 11.

in Odyssea: quam Aristotelis opinionem secu-
De Orato. tus proculdubio Cicero dum ait. *Comœdum in Tragœdiis, & Tragœdum in Comœdiis placere vidimus.* Quod etiam lepidissimè suo more ostendit Plautus mixtæ huic compositioni Tragico Comœdiæ imponens nomẽ in illa, quá modò nominauimus; Amphitruone; in cuius Prologo ita Mercurius.

Post argumentum huius eloquar Tragœdiæ,
Quid contraxistis frontem, quia Tragœdiam
Dixi futuram hanc? Deus sum, commutauero
Eandem hanc, si voltis: faciam ex Tragœdia
Comœdia vt sit omnibus iisdem versibus.
Vtrum sit annon vultis? sed ego stultior,
Quasi nesciam vos velle, qui Diuos siem.
Teneo quid animi vostri super hac re siet.
Faciam vt commista sit Tragico Comœdia.
Nam me perpetuò facere, vt sit Comœdia,
Reges, quo veniant, & Dy, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic seruos quoque partis
habet,
Faciam hanc proinde, vt dixi, Tragico Comœdiã.

Nihil ergo cùm hac in re peccent Hispani, obmutescant necesse est accusatores cæteri.

Morem appendendi ad parietes ædium ſacrarum tabellas pictas, cereos, hominum ſimulachra, arma, veſtes, cæſariem, donariáque alia ab Antiquis deſumptum, & cur voti cauſa capilli tondeantur.

CAPVT XXII.

SOlent nunc, qui maximum aliquod euasêre periculum vel mortis, vel valetudinis aduerſæ, vel naufragij, vel qui glorioſum aliquod facinus in bello patrarunt, tabellas rerum geſtarum ſeriem continentes, aut earum loco veſtes quibus ægrotantes fuerant induti, arma quibus vel ab hoſtibus ſe occiſum iri crediderant, vel quibus ipſi hoſtes deuicerunt, catenas & compedes, quibus detenti captiui, cæſariémque ex voto ad templorum parietes appendere: quod in omnibus ferè Chriſtiani orbis partibus factum viſitur. Hoc nos inter alia ab Antiquis accepiſſe paucis demonſtrabo. Et de Tabellis quidem Tibullus.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi l. 1. Eleg. 3.
Picta docet templis multa tabella tuis.

& in Catalectis.

Non ego thure modò, aut picta tua templa tabella

Vide Strabonem l. 8. de Epidauro, Coo, & Tricca.

Ornabo, & puris serta feram manibus.

Et quia tabellarum picturis inscriptio addi solet, quæ nomina dicantium, & causam vel carmine, vel soluta oratione aperiat, ideo (vt credo) Propertius.

lib. 2.

Pro quibus optatis sacro me carmine damno,
Scribam ego; per magnum est salua puella Iouem.

Amor. l. 1. Eleg. 11. Ouidius.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in Æde morer.
Subscribam. Veneri fidas tibi Naso tabellas
Dedicat: at nuper vile fuistis acer.

Ad quod etiam allusisse videtur ipsemet Naso.

Amor. 2. Eleg. 13.

Ipse ego thura dabo fumosis candidus aris,
Ipse feram ante tuos munera vota pedes.
Adiiciam titulum. Seruata Naso Corinna.

Cereos, & hominum simulachra Diis, sed præcipuè Saturno dicasse Antiquos autor est Macrobius. *Cœpisse* (inquit) *Saturno cereos potiùs accendere, & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre, ex illo traditum, vt Cerei Saturnalibus missitarentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac vænalia pararentur, quæ homines pro se, atque suis piaculum pro Dite Saturno facerent.* Mitto nunc oscilla alia, quæ (autore Paulo) Festa quædam erant in honorem Bacchi, in quibus homines se, aut suas imagines per funes iactabant, vulgò nobis, *mezerse, o, columpiarse*, de illis enim intelligendus Vergilius, ——*tibique*

Saturn. l. c. 11.

Georgic. 2.

Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Fest. in verbo Oscilla. Ser. in prædict. Verg. vers.

Bacchum alloquens: cuius rei varias referunt causas Festus, ac Seruius. Dicationis armorum

sacra

sacra fecit mentionem pagina in Machabæorum libris; *Et audiuit esse ciuitatem Elymaidem in Persida nobilissimam, & copiosam in argento, & auro, templúmque in ea locuples valde: & illic velamina aurea, lorica, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo.* Qua de re elegantissimè more suo diuinus Poëta. l.1.cap.6.

Ære cauo clypeum magni gestamen Abantis
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo.
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Ouidius.

Dij precor à nobis omen remouete siniſtrum,
Et sua det reduci vir meus arma Ioui. In Heroidibus.

Idem.

Miles vt emeritus non est satis vtilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares. Trist.4. Eleg.7.

Romulum, & alios Ioui Pheretrio optima deuictis hostibus retulisse Liuius, & Florus non vno in loco testantur. de hoc Lucanus (nam & arboribus sua inesse numina superuacaneum probare.)

Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuuias veteres populi, sacratá; gestans
Dona ducum. l.Pharſ.1.

cuius etiam religionis meminit Claudianus libro de Raptu Proserpinæ 3. dum furentem Cererem arboribus spoliasse ait lucum antiqua horrendum religione, spoliis Gigantum onustũ. Strabo de nostra agens Hispania. *Is monumenta quædam de Vlyssis errore in Minervæ templo esse commemorat, parmas suspensas, palustria, rostráq; naualia.* lib.3.

Hũc etiam morem Sueronius in Caligula refert

Cap.24. his verbis ; *Tres gladios in necem suam præparatos Marti vltori addito elogio consecrauit*. Idem in Vi-

Cap.10. tellio. *Pugionémque, quo se is occiderat* (Otho nimirum) *in Agrippinensem coloniam misit Marti dedicandum.* de qua armorum dedicatione qui plura velit, Pausaniam plurimis in locis consulat. Manumissos catenas,& compedes Deis dicasse autor est Horatius.

— donasset iámne catenam
Ex voto laribus, quærebat.

Satyr.1. Satyr.5. Vbi Lambinus hoc fuisse in vsu veteribus refert. Martialis.

l.3.Epig.29. *Has cum gemina compede dedicat catenas*
Saturne tibi Zoilus annulos priores.

Vestem voti causa ad vitandum imminens aliquod periculum Deis dicari solitam testis est Silius,

lib.7. *Fœmineus matres graditur chorus ordine longo,*
Iunonipallam, conceptáque vota dicabant.

Vestium ex voto appensarum simul cum tabellis naufragij periculum enarrantibus expressè meminit Lyricus.

—me tabula sacer

Carm.1. Od.5.
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Vestium etiam, & comarum Deo dicatarum mentionem fecit Statius.

Thebaid.l. 12. *Mœstarumq; super libamina serta comarum*
Pendent, & vestes mutata sorte relictæ.

Syluar.l.3. De coma idem Statius in Sylua, cui lemma, *Coma Farini*, quam puerum pro Imperatoris salute

Æscu

Æsculapio dicasse ibi narrat Poëta: rondebantur autem capilli, vt significaretur, eum qui cęsariem deponebat, vi maioris potestatis oppressū in tutelam eius Dei, cui cæsos mandabat capillos, sese recipere; vnde qui in mari tempestate iactabantur, capillis recissis, ac in medios fluctus eiectis, Neptuno se commendabant, vt refert Antonius Syluius. Petronius in Satyric. *Vnus fortè ex vectoribus, qui aclinatus lateri nauis exonerabat stomachum nauseam grauem, notauit sibi ad Lunam tonsorem intempestiuo inhærentem ministerio, execratusq; omen, quod imitaretur naufragorum vltimum votum.* & inferiùs. *Audio enim non licere cuiquam mortalium in naui neque vngues, neque capillos deponere, nisi cùm pelago ventus irascitur.* Iuuenalis. l. Singul. in ll. c. 11.

Tunc stagnante sinu gaudens ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ. Satyr. 12.

Et de hoc nautarum more quidam (licèt minùs verè meo iudicio) interpretantur illa Diui Pauli verba ex Actuum 27. *quia nullius vestrûm capillus de capite peribit.* quæ phrasim potiùs Scripturæ, quàm aliquid aliud planè redolent, quemadmodum id Regum secundi. *Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram.* & illud tertij. *Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram.* & Lucæ 21. *& capillus de capite vestro non peribit.* Qui è seruis fiebant liberi ad instar nautarum capillos etiam sibi abscindebant. Nonius. *Qui liberi fiebant, ea causa calui erant, quòd tempestatem seruitutis videbantur effugere, sicut naufragio liberati solent.* quem tamen in manumissis morem potuerunt Ethnici ex Hebræis sumere, ita Cap. 14. Cap. 1.

enim

enim eis præceptum Deuteronomij 21. *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Deus in manu tua, captiuoſq; duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchrã, & adamaueris eam, volueriſq; habere vxorem: introduces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt.* quæ mulier libera poſtea remanebat; nec vendi poterat, ſi vir eam repudiare vellet. Similiter & capitalis criminis reus abſolutus tondebatur apud Romanos (fortè quia etiam maximam euaſiſſet tempeſtatem) ſicque in Capitolium gratias acturus aſcendebat. Martialis.

Ad alta tonſum templa cùm reum miſit.

l.2.Epig.74. Aliis etiam Diis, quos ſibi tutelares deligebant Antiqui, comam conſecrabant detonſam Apollini illuſtris familiæ adoleſcentes ex Plutarcho in Theſeo, cuius rei, & Martialis meminit, quanuis non de illuſtri, ſed de manumiſſo agat.

l.1.Epig. 32. *Hos tibi Phœbe vouet totos à vertice crines*
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata pudens meriti tulerit cùm præmia pili.

Cap.12. Neronem Ioui Capitolino ſuam cõſecraſſe barbam ex Suetonio conſtat. Addamus & hoc pro colophone capitis; mulieres in lege Moyſis captiuas gratiam libertatis abſciſſa coma, hodie incolumitatis plerunque meruiſſe abciſſa, & diuis dicata; abſciſſione enim capillorum, quibus præcipuè condecoratur caput, maximum fœminæ, quæ pulchritudinem adeò curant ſuam, humilitatis, & abiectionis edunt ſpecimen, quod apertè colligo ex illis verbis capitis citati ex Deuteronomio.

ronomio. *Dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecuniæ, nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam.* abscissione nimirum capillorum, quos adeò diligunt illæ. Vbi suprà.

Petronij locus alter explicatus.

CAPVT XXIII.

ET quoniam Petronij in superioribus incidit mentio, operæpretium duxi alium autoris eiusdem explicare locum, adeò difficilem, desperatum adeò, vt frustra illi medicinam facere adhuc (meo iudicio) recentiores curarint: neque id certè mirum, quando ille Satyricon liber mutilus, asteryscis plenus, ac totus ferme lacer in nostras peruenit manus; vt vt tamen potero & sustinere, & elucidare lectionem pro virili conabor. Eius igitur verba hæc. *Cùm Ascyltos grauatus tot malis in somnum laberetur, illa, quæ iniuria depulsa fuerat ancilla, totam faciem eius fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra, humerosq; sopitionibus pinxit.* Sciendum ergo antiquis (vt & nobis hodie) in vsu fuisse ludicrum quoddam, quo dormientium ora sublinebantur, Alciato, & Budæo, qui illud ex Nonio didicerunt, asseuerantibus, quod etiam apertè Vergilius indicat in Sileno.

—Iámque videnti

Sangui

Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.

Vnde sublinire os, pro illudere frequenter Plauto in Aulul.

Act.4 scen.5 *Fidei censebam maximam multo fidem*
Esse, ea subleuit os mihi penissumè.

In Epidici Prologo.

— Mox compressæ, ac militis
Cognoscit opera sibi senex os sublitum.
Subleuit os ille lenæ, & matri mulieris.

In Milite gl. Act.2.sc.1 & alibi sæpe. Quæ quidem oris sublitio vel vigilantibus maioris irrisionis causa fieri aliquando solebat, vnde intelligere licet illud Plauti in Pœnulo.

Act.5.scen.3. *Stulta soror es magis quàm volo, an verò pulchra*
videre obsecro,
Si tibi illic non os oblitum est fuligine?

ac si diceret Hispano sermone; *Necia eres hermana mas delo que yo quisiera, por ventura pare çes hermosa, por que alli* (in Veneris fano) *note tineron de hollin la cara*, vt planè ex anterioribus liquet versibus.

Festus dies Veneris, nec tuum fanum, tãtus ibi clientarum erat numerus,
Quæ ad Callydoniam venerãt Venerem, certo enim
quod quidem ad nos duas
Altinuit præpotentes, pulchræ paciſq́ potentes soror
fuimus,
Neque ab iuuentute ibi irridiculo habitæ, quod pol
soror cæteris omnibus factum est.

Iam ergo hinc liquet, quam ob causam Petroniani Ascylti facies fuligine fuerit ab ancilla deturpata, siue fuligo illa ex aliquo, qui illo esset in cubiculo,

cubiculo, desumpta camino, siue ad vsum mundi muliebris priùs fuerit comparata, fuligine enim supercilia tingere pulchritudinis causa fœminis mos erat, quare illud in viris vt muliebre & indecorum reprehendit Iuuenalis.

Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitq; trementes
Attollens oculos.

Vbi notandum obiter me, *tactum*, non *tinctum*, legere cum Turnebo, & Pulmano; ex illis enim vereres tangere, pro tingere, imbuere, linire, aspergere etiam dixerunt, atque ita legunt Plantiniana, nec non Lugdunensia quędam exemplaria anno 1532. apud Trechseles fratres excussa. Sed ad rem. *& non sentientis labra humerosq; sopitionibus pinxit.* Quid *sopitionum* nomine intelligat Petronius difficillimum certè scitu est, ideoque variis ansam opinionibus, ne dicam hallucinationibus,præbuit. Alij enim *scriptionibus*, legendum putant, vt captiuis olim fieri solebat, quorum ora scrptionibus notabantur, Plinius. *Atque nunc eadem illa, vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Suetonius in Caligula. *Ex noxiis adnotauit multos honesti ordinis deformatos priùs stigmatum notis.* Apuleius. *Frontes literati.* Alij *scipionibus* reponendum dicunt, illud Catulli sequuti. lib. 18. Cap. 27. Asini aurei l. 9.

—namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.

Sed neutra mihi arridet emendatio, quia scilicet emendatio est, quam omni conatu effugere curaui semper, dum manifestissimum in scriptura mendum non appareat. Deinde quia prima futilis

lis est, captiuorum enim notæ in frontibus, aut genis, non in labris, aut humeris visebantur. Secunda verò, vtpote vana omnino, quæ videlicet adulterinæ Catulli innititur autoritati, ibi enim mendum latere, perperámque *scipionibus*, positum Scaliger filius, & alij veraciter tenent, reponendúmque *titionibus*, cum doctioribus plane crediderim. Alij, *sublitionibus* reponendum, pro *sopitionibus* in hoc Petronij loco asseuerant, quasi velit autor ancillam rudibus quibusdam coloribus Ascylti os humerósque pinxisse; sublitio enim primum tabellæ rectorium est, fundamentúmque coloris eius, quem inducere volumus, à sublinire, quod est leuiter perungere, deductum. Sed neque hæc lectio magis mihi probatur, quem enim ad finem in illa domo picturæ apparatus? instrumenta ingenuarum artium in illa luxuriæ taberna quorsum? præterquàm quòd nulla mihi (vt dixi) dum sustineri lectio potest, placuit vnquã emendatio. Neque vllum facit nobis negotium mentio in præcedentibus de penicillo facta, ad hoc vt sublitionibus assentiamur; penicillum enim illud, quod puella satyrio tinxerat, non ad picturæ, sed ad luxuriæ vsũ ex textu deprehẽditur: ea enim vis inest satyrio, vt vel solo contactu comparatũ Venerẽ excitet autore Plinio; quare cógruum est vt penicillũ illud non ex caudæ animalis extremitate compactum, quale requiritur ad pingendum, sed ex linteo, vel ex gossipio, aut spongia factum credamus, cùm omne id, quo ad aliquid mũdandum, detergendum, illiniendúmve vtimur, peniculum vocitemus. Terentius.

l. 26. cap. 10.

Thraſ. Quid ignaue peniculon pugnare, qui iſtum huc portes cogitas? Eunuch. act. 4. ſcen. 7

Sanga. Egóne? Imperatoris virtutem noueram, & vim militum

Sine ſanguine hoc fieri non poſſe : qui abſtergerem vulnera?

Quin & peniculum pro ſpongia appoſuit Ammianus. *Centonem* (inquit) *quem ſub galea vnus ferebat è noſtris, vltimæ aptauimus ſummitati, qui per funem coniunctus, aquaſq; hauriẽs ad peniculi modum facilè ſitim, qua hauriebamur, extinxit.* Spongias autem ideo penicillos vocari quòd ad oculorum tumores ; & ad extergendas lippitudines vtiles ſint, noſter Iſidorus affirmat. Quare alij priſtinam retinentes lectionem *ſopitionum* nomine penicillos medicamine aliquo imburos, & ſoporatos intelligunt, Vergiliana freti autoritate : ille enim, *ramum vi ſoporatum ſtygia, & offam melle ſoporatam* dixit. Sed meo iudicio ridicula etiam hæc erit interpretatio, cùm enim Vergilium conſtet ſoporatum ramum, ſoporatam offam tanquam vim ſoporis inducentem dixiſſe, nihil à Petronij mente alienum magis excogitari poterit, quàm ſi dicamus penicillo medicamine ſoporem inducente deliburo Aſcylti os fuiſſe ab ancilla depictum, quandoquidem in pœnam intempeſtiui ſomni illius faciem fuligine perfricatam, & os patet ſopitionibus depictum, quia nimirum peruigilium, quod nefariorum ſacrorum cauſa Priapo debebatur, & Veneri, dormiens violarat Aſcyltos. Petroniùs immediatè antè. *excepti etiam pluribus ferculis cùm laberemur in ſomnũ, itáne eſt, inquit Quar-*

lib. 19.

l. Origin. 12. c. 6.

Æneid. 5. & 6.

tilla,etiam dormire vobis in mẽte eſt,cùm ſciatis Priapi genio peruigilium deberi? Quamobrem ex mea certè ſententria vulgata retinenda erit lectio, ibique *ſopitionibus*,pro *ſopitis titionibus* vſum fuiſſe autorem ex duabus vnicam conflantem dictionem plane credendum,quemadmodum illicet,ſcilicet, videlicet vſurparunt frequẽter veteres, eapſe pro ea ipſa Plautus, & Feſtus, & legirupionem, pro legis ruptionem,apud eundem Plautum, domuitionem, pro domum itionem legimus apud Lucium Apuleium.Senſus ergo huiuſmodi erit; Ancilla quæ iniuria depulſa fuerat. vt Aſcylton pari afficeret iniuria, fuligine illius faciem perfricuit, & nihil ſentientis os,humeróſque ſopitis titionibus,carbonibus videlicet pinxit, vtpote quibus longè faciliùs quàm fuligine lineæ quæuis duci poſſint. Sopitis autem titionibus pro carbonibus vſum eſſe,quaſi ij contrarij ſint ardentibus,nemo (vt opinor) dubitabit,nam & Vergilius

In Penulo.
In Rudente.
In Aſino aureo.

—*Sopitos ſuſcitat ignes.*

l.Æneid.5. & 8

quaſi extinctos non ſemel dixit.Cornelius autem Celſus ſimillimavſus loquutione,ſic ait; *Fomẽtiſq; protinus totum corpus circumdare conuenit, maximeq; inuolutis teſtis,& extinctis titonibus.* ita igitur locus hic meo iudicio intelligendus, ne emendationi ſubiaceat.

l.3.cap.12.

De Cothurni significatione multiplici ad D. Bernardum Aldrete virum eruditissimum, amicum optimum.

CAPVT XXIV.



ONNVLLIS abhinc diebus (si meministi, & neministi Bernarde) incidit inter colloquẽdum Cothurni mentio, occasionẽ corporis mei breuitas præbuit, arripuit, quæ tua est, eruditio, ac me, quo procerior fierẽ, cothurnis calceãdum dixisti. Parum me cothurnis adiutum iri, humili, venatorio quippe calceamenti genere, Vergilio teste, respondi; aliud te ex optimis didicisse autoribus, subdidisti contrà, ac te doeente silentium mihi indixisti. Domum inde reuerso meam aliquantulùm laboris hanc in rem impendere venit in mentem, feci, ac quid ex optimis quibusque didicerim scriptoribus, iam percipe. Multiplex cothurni significatio multùm quidem negotij facessit interpreribus, iam enim pro Tragœdorum calceis, iam per synecdochem pro Trogœdiis ipsis, seu ipsarum stylo; iam pro altiori, ac sublimiori dicendi genere, iam denique pro venatorio sumitur calceamento, quorum nobis exempla quàm plurima suppetunt. Pro Tragœ-

dorum calceamento sumpsit Horatius.

Epistol. ad Pisones de Arte Poëtica Philip. 3.

Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Æschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

Quò spectat illud Marci Tullij. *At auus nobilis, Tuditanus nempe ille, qui cum palla, & cothurnis nummos populo de Rostris spargere solebat.* Pro Tragediis, seu ipsarum stylo idem Horatius.

Ibidem. *Hunc socci cœpêre pedem, grandesq; cothurni.*

l. 2 Carm. Od. 1. *—grande munus*
Cecropio repetes cothurno.

Naso.

Amor. 3. eleg *Quantùm non poteris duro reserare cothurno.*
Trist 2. *Impia nec Tragicos tetigisset Scylla cothurnos.*
Ibidem. *Et dedimus Tragicis scriptum regale cothurnis,*
Quæque grauis debet verba cothurnus habet.

Martialis.

l. 5 Epig. 31. *Varro Sophocleo non infitiande cothurno.*
l. 8 Ep. 3 *An iuuat ad Tragicos soccum transferre cothurnos?*
Eod. l. Ep. 8. *Et Vario cessit Romani laude cothurni.*
l. 11. Epig. 10. *Clarus fronde Iouis Romani laude cothurni.*
l. 12. Ep. 96. *Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos.*

Iuuenalis.

Saty. 7. *—poscimus vt sit*
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno.

l. Inst. 10. c. 1 Quintilianus. *Quibus grauitas, & cothurnus, & sermo Sophoclis videtur esse sublimior.* Vnde pro sublimi dicẽdi genere, quale Tragicum est. Vergilius.

In Pharmaceutr. *Sola Sophoclæo tua carmina digna cothurno?*

Martialis.

l. 5. Epig. 5. *Grande cothurnati pone Maronis opus.*
l. 7. Epig. 62. *Sacra cothurnati non attigit antè Maronis*

Iuuenalis

Iuuenalis.

Fingimus hæc altum Satyra ſumente cothurnum. Saryr. 6.

Apuleius. *Iam ergo lector ſcito te Tragœdiam, non fabulam legere, & à ſocco ad cothurnum aſcendere.* Pro venatorio denique calceamento ſumpſit Vergilius in Melibœo, vbi ſic Deliam alloquens. Aſini aur. l. 10.

——leui de marmore tota
Puniceo ſtabis ſuras euincta cothurno. Siue Eclog. 7.

& in diuino opere.

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram, Æneid. 1.
Purpureoq; altè ſuras vincire cothurno.

Seruius Grammaticus in hos verſus. *Cothurno.* (inquit) *Calcei ſpecies eſt venatorij, quo etiam ſura vincitur, & aptus vtrique pedi, vnde ſingulari vſus eſt.* Hæc ille, adhuc nobis intactam de cothurnorum forma, ac diſcrimine quæſtionem relinquens, quod & recentior fecit Alexander ab Alexandro. *Cothurnum enim* (ait) *calceamenti genus eſſe quatuor angulorum fabrefactum ita, vt vtrique pedi, & viris ac mulieribus aptetur commodè, perſpicuè conſtat.* Cui dubitationi vt ſatisfiat, animaduertendum quidem eſt duo fuiſſe cothurnorum genera, craſſus alter, & ſuberis acceſſione eximiè procerus erat cothurnus, quales hodie crepidæ illæ, quibus noſtræ vtuntur fœminæ, *Chapines*, vulgò noſtris *pianelle* Italis. Alter nullo erat fulcitus ſubere, planus & humilis: ille in vſu Tragœdis fuit; Diis hic, & venatoribus accommodatus, vt ex ſuprà dictis patet, quibus adde illud ex Georgicorum 2. Genia. Dier. l. 5. c. 5.

Huc Pater ô Lenæe veni, nudataq; muſto
Tinge nouo mecum direptis crura cothurnis.

cuius forma, vt credo, perſimiliserat calceaméti il-

lius apud nos *botillas*, hodie *stiualleti* apud Italos dicti, quod ex eo, quòd suras amplexaretur, apertè colligo; cur autē ipsas operiret, in promptu causa est, ne scilicet carduis, sentibus, tribulis, & similibus obnoxiæ forent aculeatis herbis: hunc humilem fuisse, quia venatorum, ex nostri Poëtæ locis satis constat, illum procerum præter superiùs allegata. optimus Nasonis locus demonstrat.

Amor. 3. Eleg. 1. *Altera me screptro decoras altoq; cothurno.*

& Iuuenalis.

Satyr. 6. *——Si breue parui*
Sortita est lateris spatium, breuiorq; videtur
Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis.

l. Orig. 19. cap. 34. Clariùs tamen Isidorus noster. *Cothurni sunt quibus calceabantur Tragœdi, qui in theatro dicturi erāt, & alta, intonantique voce carmina cantaturi; est enim calciamentum in modum crepidarum, quo Heroes utebantur, sed tale est, vt dextro, & læuo conueniat pedi.*

Ibidem. Idem. *Mulei sunt similes cothurnorum solo alto.* atque ita intelligendi Suetonius & Vopiscus: ille in

Cap. 52. Caligula dum ait. *Sæpe gemmatas depictasq; penulas indutus, manuleatus & armillatus in publicū processit: aliquando sericatus, & cycladatus, ac modò in crepidis, & cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri.* Hic verò in Carino. *Memorabile maximè & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus, nam & Neurobatem, qui velut inuentis cothurnatus ferretur, exhibuit.* quod proculdubio vo-

l. 7 cap. 29. luit Plinius. *Nos quoque vidimus Athanatum nomine prodigiosæ ostentationis, quinquagenario thorace plumbeo*

plumbeo indutum, cothurniſq; quingentorum pondo calciatum per ſcenam ingredi. Cothurni huius inuentionem Athenienſibus tribuunt plerique ex eo quòd iuxta Flaccum, & Clementem Alexandrinum Athenienſis Theſpis Tragœdias primus ediderit, quòd Æſchylus etiam Athenienſis, pallam eis, perſonam, & cothurnos dederit. Sed toto hi errant cœlo: Lydorum enim inuentum fuit, gentis Aſiaticæ mollitiei omni (vt ex Herodoto, & Plinio conſtat) voluptati, & luxui deditæ, quorum fœminæ (vt credere par eſt) tale calceamenti adinuenerunt genus, quò procerioris, & eximioris ſtaturæ, ornatioréſque viderentur, nam & pictum erat; Ouid. Stromat. 1.

Hactenus & mouit pictis innixa cothurnis.

Quod inter alios luxuriæ apparatus deuictam Aſiam victrici dediſſe Græciæ, à qua Thragœdiis fuit applicatum non dubito; Lydios verò fuiſſe cothurnos teſtis vbi ſuprà Ouidius. Amor. 3. Eleg. 1.

Venit & ingenti violenta Tragœdia paſſu,
Fronte comæ torua palla iacebat humi.
Læua manus ſceptrum latè regale tenebat,
Lydius alta pedum vincla cothurnus erat.

Amor. l. 3. Eleg. 1.

Neque eſt cur contendat quis Horatij ſecutus autoritatem Atticum fuiſſe cothurnum, ex eo quòd Cecropium ille dicat, vt ſuprà vidimus; Horatius enim ibi, non de calceamento, ſed de ſublimiori loquitur ſtylo, quòd nimirum Æſchylus, & Euripides Athenienſes fuerint, quorum primus, vel Tragœdiæ primus illuſtrator, vt Horatio placet, vel inuentor primus, vt Quintiliano, maximè grandiloquus, & ſublimis; alter verò De arte. l. 10. cap. 1.

ex eiusdem sententia, nec non ex Aristotelica
Poëtic.c. 11. optimus Tragicorum. Cur vero Tragœdis fami-
Poëtic.l.1. liaris fuerit cothurnus, causam reddit Cæsar Sca-
c.13. liger, vt scilicet Heroum magnitudinem æqua-
rent Tragœdi. Heroes enim omnes mira tra-
duntur fuisse proceritate, vnico excepto Tydeo,
sic ille. Licèt omnium suæ tempestatis hominum
oculatissimus Scaliger, inter vtrunque cothur-
nuin differentiam non videns anxius dubitet,
quare venatricem eo calciet Vergilius quam de-
cet esse expeditissimam? hanc etiam causam non
obscurè innuit Horatius Satyrarum primo, dum
quendam scurram Sarmentum nomine inducit
rogantem Messum, vt Cyclopa agat, & quia fa-
cie deformis, & procerus corpore esset Messus,
subiungit.

Satyra 5. *Nil illi larua, aut Tragicis opus esse cothurnis.*

quia nimirum oris fœditate, & corporis mole
Cyclopem adæquaret, vt ibi vetustiores inter-
pretes, & post eos Lambinus exponunt. Quibus
nostra remanet absoluta disceptatio: ac si iuri-
dicundo ex probatis, & allegatis idoneum me iu-
dices (mi Bernarde) te iure quidem cothurni
proceritatem commendasse, me humilitatem
non iniuria defendisse, liberè pronunciabo

Dæmogorgonis fictitium numen, & nomen, nullámque eius reperiri mentionem apud Antiquos aduersus Boccacium, & alios.

CAP. XXV.

IOannes Boccacius Florentinus, alioqui nobilis scriptor, in libro illo quẽ de Theogonia sermone conscripsit patrio Dæmogorgonem nescio quẽ effinxit Deorum omnium Protoparentem, in imis Tartarorum visceribus latitantem, trucẽ, terribilem, quem inferi Dij, quem Parcæ, quem Furiæ metuant ipsæ, ad cuius denique nutum cõtremiscant. Somniabat dubio procul dum isthæc commentabatur Boccacius; qui enim vegeti ingenij vir, & literarum cognitione clarus, ni dormiens has contexuisset aniles fabulas? Verùm Boccacij autoritas tanta fuit apud non indoctos vtriusque Hesperiæ viros, (ea est aliquorum parum indagatrix veritatis credulitas) vt pedibus in ipsius sententiam ierint. Ex Italis, qui in eodẽ cœno hæsitarunt, Pylades (quisquis ille fuit auorum nostrorum memoria) genealogiæ scriptor sic in principio.

Quem primum longæua Deum commenta Vetustas
Dicitur, huic nomen Gorgonis illa dedit.

Ludouicus Areostus in quinque Canticis Furioso superadditis, (simodò illa Areosti sunt, nec
Cant. 1. supposititia) sic de illo;

Quiui Demogorgon che frena, e rege
Le fate, e dà lor forza, e ne le priua.

Ex nostris verò conciuis meus Ioannes Menæ non inelegans illius tempestatis Poëta.

Copla 251. *Pues ven, y obedece, sino llamaré*
A Demorgon, el qual inuocado
Treme la tierra, que tiene tal hado,
Que à las Estygias no mantiene fé.

& ibi Ferdinandus Nunez. Ex recentioribus verò Barahona de Soto in Poëmate, *Lagrimas de Angelica*, vulgò nuncupato. Nec defuêre ex Poëtarũ interpretibus, qui huic etiam subscripserint sententiæ; Sulpicius certè Verulanus in illa Lucani verba.

Pharsal. l. 6. ——*paretis? an ille*
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit?

sic ait. *Ille; Dæmogorgon, qui est omnium Deorum pater, & iacet in imo Tartaro, interpretatúrque terræ Deus, siue terribilis Deus.* Omnibonus etiam ita in hæc eadem Lucani verba. *Dæmogorontem significat; multi dicunt per hunc Dæmogorontem intelligi animã mundanam, quæ vegetat omnia, quæ omnibus naturis præposita est, de cuius semine Solem, & Lunam, & stellas natas esse dicebant, & hoc secundùm Seruium; sed secundùm Theocletem Philosophi dicunt Dæmogorontem esse rerum omnium, & Deorum principem, & genitorem terræ, Erebi, & Parcarum, quia intelligentiam maximam rerum omnium habeat.* Beroaldus in eundem

eundem Lucani locum. *An ille compellandus erit. Dæmogorgonem intelligit Deum conſcium terræ.* Placidus Lactantius in illa Papinij verba.

Et triplicis mundi ſummum, quem ſcire nefaſtum,
Illum ſed taceo; prohibet tranquilla ſenectus. Thebaid. 4.

ita. *Et triplicis mundi. iuxta picturam illam veterem, in qua hæc tormenta deſcripta ſunt, & aſcenſio ad Deum. dicit Deum Dæmogorgona ſummum, cuius nomen ſcire non licet. Infiniti autem Philoſophorum, Magorum, Perſæ etiam confirmant reuera eſſe præter hos Deos cognitos, qui coluntur in templis, alium principem, & maximè Deum cæterorum numinum ordinatorem, de cuius genere ſint ſoli Sol atque Luna: cæteri verò, qui circumferuntur, aſtra nominantur, quæ eius clareſcunt ſpiritu, maximis in hoc autoribus Pythagora, & Platone, & ipſo Tagete conuenientibus.* Hæc ille, à quo Dæmogorgonis numen, & nomen parum ocularus deſumpſit Boccacius (vt refert Antonius Syluius) ſimodò Boccacium ætate præceſſit Lactantius, nondum enim mihi compertum. Sed vt verum in genuè fatear, interpretes in re adeò graui lapſos fuiſſe vt credam nunquam adducar, Boccacium aſſeram: & vt ſingillatim ſingula expendamus, nunquam tale extitiſſe numen Orpheus vetuſtiſſimus Poëtarum, & æqualis ipſorum Deorum (vt Lactantius Firmianus ait) teſtimonio mihi ſit, qui Deum verum, & magnum, *Protogonon*, id eſt, primogenitum appellat, quòd ante ipſum nihil ſit genitum, ſed ab ipſo ſint cuncta generata; eundem etiam *Phanera*, id eſt apparẽtem nominat, quòd cùm adhuc nihil eſſet, primus ex infinito apparuerit, neque

l. ſingulari in ll. c. 13.

l. 1. de Falſa relig. c. 5.

Dæmo

Dæmogorgonis meminit vsquam. Homerus nusquam. Hesiodus Theogeniæ scriptor Chaos Deorum primum parentem fecit, & inter triginta Deorum gentium millia (tot enim ex ipso Hesiodo retulit Clemens Alexandrinus hoc recensito carmine.)

In hortatoria ad Gentes.

Dæmonium decies ter habet nam millia tellus.

nunquam abeo vlla fuit facta Dæmogorgonis mentio; nulla à cæteris antiquis Poëtis; à Philosophis nulla, nam de Platone quid sentiam, dicam inferiùs. Cicero in libris de Natura Deorũ de hoc nullum verbum. Latinorum Poëtarum quotquot clari fuerunt nominis nullus de Dæmogorgone loquitur. Eruditissimis Fulgentio, & Natali Comiti in Mythologicis, ac Lylio Giraldo in libris de Diis Gentium talem Deum ne in mentem quidem venit nominare. Cæcutiunt ergo illi omnes, & vnus est oculatus Boccacius? Sed quid ipsius errori ansã præbuerit, iam dicã. Græci Deos omnes illos suos *Dæmones* appellabant, & verè, cùm non solùm Poëtarum testimonio id pateat (vt superiùs ex Hesiodo dictum est) verùm ipsorum Deorum oracula se esse Dæmonas fateantur, vt refert Lactantius Firmianus, & quod omni exceptione maius testimonium est Regius vates. *Omnes Dij Gentium Dæmonia.* Dæmonas autem (vt idem Lactantius ait) Grammatici dictos aiunt quasi δαήμονας, id est peritos, ac rerum scios; Dæmonibus enim antiquitas humanarum artium inuentionem tribuebat, & suis quidem cohærenter principiis, cùm eos omnes, qui vnaquaque in re viuentes excelluissent,

l. cit. c. 7.

Psalm. 95.

l. 2. de Orig. Erroris.

luissent, mortuos in Dæmonas mutari, & pristinum suum retinere studium ipsi putarent, vt ex Maximi Tyrij eximij Philosophi Platonici scriptis constat. *Gorgos* autem terribilis interpretatur; Sermon.27. vnde meritò coniectari licet Dæmonem Gorgona, id est Deum terribilem in veneficiis, & magicis carminibus inuocatum, non quidem ex eo, quòd aliquis sit huius nominis peculiaris Deus, sed pro effectibus Dei attributum, quemadmodum Iouem Optimum, Maximum ab effectis appellauit Antiquitas. Cicero. *Te* (inquit) *Capitoline, quem Populus Romanus propter beneficia Optimum, propter vim Maximum appellauit.* Eundem quia lucis auctorem, *Lucetium*; quia diei patrem; *Diespitrem* dictũ Macrobius affirmat. Quod mihi videntur voluisse interpretes, vnico excepto Boccacio, qui, Dæmogorgon, non compositum (vt par erat) nomen, sed simplex simplicior ipse credidit. Qua de re optimè Lambertus Hortensius Lucani interpres in suprà dictos illius versus ex Micyllo. *Adiicit Micyllus ex Boccacio, qui tum temporis mihi non erat ad manus, cùm ista commentarer, qui eundem Dæmogorgonem terribile exponit, quod de solo Principe, ac summo Deo dicitur, vt Propheta Dauid in Psalmo suo. Magnum, sanctum, & terribile nomen eius. Sed alij, inquit idem Micyllus (cui inter interpretes primas tribuo) contrà Demogorgonis nomen, vt fictitium, ac vanum reiiciunt, & pro eo, Demogorgi vocem restituendam esse contendunt, quòd hoc potissimùm nomine summum, ac primum Deum, creatorem omnium, Plato, atque alij quidam appellarint. Quod quidem, inquit, vt ipse in medio relinquo,* Pro Domo sua. 1.Satur. c.15

ita

ita illud rursum existimo, vtrunque Poëtam Statium, & Lucanum ad consuetudinem, & morem Magorum respexisse, vt qui inter cætera Deorum nomina, quibus exorcismos suos conficiunt, arcanum atque ineffabile illud suum atque potentissimi Dei, quoties ad extremum ventum esset, & cùm iisdem summam necessitatem spiritibus, atque vmbris eliciendis adhibere vellent, tum demum citare solerent: siue hoc aliud, atque diuersum aliquod: siue idem cum tetragrammato illo censendum, Iehoua, quod ne hodie quidem Iudei suis literis, suáque voce enunciant, in hoc enim nomine cùm Magi, tum alij multi summam vim, summámque potentiam inesse arbitrati sunt. Hactenus ex Micyllo Hortensius, & eruditè quidem: quando inter sua nefaria sacra arcanum Dei nomen habuisse Magos vel Romanorum exemplo deprehendi potest, quibus (teste Cicerone) Bonæ Deæ ne nomen quidem scire fas erat, sicut & propium Romæ, de quo ita Plinius; *Supérque Roma ipsa, cuius nomen alterum dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur: optimáque, & salutari fide abolitum enũciauit Valerius Soranus, luítque mox pœnas.* cuius rei Plutarchus etiam, ac Solinus meminêre. Sed clariùs adhuc Placidus Lactantius hac de re in suprà dictos Papinij versus, dum ait; *Hetrusci confirmant nympham, quæ dum non nupta fuerit, prædicasse maximi Dei nomen, exaudire hominem per naturæ fragilitatem, pollutionemque fas non esse: quod vt documentis assereret, in conspectu cæterorum ad aurem tauri Dei nomen nominasse, quem illicò, vt dementia correptum, & nimio turbine coactum exanimasse.* Hæc ille. Quibus omnibus Micylli

De Aruspic. Respons.

lib. 3. c. 5.

Plutarc. in Quæst. Cẽt. Rom.

Solin. Polyhist. c. 2.

sententia

ſententia corroboratur ſatis, niſi quòd pro Dæmogorgi, *Demiurgi* vocem reponendam putarim; *Demiurgos* enim Græcè (cuius nomine Comœdiam edidit Roſcius, vt eſt apud Ciceronem) idem quod artifex, opifex, creator, Princeps Latinè ſonat, quæ omnia ſoli ſummo Deo non dicam congrua, ſed neceſſariò debita affirmauit Plato, & dubitabit nemo. Vnde & magiſtratus nomen apud Achæos. Liuius. *Tum inter magiſtratus gentis (Demiurgos vocant, decem numero creantur) certamen nihilo ſegnius, quàm inter multitudinem eſſe.* Idem. *Et ſub aduentum conſulis, Demiurgis ciuitatum, qui ſummus eſt magiſtratus, Ægium euocantibus, Philopœmenes (Prætor tum erat) Argos conuentum edixit.* Verùm de Dæmogorgone nimis multa. 1. Fam. 9. Epiſt. Amo verecundiam. lib. 32.

Ioui taurum immolari nefas fuiſſe; defenſus à recentiorum calumnia Seruius; Poëtarum loca aliquot explicata.

CAPVT XXVI.

SEruius Grammaticus ſupra illud ex 3. diuini operis,

Cœlicolûm regi mactabã in littore taurũ.

Ioui taurum mactari contra rationem ſacrorum fuiſſe affirmat; Vnde quia illi taurum immolauit Æneas, ſtatim ſubſecutum prodigium: Ser-

uij verba hæc; *Contra rationem taurum mactat Ioui: vnde putãt subsecutum prodigium. Ioui enim iuuencus vbique mactatur, vt, statuam ante aras aurata fronte iuuencum. item, cornu petat, & pedibus qui spargat arenam. & Iuuenalis. qui vexat nascenti robora cornu, nam in victimis ætas est consideranda.* Ita Seruius; illum secutus Natalis Comes eadem habet: reprehenditur vterque ab aliquibus recétioribus Criticis, sed præcipuè à Martinantonio Delrio autoritate imprimis Vergilij omni exceptione maiori, nec non etiam aliorum non vulgaris notæ Poëtarum, qui Ioui taurum immolatum, seu immolandum dicunt. Ouidius.

Mythol. l. 1. c. 15.

In Comm. Hercul. Furentis Senecæ.

Diis tribus ille focos totidem de cespite ponit,
Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo,
Ara Iouis media est, mactatur vacca Mineruæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi summe Deorum.

Metam. l. 4.

Idem.

Immolat ex illis taurum tibi Iuppiter vnum.

Fastorum 1.

Seneca noster Tragicus.

Tibi Deorum ductor indomiti ferent
Centena tauri colla.

In Hercul. Furent. act. 2.

&, *Primus sceptriferis colla tonantibus*
Taurus celsa ferat tergore candido.

In Medea.

In contrarium tamen Attei Capitonis, & Antistij Labeonis insignium consultorum facit autoritas (hi sunt de quibus in l. 2. D. de Origine Iuris honoratissimam fecit mentionem C. Pomponius, quorum ita refert sententiam Macrobius.

Saturnal. 3. cap. 10.

aut si didicisset quod Atteius Capito comprehendit; cuius verba ex libro 1. *de iure sacrificiorum hæc sunt. Itaque Ioui tauro, verre, ariete immolari non licet. Labeo*

vero

verò 68. libro intulit ; nisi Neptuno , Apollini , & Marti tauro non immolari. Et inferiùs. *Ateius quidem Capito, quem in acie contra Maronem locasti, adiecit hæc verba. si quis Ioui tauro fecerit, piaculum dato.* Ita illi, quorum verbis stemus necesse est , nec ideo tamen Vergilium , Ouidium , & Senecam rituum ignorantiæ damnemus. Dicendum ergo in mactando Ioui tauro piaculum committi, sicut & in verre, & ariete, nisi cum Triumphi nomine tauro fiebat , (vt Hercules apud Ouidium loco citato deuicto dicitur feciſſe Caco) tunc enim & Sue quoque fiebat. Homerus.

Mactandúmque suem Soli, Iouique supremo. Iliad. 7.

Theocritus etiam.

Atque marem mactare Ioui decet è grege porcum. In paruo Hercule.

Aliàs , quia contra sacrorum ritus immolabatur, statim prodigium , vel maximum aliquod sequebatur malum. Suetonius in Caligula prodigia quæ eius præcesserunt necem enarrans. *Supervenitque illicò quidam Cassius quoque nomine iussum se somnio affirmans immolare taurum Ioui.* Vnde consultò Vergilium Æneam induxisse Ioui taurum immolantem dubium non est, vt scilicet monstro locum faceret secuturo, ita asseuerante Macrobio, similiter & Ouidium & Senecam consultò idem feciſſe credendum : ille enim Perseum ante nuptias Ioui tauro facientem inducit, vt ingenti prælio , quod in nuptiis deinde commissum est , & Phinei , ac sociorum Metamorphosi ansam præberet : hic verò in Hercule furente post Alcidis è Tartaro redeuntis sacrificium , ipsius statim furorem : in Medea post Chori promissa sacrifi-

cap. 57.

Vbi suprà.

Ita ibi sensêre Ascensius, & Daniel Senecæ interpretes.

cia, Medeæ finxit parricidia; inauspicatas enim fore nuptias non rite peragendum sacrificium ostendebat: minùs nanque ritè peracta sacra immane aliquod malum portendebant, quod nó obscurè innuit Lucanus, dum Aruntem Tuscum Diis aliis à Ioue tauro sacrificantem, ac viso in extis maximo porrento, sic proclamantem inducit.

Pharsal. 1.

——vix fas superi quæcunque mouetis
Prodere me populis, neque enim tibi summe litaui
Iuppiter hoc sacrum, casiq; in pectore tauri
Inferni venêre Dei.

Ac si Aruspex dicat; quare talia portendunt fibræ, si nullum piaculum admissum, nec erratum in hostia est? ita nanque illum exponit locum egregius Lucani interpres Lãbertus Hortensius; cur autem taurorum sacrificia dedignetur Iupi-

Vbi suprà.

ter, causam reddit Natalis, quia nimirum furibundum animal rerum omnium gubernatori, quem cæteris Diis humaniorem, temperantiorem, ac prudentiorem esse decebat, minimè cóuenit. Triumphi verò nomine Ioui mactabatur

Æneid. 9.

(inquit Seruius) quia non tantùm Ioui, sed aliis etiam Deis, qui bello præsunt, sacrificabatur. Aliam ego rationem addo. Hostiæ Diis duplici de causa censebantur gratæ, vel quia similes, vel quia dissimiles ipsorum qualitatibus, & placitis,

Ouid. Fast.

ita latè referente in Fastis Nasone, nec non &

1. Muret. Var. l. 3. c. 7.

Mureto; Ioui ergo triumphatores taurum immolabant, vel vt hostilis ferociæ, & furoris domitori, vel vt forti simul, ac temperato (qualem esse Iouem credidit antiquitas) talem enim per

taurum

taurum designabant Ægyptij, vt Horus Apollo Niliacus in suis Hieroglyphicis testatur, cui ex parte quoque Pierius assentitur. l. 1. Hierog. 44. Pier. l. Hierog. 3.

Qui sint Machaonæ Martiali, & à calumnia Petri Victorij vindicatus Cicero. Lucani locus illustratus.

CAP. XXVII.

MArtialis noster epigrammate quodam in Zoilum facetè (vt assolet) sic ait. Epigr. 16. 2. libri.

Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

Ex epigrammatis serie planè colligitur Machaonum nomine medicos intelligi debere: Vnde autem Machaonæ illi appellentur, in comperto est (vt credo) Machaonem medicum fuisse insignẽ, Æsculapij nimirum (à quo medicinam edoctus) ex Epione vxore filium; notum ex Homero.

Talthybiades celerémque Machaona ducito nobis
Præstantis medici natum, huius Asclepius olim
Nam pater ipse fuit. Iliad. Δ. seu l. 4.

Hunc cum reliquis Græciæ Proceribus Troiam adnauigasse ex eodem etiam Homero satis constat, nec non ex Marone, qui quidem illius Troianum equum ingressi mentionem fecit.

Demissum lapsi per funem Athamasque, Thoasque Æneid. 2.

Pelidesq; Neoptolemus, primúsque Machaon.

quem demum ab Euripilo aiunt occisum. hic ergo adeò medicæ artis peritus perhibetur, vt Philoctetem Pæantis filium Herculearum dominú sagittarum desperato iamdudum & immedicabili laborantem vulnere, vel casu Herculeæ (vt Seruius Grammaticus, & aliqui voluêre Græci) sagittæ Lerneæ belluæ sanie tinctæ, vel viperæ morsu (vt Sophocli placuit) effecto, pristinæ reddiderit sanitati. Propertius.

In 3. Æneid.

In Philoct.

Elegiar. l. 2. *Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon.*

qua de causa præstantes medici Machaonæ dicuntur Martiali, quo in sensu à Nasone illud fuerat vsurpatum priùs.

De Remed. Amor. l. 2. *Ille Machaonia vix ope sanus erit.*

id est præstantis medicinæ auxilio; hos ergo omnes Machaonas, id est medicos vitare Zoilum poëta noster iubet. Sed quoniam Philoctetæ incidit mentio, non possum non succensere Victorio aliàs erudito viro, qui libro variarum secundo, capite decimo quinto Ciceronem in Philoctetæ historia narranda peccasse ait, eo quòd in secunda Tusculana Philocterem Herculem in Oeta morientem vidisse, ab eóque sagittas dono accepisse, Cicero dicat. *Neque enim Philoctetа* (inquit Petrus Victorius) *Herculem in Oeta acerrimis doloribus oppressum vidit, muliebremque fletum edentem, sed pater ipsius Pæan, temporáque manifestè repugnant: Ad Troianum enim bellum, cuius dux Agamemnon fuit, profectus est Philoctetа: Hercules verò multo antè inter Deos relatus erat: Pæanẽ autem ab eo sagittas dono accepisse, quas postea filio reliquit,*

liquit, certũ eſt teſtimoniis multorum ſcriptorũ. Quod ipſe deinde Apollodori duntaxat, nec non Sophoclis in Philoctete autoritate confirmat. Sed quidquid Apollodorus dicat, (Græcorum enim placita mirum quantùm diſſentiant inter ſe) Sophoclem certè pro ſua ſententia falsò citat Victorius: locus enim, quem ille adducit Sophocleus Latinitati redditus, in hunc ſonat modum,

Ille ſum ego tibi ille, quem audis fortè
Herculeorum exiſtentem dominum armorum,
Ille Pœantis filius Philoctetes.

Quo in loco quis non videt nihil Ciceronianæ opinioni reperiri contrarium? iniuſtè ergo Oratorem noſtrum accuſat Victorius, præcipuè cùm Ciceronis ſententia omnibus fere Latinis Poëtis extiterit probatiſſima, de hoc enim ita Ouidius. Metam. l. 9.

——At tu Iouis inclyta proles
Arboribus cæſis, quas arduus geſſerat Oete,
Inque pyram ſtructis, arcum, pharetramque capacem,
Regnaq; Troianas iterum viſura ſagittas
Ferre iubes Pœante ſatum, quo flamma miniſtro
Subdita.

Tragicus noſter in Hercule Oetęo.

Vt preſſit Oetem, ac ſuis oculis rogum Actu 5.
Luſtrauit, omnes fregit impoſitus trabes,
Arcumque poſcit: accipe hæc, inquit, ſate
Pœante dona, munus Alcidæ cape.

& latiùs inferiùs. Auſonius.

Herculis hæredi, quem Lemnia ſuaſit egeſtas. Epigr. 70.

cuius etiam opinionis fuit Vergilianus interpres Seruius Grãmaticus ſupra illud ex tertio Æneidos.

——hîc illa ducis Meliboei
Parua Philoctetæ subnixa petilia muro.

Vnde intelligendus conciuis mei Lucani ex 6. Pharsaliæ locus.

——pretióque nefandæ
Lampados Herculeis audax Meliboea sagittis.

Venisse enim ait inter alias Græciæ vrbes, Melibœam Magnesiæ oppidum, teste Plinio, ac Philoctetæ patriam Herculeis audacem sagittis, quas nimirum ab Hercule Philoctetes acceperat in pretium lampadis (qua Herculeum ille accenderat rogum) nefandæ, eo quòd fari ei locum, vbi cineres iacerent Herculei, iureiurando astricto non licebat; atque ita versus hos bene expostuêre Sulpitius, Omnibonus, Beroaldus, & Hortensius Lucani interpretes. Hanc denique Ciceronis sententiam (licèt in contrarium stet Apollodorus) communiorem esse dicit Natalis de Comitibus. Et ne respondere posset Victorius Ciceroné in errorem traxisse cæteros scriptores, qui illum subsequuti sunt: hæc eadem opinio antiquiori placuit Græco scriptori Diodoro Siculo, ita enim ille. *Hercules desperata salute, in pyram cùm ascendisset, rogabat accedentes, vt ignem subiicerent: quod cùm nullus auderet, solus Philoctetes in gratiam sagittarum, quas ei Hercules reliquit, pyram succendit.* Imò & ipsiusmet Sophoclis in Philoctete hæc fuit opinio (quo clarior Victorij error appareat, ipsum pro contraria citantis sententia) sic enim Sophocles.

Mytol. l. 7. c. 1.

Bibl. l. 5. c. 2.

Patre generoso sate adolescens Lemnio hoc
Mihi sæpe frustrà hei inuocato, age igne nunc

Artus

Artus adure, nec mihi illud tu nega,
Quod præstiti officium ego olim Ioue sato Herculi,
Ac tela, quæ seruanda tradidi tibi,
Præmium habui.

& alibi idem Philoctetes de sagittis agens Herculeis.

Bene faciens enim ipse hæc acquisiui.

Quomodo autem benefaciendo illas acquisiuit, nisi Herculi morem gerendo? si enim hæreditario acquisiuisset iure, nihil certè boni, aut mali in hoc diceretur fecisse. Neque argumentum Victorij à temporum discrepantia quicquam valet: licèt enim Hercules ante Troiæ excidium, cui inseruiuit Philoctera, inter Deos sit relatus, Eusebius tamen Cæsariensis, & Isidorus noster in Chronicis, Herculis mortem, & Troiani belli initia in Iephte Iudicis, qui sex tantùm annis Israëliticum rexit populum, tempora conferunt: & quando certum est superstitem fuisse Priamũ Laomedontis filium primę Ilijvastationi ab Hercule factæ, vixisseque ad vltimam vsque, in qua ipse demum cum regno occubuit patrio; ambigendum non erit, & morienti adstitisse Herculi Philocterem, & Troiæ excidio interfuisse. Ex quibus satis remanet aut calumniæ, aut inscitiæ in hac parte conuictus Victorius, ac defensus Cicero.

Quid sint Sculponeæ, Plauti locus in Casina declaratus.

CAP. XXVIII.



VID Sculponearum nomine intellexerint vereres, non facilè diiudicare licet, singularium enim, & parum vsitatarum vocum comes hallucinatio. Fabius Plantiades Fulgentius in libello de sermonum Antiquorum expositione, quem citat, & sequitur Alciatus, Sculponeas dici ait, cestus plumbo ligatos. Contrà verò Robertus Stephanus, & Calepinus diligentes viri Sculponeas esse volunt calceos lana confectos, & quo magis mirer, pro sua vtrique opinione eosdem afferūt autores, Næuium imprimis, qui iuxta Fulgentium in Philemporo Comœdia sic ait.

In Plautin. vocum Lexic. Steph. in suo Thesauro. Calep. in Dictionar.

Sculponeis batuenda sunt huic latera probè.

Plautum deinde, qui ita in Casina.

Act. 2. scen. 8.

—— qui quæso, potiùs quàm sculponeas.
Quis batuatur tibi os senex nequissime?

quæ ferme verba Prouerbi loco vsurpauit Scaliger filius in commentariis ad librum Manilij primum. Sed, vt verum ingenuè fatear, neutra mihi videtur vero consentanea opinio; non Fulgentij, tum ex inferiùs dicendis, tum quia cur quæso laborioſum cestorum pōdus desideraret Chalinus, vt os, aut latus batueret senis, cùm longe faciliùs

id

id fuſtes, lora, flagra, quæ frequenter ad manus habentur, præſtare poſſent? Non Roberti, & Ambroſij, & quia nullo illi teſtimonio probant, ſculponeas fuiſſe ex lana confectos calceos, & quia nullo quempiam afficere poſſent dolere, ſi lanei eſſent calcei, contrà quàm ſuperiùs adducta Poëtarum loca intendunt. Quare ſculponeas ego calceos eſſe credo ruſticanos ex duriſſimo confectos bouino corio, illos nimirum, quos *Abarcas*, vel quos *Capatos bacunos*, vulgus noſtrum vocat. Et hoc Catonis teſtimonio, is enim in libris de Re ruſtica, de Veſtimentis ruſticanæ familiæ præſtandis agens. *Sculponeas* (inquit) *bonas alteris annis dare oportet.* Familiæ autem Ruſticanæ calceos, non ex lana, ſed ex duriſſimo potiùs bouino corio conuenire, quis nõ videt? quod etiam Varronis confirmatur autoritate quam pro ſua opinione, imò contra ipſam adduxit Robertus Stephanus. Cap. 59.

Aſpicio ſculponeatam bigas ſequi cornutas.

non enim veriſimile eſt pedirem aut ceſtorum onuſtam pondere, aut laneis calceis bigas alicubi ſequuturam. Iam verò ad Plautinum locum vt noſtram còmprobet ſententiam, accedamus. Parat Stalino ſenex conuiuiũ, Olympio villico imperat, vt varia piſcium genera coëmat.

Emito ſepiolas, lepadas, lingulacas
Hordeias

Tunc Chalinus ſeruus herum ſenem illudens, quòd hordeias afferri iuſſiſſet.

——Immò triticeias ſi ſapis.

inquit. Iubet etiam ſenex villico vt emat

Soleas.

l.9.cap.15.& 16.& l.31. cap.vlt. Piscium nempe genus aliud à Plinio inter non illaudata commemoratum. tunc ludens in ambiguo Chalinus, ac hero illudens, quia soleæ plura significant, vt docet Quintilianus, solearum piscium loco soleas calceos intelligit, hoc enim ex Soleæ significatis vnum. Idem Plautus in Mostellaria.

l.8.cap. 11.

Actu 2.

Cedo soleas mihi, vt arma capiam, pol ego occidam patrem.

& in Truculento.

Date iam soleas, atque intrò me actutum ducite.

Propertius.

Elegiar. l.2.

Desilit in laxa nixa pedem solea.

cuius significationis meminit & Isidorus noster. tunc inquam soleas intelligens calceos, non soleas, quin potiùs sculponeas, vt pote duriores in eodem calceamenti genere, quibus seni os batuatur, importari desiderat, quemadmodum hodie apud nos vulgò dicitur. *des haçerle la boca con vn capato, o chinela,* & dixit Iuuenalis.

Et solea pulsare nates.

& hæc de sculponeis, à quibus proculdubio originem traxit Italicum vulgare nomen, *Scarponi, Scarpe, Scarpinelli.* & nostrum etiam emollito significatu, *Scarpines.*

Saltationem variè audiuisse apud Antiquos, inter plurima tamen eius genera pessimè Gaditanam, à qua hodie lasciuæ Hispaniensis vulgi saltationes originem ducunt.

CAPVT XXIX.

SALTATIONEM plurimi habitam, ac proinde laudatam ab antiquis testimonio nobis erunt summorum virorum, Socratis, & Platonis sententię, illum enim laudibus cumulasse saltationem affirmat Plutarchus. *Tunet* (inquit) *laudationibus illis, quas Socrates de Saltatione peregit*, nam & ipse Socrates in Poëmatibus apud Athenæum ita. Quæstion. conuiual. l. 7. q. 8. l. 14. cap. 12.

Qui rectè scuêre choros decorare Deos, hi
Optimi & in bello.

Plato autem in suis de legibus libris, Deos ait laboriosam hominum vitam miseratos, remissiones laborum cõstituisse, Musas quoque & Apollinem Musarum ducem, & Bacchum concelebratores adhibuisse, qui cum voluptate tripudia, & saltationes nobis ducunt. Rationem verò ob quam non indecora fuerit existimata saltatio ex mente (vt credo) Socratis reddit Athenæus. lib. 2.

Erat enim per id tempus saltationis genus, & decorum, & magnificum in choris, atque id ferè, quod motiones, Vbi suprà.

quæ

quæ fiunt in armis, imitaretur. Sed & aliam opinor posse reddi, illius nimirum cum Poësi, quæ maximo olim in honore fuit, similitudinem; nam, vt Aristoteles ait, & saltatio, & Poësis in imitatione quidem conueniunt, solùm verò ex parte instrumentorum differunt; Poëtica enim (Epopeia præcipuè, quæ nullis adiuuatur musicis instrumentis) voce duntaxat imitatur, nudis sermonibus, & metris; at verò saltatio numero ipso seorsum ab harmonia: saltrantes enim gesticulationis numerosa varietate mores, perturbationes, actionésque imitantur. Vnde Ammonius apud Plutarchum. *Breui, ait Simonidis dictum, à pictura ad saltationem traducendum, tacitam eam Poësim esse, contrà Poësim loquentem saltationem, quare inquit, nihil habet cum Poësi Pictura germanitatis, neque Poësis cum Pictura, neque habent quicquam inter se commercij. At inter artem saltandi, & Poëticam omnis societas, & communio intercedit.* Sed hæc de saltatione Græci, qui theatris præ reliquis gentibus dediti fuêre; nunc ad Romanos transeamus, quos quidem saltandi artem à Græcis mutuatos, eámque priscis temporibus in honore habuisse, quippe quam nobiles suos illi edocerent, testis est Isidorus noster, ita enim ille ex Varrone, *Saltatores autem nominatos Varro dicit ab Arcade Salio, quem Æneas in Italiam secum adduxit, quique primò docuit Romanos adolescentes nobiles saltare.* Macrobius. *At inter illos saltatio certatim vel ab honestis appetebatur. ecce enim, vt ab illo ordiar tempore, quod fuit optimis moribus, inter duo bella Punica, ingenui, quid dicam ingenui? filij senatorum in ludum saltatorium commeabant,*

De Poët. cap. 1.

Quæst. conuiual. l. 9. cap. 15.

l. Origin. 18. c. 47.

Saturn. l. 3. c. 14.

meabant, & illic crotala gestantes saltare discebant. Taceo quòd matronæ etiam saltationem non inhonestam putabant, sed inter probas quoque earum erat saltandi cura, dummodò non curiosa vsque ad artis perfectionem. Ita Macrobius qui testimonium deinde citat Scipionis Aphricani Æmiliani sese vidisse affirmantis in ludo saltatorio plus pueris, virginibúsque quingentis, & in his vnum puerum bullatum candidati filium annorum duodecim cum crotalis saltare, quia scilicet turpe non habebatur, si enim haberetur, se suósque ab omni probro vindicare curasset pater, quo tempore magistratum adipisci sperabat. At contrà grauibus certè, ac honestis viris inhonestum, atque indecorum visum est saltandi studium. Idem Macrobius. *Testis est Scipio Aphricanus Æmilianus, qui in oratione contra legem iudiciariam Tiberij Gracchi sic ait: docentur præstigias inhonestas: cum cinædulis, & sambuca psalteriogꝫ eunt in ludum histrionum, discũt cantare, quæ maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt inquam in ludum saltatorium inter cinædos virgines puerigꝫ ingenui.* & inferiùs ex eadem Oratione ea, quæ modò iisdem ferè retulimus verbis. *In his vnum (quo me maximè Reipublicæ miserum est) puerum bullatum petitoris filium non minorem annis duodecim cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus seruulus honestè saltare non posset.* & mox. *Sic nimirum M. Cato senatorem non ignobilem Cæcilium Spaciatorem, & Fescennium vocat: eumgꝫ staticulos dare his verbis ait: descendit de Cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere.* & *alibi in eundem. preterea cantat vbi collibuit: interdum Græcos versus agit,* Vbi suprà.

agit, iocos dicit, voces demutat, ſtaticulos dat. Hęc Caro, & hęc Macrobius; Cicero verò hac de re in hunc modum; *Saltatorem appellat Lucium Murenam Cato, maledictum eſt, ſi verè obicitur, vehementis accuſatoris.* Talia fermè de Saltatione Ethnici Antiqui (Sanctorum enim Patrum ſententiam hic apponere non libuit) quæ quidem ſicut neque omni ex parte probanda, ita neque improbanda eſſe iudico. Saltandi enim ars (dum modò ea quis debitè vtatur, neque vbique locorum, neque quocunque ſaltationis genere, aut tempore quocunque veluti hiſtriones, mimi faciunt, ac paraſiti) rationem potiùs boni, quàm mali ſortiri debet, vel ex eo quòd agilitatem, & robur bona corporis præſupponat, vel ex eo quòd animi curas relaxando, & corporis exercendo membra, ad ſanitatem non parum conferat, vnde etiam rationem ſumit boni iuxta Ariſtotelis placitum: atque ita in Dei honorem geſtientem præ lætitia Regem, ac Propheram Deo dilectum Dauid coram arca fœderis ſaltaſſe legimus. Hodie verò ſaltationem exerceri in Regum, ac Principum virorum curiis, vel ab ipſis ſummis Principibus videmus in feſtiuis illis conuentibus, qui noctu in ipſorum palatiis fiunt, *Feſtines*, aut *Saraos*, vulgò dicimus, vbi non theatrales, aut vulgares, quales facere fidicinæ mulierculæ ſolent, ſed decoræ, atque honeſtæ exercentur ſaltationes; duo enim nobis diuerſa ſaltationis genera. Alterum quod pedum motu duntaxat ad tibiarum, vel fidium cantum fit: alterum verò quod pedum, ac digitorum pulſatione ad ſcabillorum, crumatúmque & fidium etiam ſonum:

ProMurena

Magnor. Moral. l. 1. cap. 3.

Reg. 2. c. 7.

ſonum: illud, *Danzar*, hoc verò *Bailar* vulgus vocat Hiſpanorum: hoc parum honeſtum, ac Theatrale, & vulgare plane, decorum illud, ac nobilitati conueniens; Vtriuſque variæ ſpecies nobis, ſicut & antiquis, apud quos plurimi fuêre ſaltationis modi, quos, quia recenſere longum eſſet, qui ſcire velit, ex antiquis Athenæum legat, & Lucianum, præter Xenophontem, & Plutarchum; ex recentioribus verò Cæſarem Scaligerũ, hi enim hac de re ad ſatietaté vſque: tot enim ferme fuêre modi quot gentes, quot populi, nam & ſuos etiam noſtra habuit Hiſpania, militarem Luſitani, quem ſaltantes prælium inibant, Diodoro teſte, non militarem Gaditani, cuiuis Feſceninorum, aut Lupercalium obſcœnitate non diſſimilem. Fiebat enim (puder dicere, & non pudet proh dolor! hodie noſtros exercere, ad hodiernum namque diem, vt inferiùs dicetur, perdurat hæc ſaltatio) frequenti lumborum in vtrunque latus agitatione, ac motu, & corporis demiſſione. Martialis.

Nec de Gadibus improbis puellæ 1.5.Epigra.
Vibrabunt ſine fine prurientes 79.
Laſciuos docili tremore lumbos.

Cantante choro. Iuuenalis.

Forſitan expectes vt Gaditana canoro 1.4.Satyr. 11.
Incipiat prurire choro, plauſuq; probatæ
Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis.

Nam & proprium habebat cantum. Martialis.

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat. 1.3.Epig. 62.

Fiebat etiam ad muſici cuiuſdam inſtrumenti ſonum

num noſtris peculiaris. Idem Martialis.

l.6.Epig.71. *Edere laſciuos ad Bœtica crumata geſtus,*
Et Gaditanis ludere docta modis.

Crumata verò (Græcum nomen) Κρόμμα enim idem quod pulſatio, ſonus, à verbo Κρόω, id eſt, pulſo, vt Ioſepho Scaligero placet, reſtulæ ſunt, & officula, vſúmque crotali præſtant, Hiſpanorum tunc temporis quin & hodie propria, *Tetoleta* dicimus, quod confirmat ille Iuuenalis autoritate, qui quidem ſuprà dictis verſibus ſubiungit paulo pòſt.

—audiat ille
Teſtarum crepitus cum verbis nudum olido ſtans
Fornice mancipium, quibus abſtinet.

Crumata putant alij inſtrumentum illud ſignificare quod æreis quibuſdam conſtat crepitaculis in orbem diſpoſitis, atque ſe inuicem contingentibus non iniucundum reddens ſonum, quod frequentiſſimum hodie apud nos, *Sonaias*, aut *Panderetes* vulgò dicitur; hoc videtur apertè confirmaſſe Papinius tinnulas tralatitiè vocans Gades.

l.Syluar.1. *Illic cymbala, tinnulæq; Gades.*

tinnullum enim propriè dici de metallis nullus ignorat; ni mauis inſtrumentum eſſe aliud *Pandero*, aut *adufe* Hiſpanis dictum, tympani inſtar corio vndequaque contectum, quadrata figura, æreis quibuſdã clauis globulis perforatis, ac minutis plenis lapillis, maximè ſonoris refertum, *Caſcabeles*, globulos illos noſtri vocant, *Scabella*, antiqui (quod à nemine adhuc notatum ſcio) Cicero pro Cœlio; *Mimigo etiam eſt exitus, non fabulæ:*

bula: in quo cùm clauſula non inuenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur. Suetonius in Caligula. *Deinde repente magno tibiarum, & ſcabellorum crepitu cum palla tunicaq; talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit.* Cap. 54. Scabilla verò, nimendum eſt in Codice, vocauit Arnobius, quod ab Scaligero filio animaduerſum iam eſt. *etiámne ereis tinnitibus & quaſſationibus cymbalorum? etiámne tympaniis? etiámne ſymphoniis? quid efficiunt crepitus ſcabillorum?* l. 7 aduerſus Gentes. Huic ergo muſico inſtrumento & tinnuli etiam conuenit nomen: Græcum enim cruma tribus hiſce generibus conuenire dubium non eſt, quin & aliis multis, pulſantur enim huiuſcemodi omnia; verùm crumatis peculiare nomen, de quo Martialis duobus his poſterioribus muſicis inſtrumentis quadrare potiùs quàm primo, parum dubito. ad horum enim ſonum vel hodie multi ſaltant ex noſtris, ad ſonitum verò teſtularum præter baiulos, & infimæ ſortis homines nullus. Meritò tamen vt obſcœnum malè audiiſſe Gaditanum hunc ſaltandi modum probatum iam eſt, quandoquidem & Gades ipſæ improbæ non alia de cauſa dictæ ſunt, vt vidimus ſuperiùs, & ſaltationis huius magiſter improbus etiam Martiali.

Quod de Gadibus improbus magiſter. l. 1. Epig. 42.

quanuis ipſemet Poëta iocoſas alibi Gades hac de cauſa honeſtiori vocet nomine.

Gaudent iocoſæ Canio ſuo Gades. l. 1. Epig 62.

Verùm vt prona eſt in malum natura noſtra, ſaltationem hanc (quæ vel ipſis improbis, ac laſciuientibus Poëtis improba, & nimium viſa eſt laſ-

ciua) intermissam iamdiu hisce diebus nescio quo nostro malo ab inferis euocauit, atque lubenti animo amplexum est nostrum vulgus, eámque iam, *Zarabanda*, iam *Chacona*, quæ parum differunt inter se, nisi quòd inhonestior hæc, vocituit : Vnam certè, & eandem esse hanc cum antiqua Gaditana, motus saltantium, atque instrumenta demonstrant, quam, licèt suo non prodiisset in lucem tempore, bene diuinauit Cæsar Scaliger cõseruari adhuc apud Hispanos. Hanç certè à Christiana Republica procul amandandam vel ex Ethnicorum mente affirmare non dubitabo, quandoquidem languentis Veneris incitamentum illam (vt vidimus) dixit Iuuenalis, & certè non alia de causa saltantem Venerem induxit, Satyros verò Diuinus Poëta.

Asini aurei l. 6.

Eclog. 5. *Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.*

Satyrorum enim genus petulantissimum. Ouidius.

Fastor. 1. *Venit & in Venerem Satyrorum prona iuuentus.*

Germana Tibulli lectio tribus in locis à Iosephi Scaligeri calumnia veriùs, quàm castigatione vindicata.

Cap. XXX.

IOSEPHI Scaligeri castigationes in Tibullum, si nunc esset animus cribare, plus fortasse lolij, & palearū, quàm tritici secernerem, sed quia nunc otiū non suppetit, ea, quæ inter legendum adnotaui, referam breuiter. In Élegia ergo primi libri 7. ad Massalam ita cecinit Tibullus.

Carnuti & flaui cœrula lympha Liger.

In verbo *Carnuti*, discrepant Codices, alij enim, *Carmoti*, alij, *Carnoti*, cùm tamen ex Cæsare, & Geographis omnibus, *Carnuti*, sit legendum: Cætera versus verba agnoscunt omnes, vnicum excipias Iosephum Scaligerum hic.

Carnuti & fluuij cœrula lympha Liger.

legendum dicit, nullius membranæ, aut vetusti exemplaris ope: id friuolis quibusdam firmare nititur exemplis. Sed (bone Deus) quantam faciniuriam Tibullo, cuius versus trium præcipuè librorum, vtpote cultissimi Poëtæ, si vllius vnquam, auribus mulcendis maximè accommodari sunt: at non ita hic castigatus Scaligeri, stagnat enim potiùs, quàm currit in verbo *Fluuij*.

Neque aurium timuit ille iudicium, quod superbissimum, & commune stultis, ac sapientibus scisse debuerat Cicero. *Graues sententiæ inconditis verbis elatæ offendunt aures, quarum est iudicium superbissimum.* & alibi. *Vnum est enim & simplex aurium iudicium, & promiscuè, & communiter stultis, ac sapientibus à natura datum.* Quorsum ergo illerubiginosum prætulit auro ferrum? Verùm excusatione dignus est in media viuens Gallia, & humanioribus literis deditus homo: non enim meminerat vidisse se, aut legisse Gallos vt plurimùm Flauos esse; atque ita *Carnutis* (hodie illorum regio, Chartraine, quam Liger Fluuius, nunc Loire, præterfluit) optimè conuenire flauorum epitheton. Antiquis enim temporibus Galli & natura, & arte flaui fuerunt. De eis ita Diodorus. *Comas quamuis habeant natura rufas, studio tamen augent naturæ colorem.* Plinius *Gallorum hoc inuentum rutilandis capillis ex seuo, & cinere.* Ammianus. *Celsioris staturæ, & candidi penè Galli sunt omnes, & rutili, luminumq; torunitate terribiles, auidi iurgiorum, & sublatiùs insolescentes*, Rutilus porrò, flauus, & rufus idem penè color. A. Gellius alibi à nobis citatus. *Non enim hæc sunt sola vocabula rufum colorem demonstrantia, quæ tu modò dixisti, rufus, & ruber, sed alia quoque habemus plura, quàm quæ dicta abs te Græca sunt; fuluus enim, & flauus, & rubidus, & Phœniceus & rutilus, & luteus, & spadix appellationes sunt rufi coloris, aut acuentes eum, quasi incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes, aut virenti sensim albo illuminantes.* Quin & flauos etiam dixit Gallos Claudianus.

De Orat.

Pro Fŏteio.

Bibliot. l. 6. c. 9.

l. 28 cap. 12.

lib. 15.

L. 2. cap. 26.

—*tum*

— rum flaua repexo
Gallia crine ferox.

Dc laud. Stilcon

Ecce ergo tibi flauos proculdubio dicendos, *Carnutos*, vt pote Gallos, quales sunt omnes penè in Septentrionem vergentes populi, ac proinde ab Antiquis ita dicti. Manilius.

Flaua per ingentes surgit Germania partus,

Astronomic. 4.

Lucanus.

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

lib. 2.

Festus Auienus.

Flauaq; cæsariem Germania porrigit ora.

In descriptione orbis. l. 2. cap. 78.

cuius rei rationem reddit Plinius, id cœlo tribuens. *Namque Æthiopas vicini syderis vapore torreri, adustisq; simile gigni barba, & capillo vibrato non est dubium; & aduersa plaga mundi atque glaciali candida cute esse genies, flauis promissas crinibus, truces verò ex cœli rigore has & illas mobilitates habentes.* Galliam porrò Septentrionalem censeri regionem, occasum licèt spectet, qua Hispaniæ annectitur, in confesso est apud omnes. Diodorus. *Natio vt plurimùm ad Arctum sita.* Cæsar. *Quòd Gallia sub Septentrionibus, vt antè dictum est, posita est.* Lucanus noster de Gallis agens (simodò quicquam ille apud Scaligerum valet.)

l. Bibliot. 6.

—Certè populi quos despicit Arctos.

l. Pharsal 1. Eod. l.

& alibi.

Tunc inter Rhenum populos Alpesq; iacentes.
Finibus Arctois.

De quo tamen latiùs Strabo. Sed quid huic defendendæ immoror lectioni, quam ipse olim Scaliger, quando non ita læua illi mens, plane probauit in annotationibus nimirum in Catale-

lib. 4.

cta? nihil enim ibi in hac Elegia præter Tarbella Pyrene, repondendum censuit. Rursus in eadem Elegia ipsemet Tibullus.

Quantus & ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas.

Arat, pro *Alat*, plurimi habent codices: hanc lectionem tueri contendit Scaliger, credo vt Paradoxos videatur, triplicémque hic figuram committi à Poëta, duas nimirum synecdoches, & vná hypallagen. Gerionem dicas, ni Chimeram malis. Taurus (inquit) Synedochicos pro ipsis incolis, Cilicas altera Synedoche, pro Cilicia. (Metonymiam dicere debuisset, ita enim figuram hanc vocat Quintilianus, Hypallagé Cicero; Synecdochem præter Scaligerum nullus.) Hypallagen demum esse ait, *Taurus arat Cilicas*, pro Cilices arant Taurum; nónne grandis error legi velle, & vt intonsi Cilices quantum ætherio contingentem vertice nubes frigidum arant Taurum? Sed ecce tibi nouissimus error peior priore, exemplo id confirmat Vergiliano.

l.8.cap.6. In Bruto.

Talem dives arat Capua.

Georgic 3.

Rem profectò acu tetigit iam. Sed quis, quæso bone vir, dubitabit Capuam ibi pro Capuanis metonymicè sumi? quemadmodum.

Æneid.2.

Vltrò Asiam magno Pelopea ad mœnia bello
Venturam.

Id est gentes Asiaticas, & non regionem ipsam. & in illo.

Æneid.6.

—illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Id est Romani, quod hodie etiam frequentissimum.

num. Cæterùm non hysteron proteron in exemplis, non ordinis inuersio: exemplum igitur extra calcem. Neque obstat Scaligeri, vt Grammaticæ obiectio, non conuenire dicentis subiunctiuum, *alat*, nullũ enim ego inconueniens reperio, ac si fortè in Grammatica foret aliquis error, nullius esset momenti, nam (vt multis probat A. Gellius) maior habita est ab elegantissimis scriptoribus cura soni vocum, atque verborum iucundioris, quàm regularum Grammaticæ disciplinæ. at prætermissis aliis suauior est vox *alat*, quàm *arat*; Martiano enim autore *L.* lingua, palatóque dulcescit; *R.* verò spiritum lingua crispante corraditur. Iure igitur miratur Muretus inuentos fuisse, qui scripturam defenderent, in qua *arat* legeretur, hypallagénque dicerent esse. Vlteriùs.

l. 13. cap. 19.

lib 3.

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Omnes agnoscunt Codices in hac eadem Elegia, Scaliger nescio cuius ope, *suo*, pro *Syro*, legendum dicit; quemadmodum enim nec Celta Gallus, neque Romanus Latius, ita nec Syrus (inquit) Palæstinus dicendus. Solus cucurrit Scaliger, sua omnis lis erit: Palæstinum Syrum esse fatendum est (Palæstina enim Syriæ, quæ latissima olim, plurimísque distincta nominibus, pars procul dubio, testibus Ptolemæo, Mela, Plinio, Martiano, Sexto Victore, & aliis) Syríque sacras & inuiolatas columbas, vt Xenophon, Diodorus, & Lucianus tradidêre, ex eo nimirum quòd Semiramim in hanc mutatam auem fabulosè credidérint, ita referente Diodoro, quod & significare voluit Ouidius.

Pt. Tabula Asiæ 4. Mel. l. 1. c. 11. Plin. l. 5. c. 12. Mart. l. 6. Vict. in Vespasiano. Xenoph. l. 1. de Cyri minoris expeditione. Dio. l. 3. c. 2. Lucian. in Ioue Tragœdo. Diod. vbi suprà.

Metam.l.4. *An magis vt sumptis illius filia pennis,*
Extremos altis in turribus egerit annos?

Verùm (si bene memini bone Scaliger) iniuriarum tecum iure agere poterit prædictus Tibulli versus, cùm illam in eo exprobres loquendi formulam, quam in aliis autoribus vel laudes, vel non improbes necesse est. Liuius. *Cum hoc exercitu Apuanis Liguribus vt bellum inferrent.* & inferiùs. *In eum cùm traducere Ligures Apuanos vellent.* Ouidius.

l.hist.40.

Trist.5. *Dardana quot Graio Troia sub hoste tulit.*

l.Geog.13. Dardania verò, & Dardanus Troadis prouincia, & ciuitas Straboni. Florus. *Galli Senones gens natura ferox*; Idem. *Quippe iam Ligures, iam Insubres Galli.* & idē. *Gallis Insubribus, & his accolis Alpium.* Festus Pompeius. *Senonas Gallos Verrius ait existimari appellari.* Plinius Iunior. *Mox cùm Galli Senones relictis ob sterilitatem agris suis Clusium Hetruriæ obsiderent.* Quòd si modicæ in Latina lingua autoritatis prædicti videantur autores, ecce summus in omnibus vir Cæsar. *Ea quæ secuta est hyeme, qui fuit annus Cn. Pompeio, M. Crasso Cos. Vsipetes Germani, & item Tenchtheri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt.* Videbere ergo iam ex his ô Scaliger Pattæcione calumniosior. Sed cyatho mare metietur, qui tuas enumerabit calumnias.

De geſtis Rom.l 1.c. 18.

Idem l.2.c. 3.& 4.

De viris Illuſtribus.

De bello Gallico.l.6.

De Choaspis fluminis aqua. Festus Auienus & Dionysius Afer reprehensi. Tibullus duobus in locis, in vnico Ausonius explicati.

CAPVT XXXI.

DE laudatissima Choaspis fluminis aqua multa quidem autores, ex quibus visum est referre aliqua: licèt an priùs, aut potiùs delicatissimas illius aquas laudem, an Medorum, Persarum, ac Parthorum Regum nimias vituperem delicias dubius sim. Sed tamen hæc de Choaspe. Oritur fluuius hic (teste Aristotele) ex Paropamisso maximo Asiæ monte, qui iuxta Plinium, & Arrianũ idem cum Caucaso est, (quanuis perperam in aliquibus Aristotelis Codicibus pro *Paropamisso*, *Parnassus* legatur, ni fortè legendum *Parachoatro*, huius enim nominis mons in Parthia Mediæ proximus Straboni, & Ptolemæo: in Asia enim nihil minus, quàm Parnassus mons) siue ab Vxiis, qui (vt Strabo) Mediæ sunt populi; Mediam præterlabitur, ac Susianam, quæ in sacris literis Arphassad Ariæ Montano, nec non & Persiam, in Tigrímque demum influit, vbi nomen perdit: ita Herodotus, Strabo, Plinius, Solinus, Ammianus, & Isidorus. Meminisse etiam Choaspis

l. 1. Meteorol. sum. 4. c. 1.
l. 6. c. 20. De gestis Alex. l. 5. Strab. lib. Geog. 11. Ptol. Tabula Asiæ 5. Strab. l. 15. Herod. l. 1. Strab. l. 15. Pli. l. 6. c. 27. Solin. c. 50. Amm. l. 23. Isid. l. Orig. 14. c 21.

Ptolemæũ in Mediæ descriptione sub Eulæi nomine putat Ortelius in suo Thesauro, sed fallitur; ille enim Eulæum in Tabula Asiæ quinta nó in Tigrim quemadmodum Choaspes, sed in sinũ Persicum defluere satis ostendit, non longè à paruulo Sino, quem ille senosum vocat; Quòd si Choaspis fluminis quod in Cophem influat, aliquando meminit Strabo, aliud esse ab hoc nostro intelligendum est prope Indiam, ac Nyssam vrbem, cuius etiam Curtius mentionem fecit: Vnde miror certè Festum Auienum, ac Dionysium Afrum longè diuersa à prædictis de Choaspe protulisse, ille eum in Indicum pelagus defluere dicens, hic verò ex Indo fonte oriri, cùm procul ab India oriri Choaspem hunc, & Tigridis aquis immixtum ab Euphrate in sinum Persicũ deferri certò constet. Sed tamen sic Auienus.

l. etiam 15.

De gestis Alex. l. 9.

In Orbis terræ descr.

Plurima prætereà percurrunt flumina terram
Persidis, & rigidas curuant lambentia ripas,
Arua secat Cyrus, perrumpit rura Choaspes,
Indica prouoluens procul æquora.

In sua Periegesi.

Sic verò Dionysius à Prisciano Latinus factus.

Quique tenent populi diuisos Persidis agros,
Amnibus hæc multis recreatur, & vbere pingui,
Hinc Coros immensus profunditur, inde Choaspes
Fonte cadens Indo, qui stringit gurgite Susas.

nisi forte ex fonte aliquo, Indo nuncupato, orii somniarint hi autores, de quo ne per somnium quidẽ Antiqui. Huius igitur Choaspis aqua adeò erat suauis, dulcis, leuis, ac potui accommodata, vt Medorum, Persarum, ac Parthorum Reges ex ea duntaxat bibere, secúmque quocunque irent,

irent, in eum vſum ferre ſolerent, optimas diuerſorum fontium aquas aſpernati. Herodotus de Cyro exercitum in Babylonem ducente. *Portatur item aqua ex flumine Choaſpe Suſa præterfluente, quo vno ex omnibus fluminibus Rex potat. Cuius Choaſpis aquam decoctam, & in argentea vaſa diffuſam ferentes permultæ carruca quatuor rotarum mulis trahentibus aſſiduè comitantur quocunque ille proficiſcitur.* Athenæus. *Inducitur ab Herodoto libro primo Perſarum Rex ex Choaſpe apud Suſam fluente aquam bibens: ex quo etiam ſolus bibit, quem plurimi currus quatuor rotarum à mulis tracti huiuſmodi aquam ferentes in vaſis argenteis ſequuntur. Declarat Cteſias Cnidius quomodo aqua hæc Regia ſequebatur, & quomodo in vaſis poſita afferebatur, eam & leuiſſimam eſſe inquiens & ſuauiſſimam.* Ex Latinis Plinius. *Parthorum Reges ex Choaſpe, & Euleo tantùm bibunt, & ea quamuis in longinqua comitantur illos.* Plinij aſſecla Solinus de Cydno agẽs. *Hunc Cydnũ alij præcipitari Tauro, alij deriuari ex alueo Choaſpis tradiderunt. Qui Choaſpes ita dulcis eſt, vt Perſici Reges quandiu intra ripas Perſidis fuit, ſoli ſibi ex eo pocula vendicarint. & cùm eundum foret peregrè, aquas eius ſecum vectitent; ex illo igitur parente Cydnus miram trahit ſuauitatem.* Iſidorus noſter. *Choaſpis fluuius Perſarum vocatus eorum lingua, quòd miram aquæ dulcidinem habeat: adeò vt Perſici reges quamdiu inter ripas Perſidis fuerunt, ſibi ex eo pocula vendicarint.* Hæc ille. ex quibus intelligendus apertè venit Tibulli locus, dum cultiſſimus ait Poëta.

Nec qua vel Nilus, vel Regia lympha Choaſtes

l. 1. ſiue in Clio.

l. 2. cap. 2.

l. 31. cap. 3.

cap. 51.

Adde Clementem Alexandrinũ Pædagogi. l. 2. l. Orig. 13. c. 21.

lib. 4

Pro

Profluit.

nimirum quia Regum duntaxat potui erat destinata, (quamuis malè in aliquibus Tibulli codicibus etiam à doctissimo viro Mureto recognitis pro *Choaspe, Diaspes* legatur, nescio quo iure, sicut & in aliis *Hidaspes*) cuius etiam rei mentionē fecit Ausonius de Burdigalensis vrbis amne agens.

In claris vrbibus.

Hunc cuperes Rex Mede tuis coniungere castris,
Flumina consumpto cùm defecêre meatu.
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbes,
Vnum per cunctas solitus portare Choaspem.

Vbi animaduertendum obiter est Medi Regis nomine Cyrum intelligi debere, & non Xerxem Persam, flumina licèt Græciæ dicatur consumpsisse, Cyrus nanque ex Mandane Meda Astyagis Medorum Regis filia, & Cambyse Persa natus, vnde semiasinus, aut mulus dictus est. Hic verò flumina consumpsit, cùm enim Babylonem peteret, Gyndem rapidissimum amnem, eo quòd quendam Soli sacrum equum vorticibus absorpsisset suis, ab exercitu per totam æstatem laborare iusso, in trecentos & sexaginta riuulos diuidi fecit, sícque eius penè consumpsit aquas. Rem narrat Herodotus; Et hinc etiam intelligitur alter Tibulli locus superiori connexus.

in Clio, seu l. 1.

Eodem. l. 4. ——*aut rapidus Cyri dementia Gyndes.*

Bonitatis porrò huius aquæ Choaspis eā esse causam puto, quòd per Achatis lapidis venas fluat, cuius quidem gemmę maxima esse miracula, maximámque contra venena vim, latè ostendit Plinius. Dionysius Afer de Choaspe agens.

lib. 37. c. 10.

In

In cuius ripis præclarus fulget Achates. In Periegesi.

Festus Auienus etiam de Choaspe.

——cuius ad undam In descript. Orbis.
Incola flauentem studio sectatur Achatem.
Nam cùm brumali cecidêrunt sydere nimbi,
Imbribus & cœlo fusis furit auctior amnis,
Hos lapides latè flumen trahit.

Achatem porrò eandem esse existimo cũ Choaspite viridi, & fulgoris aurei gemma, à flumine (vt Plinius vult) ita dicta. Nam (eodem teste) Achatem viridem plurimis in locis reperiri certò scimus. Vbi suprà. Vbi suprà.

Quid sit Lunæ silentium. Vergilij locus explicatus.

CAPVT XXXII.

QVid sit luna silens, seu lunę silentium, multis quidem satis constare apud antiquos, mihi verò (bona illorum pace dixerim) vix, aut ne vix quidem videtur. Et certè Marcus Cato grauissimus æquè ac vetustissimus autor sic de stercore agens. *Euehito* (inquit) *luna silenti.* & mox, *Ficos, oleas, mala, pyra, vites inseri oportet luna silenti post meridiẽ.* Denique. *Prata primo vere stercorato luna silenti.* Quibus in locis, licèt quid lunæ silentis nomine intelligatur, ipse non explicet, certum tamẽ est hoc nomine

l. de Re Rustica c. 29. c. 40. & 50.

nomine significare ipsum voluisse lunæ coitum (coniunctionem vulgò dicimus) ex iis, quæ tali tempore fieri debere certò scimus: quemadmodum & Columella, *Silente* (ait) *luna fabam vellito ante lucem.* Apertius affirmauit hoc Plinius, dum de roboribus cædendis agens hæc subdit; *Inter omnes verò conuenit vtilissimè in coitu eius sterni, quẽ diem alij interlunium, alij silentis lunæ appellant.* & idem. *Silente luna noctu, aut si interdiu plena.* Itaque recentiores communiter ferè lunæ silentium idem esse quod interlunium, aut lunæ coitum ex prædictis locis asseuerant. Sic Rhodiginus, sic Calcagninus, sic Robertus Stephanus, antè omnes verò politissimæ literaturæ vir Politianus, qui illud Vergilij.

lib. 2 de Re rust. c. 10.

l. 16. ca. 30.

l. 18. c. 31.

lect Antiq. l. 20. c. 5.

Cal. Epist. quæst. l. 1.

R. St. In suo Thesaur.

——— *Tacitæ per amica silentia lunæ.*

Pol. Miscel. c. 100.

hoc interpretarur modo. Verùm contrarium videtur docere Plutarchus in quæstionibus Centuriatis Romanis (saltem secundùm Cruserij trãslationem, Xilander enim omnino hoc tacuit, neque quis rectiùs verterit ob Græcorum Codicũ inopiam potui iudicare.) Is enim de lunæ varietatibus agens hæc inter alia. *Primam, cùm occultatur coitu cum Sole: Secundam, quando effugit Solis radios, ac primùm ad Occidentem nitescit. Tertiam, pleno orbe eius in plenilunio, nominant silentem lunã, & interlunium.* Hæc ille, nisi Gruserius & vim, & verba intulit textui; & hoc etiam forrè voluit Horatianus interpres Acron, satis à Politiano derisus, dum ad enucleandum illum Horatij locũ,

Æneid. 2.

l. Carm. 2.

——— *Dum Capitolium*
Scandet cum tacita Virgine Pontifex.

Ver

Vergiliana vtitur autoritate, tacitámque ac silentem lunam pro clara, ac splendente accipiendam putat. Sed quicquid sit de Acrone, nostrum hoc in certamine interponere iudicium, non ingratum fore humaniorum literarū studiosis confidimus: itaque primum de luna silenti in communi, peculiari deinde examine de Vergiliano agemus loco. Et significari silentis Lunæ vocabulo lunæ coitum, nulli dubium esse debet in doctrina eorum, qui tractationem de re rustica sunt aggressi: id enim satis perspicuè ostendūt prædictæ Catonis, Columellæ, ac Plinij auroritates, & hoc eleganti quadam tralatione ab auribus ad oculos, (vt bene in hac parte ait Politianus) vt nimirum tunc dicatur silere, cùm nullum oculis offerat lumen. Quod verò attinet ad Vergiliani interpretationem loci, valere iussa Seruij Philologia, vt parum ad rem de qua agimus, pertinēte, Vergilium dico silentis lunæ, seu silentij lunæ nomine, contrà quàm alij, plenam lunam intelligere voluisse: & hoc duplici de causa, & vtraque meo iudicio validissima. Primò, quia dici nequit saltem in Vergilij doctrina accidisse Troiæ casum in lunæ coitu; qua enim nocte Troia capta est, lucebat luna, ex ipso Vergilio,

—*Oblati per lunam Hypanisq́, Dymásque.*

ergo luna non erat in coitu, dum enim in coitu est, nullum emittere potest lumen. Neque est quòd dicas cum Politiano, fuisse tunc proximam coitui, sícque cùm à Tenedo profecti sunt Danai, nullum emisisse lumen, deinde verò emisisse. Quod priùs retigerat Donatus, non enim hoc Eodem l. 2.

admit

admittendum, cùm quia duabus, aut tribus noctibus circa coitum nullo modo ipsa lucet luna: tum quia aliud est, lunam esse decrescentem, aliud esse in coitu, quemadmodum & aliud est esse crescentem, aliud plenam: non igitur dicendum fuisse in coitu. Fuisse verò in plenilunio validè hac probatur ratione, qua secundò, & vltimò nostra corroboratur sententia. Capta Troia est iuxta communem Græcorum, & Latinorum sententiam in plenilunio: ergo iuxta illam Vergilius silentij lunaris nomine plenilunium intellexit. Et vt Græcos primùm audiamus, ita Clemens Alexandrinus hac de re. *Octauodecimo autem anno regni Agamemnonis captum est Ilium regnantis Demophontis Thesei filij anno primo, duodecimo mensis Thargelionis, vt ait Dionysius Argiuus. Ægias autem, & Dercylus in tertio, octauo mensis Panemi desinentis. Helanicus enim dicit duodecimo mense Thargelionis. & nonnulli eorum, qui Attica scripserunt, octauo desinentis postremo anno regnante Menestheo in plenilunio. Noctis quidem erat medium, inquit is, qui paruam fecit Iliadem, & splendebat lucida luna. Alij autem eodem die Scirrophorionis.* Hæc ille ex plurimis autoribus, quorum omnium opiniones in eo conueniunt, vt in plenilunio capta Troia sit, licèt in mensibus discrepent. cùm alij mense Thargelione (qui ex Rhodigino, Februario secundùm aliquos, secundùm alios verò Aprili respondet) captam dicant. Alij verò mense Panemo (qui iuxta Alexandrum ab Alexandro Iulius nobis est.) Alij demum Scirrophorione, qui Latinis Martius. Quam quidem Græcorum

l. 1. Stromatum.

Antiq. lect. l. 17. c. 30.

Dier. Gen. l. 3. c. 24.

rum ſententiam de Ilij caſu, & ruina in plenilunio amplexi etiam ſunt (vt diximus) Latini Scriptores. Petronius Arbiter Troianum deſcribens excidium ſic ait;

Iam plena Phœbe candidum extulerat iubar, In Satyric.
Minora ducens aſtra radianti face:
Cùm inter ſepultos Priamidas nocte, & mero
Danai relaxant clauſtra, & effundunt viros, &c.

Nemini itaque dubium eſſe poteſt, quin eandem communem opinionem ſequutus fuerit Vergilius. Quare autem plenam lunam ſilentem ille appellauerit, ac ſi qui alij ipſum imitati ſunt, ea mihi videtur cauſa, quòd cum pleno orbe refulget luna, ſilentes, ac velut ſtupefactos præ admiratione homines reddat, quippe quorum oculos, atque ora ſua pulchritudine ad ſe alliciat.

Somni parentes qui fuerint; Senecæ in Hercule Furente locus aduerſus aliorum ſententiam congruè declaratus.

CAP. XXXIII.

SOmnum Nocte, & Erebo natum Cicero in libris de Natura Deorum autor eſt. *Quòd ſi* (inquit) *ita eſt, Cœli quoque parentes Dij habendi ſunt Æther, & Dies, eorumque fratres, & ſorores, qui à genealogiis antiquis ſic nominãtur, Amor, Dolus, Metus, Labor, Inuidentia, Fatũ,* lib. 3.

Senectus, Mors, Tenebræ, Miseria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcæ, Hesperides, Somnia, quos omnes Erebo, & Nocte natos ferunt. Ioannes Boccacius eosdem somno parétes tribuit; idem fecit & Burcardus Pylades; Hesiodus verò in Theogonia Nocte procreatum absque parente Somnum dixit.

In Deorum Genealog. In sua Theogonia.

lib. 15.

Nox præterea peperit odiosum Fatum, & Parcam atram,
Et Mortem, peperit etiam Somnum, peperit verò agmen somniorum.
Non vlli condormiens Dea peperit Nox obscura.

Hesiodum forsitan secuti plures Noctis filium duntaxat Somnum dixêre: Silius.

Nox Somni genitrix mortalia pectora curis
Purgarat.

In Lyricis. Ex recentioribus Pontanus.

Nox parit Somnos, hominum quietem.

Ioannes de la Casa Etrusco Idiomate & celebris, & celebrandus semper Poëta.

O sonno, o de la queta, humida, ombrosa
Notte placido figlio.

Iliad. l. 14. Quod etiam planè voluerunt quotquot Mortis fratrem Somnum appellarunt. Homerus.

Tum mortis fratrem Somnum conuenit & ipsa.

In hymno in Somuū. Orpheus.

Qui mortis formam inducens animalia seruas;
Non germana tibi cum lethe pallida mors est.

lib. 6. Atque huc spectant Cynici Diogenis, & Gorgiæ Leontini dicta; *Ille enim* (teste Laërtio,) *lethali Somno experrectus cùm esset, ac Medicus interrogaret quidnam ageret? rectè, inquit, habeo, nam frater*

ter fratrem amplectitur. Gorgias verò (referente Stobæo) *iam vicinus morti viribus deficiens cùm sensim in Somnum delapsus iaceret, à familiaribus quid ageret,* interrogatus. *Iam Somnus incipit me fratri suo tradere*, respondit. Vnde Diuinus noster vates.

Tum consanguineus Lethi sopor.

Elegantissimus etiam Poëta Franciscus Petrarcha.

Il Sonno è veramente qual huom dice
Parente de la morte.

Et demum hanc Somni progeniem vno ore fatentur omnes, vnico excepto Varrone, qui iuxta Festi traditionem, non Erebo, & Nocte Sõnum natum, sed noctem ipsam Erebo natam dixit.

Erebo creata fuscis crinibus Nox te inuoco.

Euripides certè in Oreste ipsam duntaxat deprecatur, vt ex Erebo veniat.

Verenda, Verenda Nox,
Quæ das Somnia miseris mortalibus,
Ex Erebo veni, cede, cede, volucris.

Naso etiam.

Et Noctem, noctisq; Deos Erebóque Chaóque
Conuocat. Metam. 14.

Quod ideo illos dixisse certum est, quia in tenebricosis locis Noctem degere opus erat, qualia finxerunt ij, qui Noctis domum descripsere Ouidius, & Statius; Vnde & Vergilius Charõtem sic loquentem inducit. Æneid. 6.

Vmbrarum hic locus est, Somni, Noctisque soporæ.

Seneca tamen noster in Hercule ferente Somnũ

Astrææ matris genus vocat.

——Tuq; ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucre matris genus Astrææ.

A. C. Volucer. Quæ quidem verba omnibus ipsius interpretibus magnum facessunt negotium, magnamque hallucinandi, ne dicam cœcutiendi præbent occasionem, dum nescio quæ de Iustitiæ, quã Astręæ nomine intelligunt, Somníque effectis, commniscuntur; Ego tamen nihil aliud voluisse Poëtã intelligere Astręæ nomine, nisi Noctem ipsam, satis mihi persuasum habeo, & quia nullo modo Astræam, cùm pro Iustitia sumitur, habuisse filios ex Hesiodo constat, & Ouidio, qui sic;

Metam. I. *——& virgo cæde madentes*
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

In Arat. Phænom. Germanicus Cæsar;

Deseruit properè terras iustissima virgo.

& quia Seneca ipse Somnum Mortis fratrem ibi facit,

Frater duræ languide Mortis.

Certum autem est ex matre Somnum Mortis fratrem fuisse, vt ex plurimis autoribus superiùs diximus. Sed iam causam cur Astræam Noctem cognominarit, inquiramus. Ex pluribus certè capitibus tale cognomen oriri potuit, vel enim ab Astræis fratribus, quo nomine Astræi filij venti ipsius Noctis ex sorore abnepotes cognominati

Meram. 14. sunt. Ouidius.

Aëraque & tumidum subitis concursibus æquor
Astræi turbant, & eunt in prælia fratres,

quia

quia nimirum Noctis tempore maximè vigeant venti; vel quia Astris sit Nox ornata. Claudianus. 2. de raptu Proserp.

Stellanteis Nox picta sinus.

Fulgentius in Mythologicis. lib. 1.

Tum Nox stellato mundum circumlita peplo,
Cœrula rorigenis pigrescere iusserat alis.

Vel quia ipsarum sit moderatrix. Ouidius;

——Nox cœlum sparserat astris. Metam. 11.

Seneca in Agamemnone.

Nox prima cœlum sparserat stellis.

Vel quia Astrorum alumna habita sit Nox à Poëtis; Apud Euripidem certè sic Electra loquitur. Actu 1.

Nox aureorum furua alumna syderum.

Vel demum quia Astrorum existimata fuerit mater. Tibullus. 1. Eleg. 2.

Ludite: iam Nox iungit equos, currúmque sequuntur
Matris lasciuo sydera fulua choro.

Quò respexisse videtur Theocritus, dum ait. Eidyll. 2.

Salue luna, aliæ saluete & vos mihi stellæ,
Post axem taciræ subeuntia sydera nocti.

Quin & Sophocles in Trachiniis syderum regis, id est Solis ipsam parentem facit.

Quem velox Nox destructa
Parit, sopítque ardentem
Solem precor.

Nec mirum, cùm ab Orpheo in Deorum hymnis omnium parens dicatur.

Te canimus Nox alma parẽs hominúmque Deúmque

Cunctorum Alma parens, quam Cyprida dicimus esse.

Noster igitur Seneca vel vnius ex his rationibus, vel omnium simul intuitu Noctem proculdubio Astræam nominauit.

Lapsum fuisse Donatum in expositione illius Terentiani loci ex Eunucho. Accede ad ignem hunc.

Cap. XXXIV.

TErentianus interpres Donatus verba illa Eunuchi.

Accede ad ignem hunc.

Act.1.Scen.2 ita interpretatur, vt ignis nomine muliebris auaritia denotetur à Poëta. *Vel quia auida* (inquit) *& auara est, vt ignis alimentorum*; Et hoc fortasse ea de causa, quòd ignem auarum, auidum, rapidúmque viderat à Poëtis dici. Propertius.

l. 2.Eleg.19. *Et quæcunque erat in numero Romana puella*
Occidit: has omnes ignis auarus habet.

Vergilius, seu potiùs Cornelius Seuerus, is enim Ætnæ autor.

Et circa geminos auidus sibi temperat ignis.

Ouidius.

Adsit, & vt nostras auido fouet igne medullas.

In Heroid. l.3. De Põto. Idem.

Sic nunquam rapido lampades igne vacent.

Sed

Sed tamen fallitur Donatus: ignis enim nomine fœmina designatur amans, aut amata, quod ex contextu patet apertissimè, cum enim Phædria dixisset Parmenoni.

——*totus Parmeno*
Tremo, horreoque postquam adspexi hanc.

Phædriam Parmeno bono esse animo iubet, atque ipsam Thaidem accedere, speraréque posse, vt postquam ad eam accesserit, si præ timore nũc tremit, ac horret, quæ frigoris sunt effecta, deinceps plus satis, aut plus æquo caleat, subiungit enim.

——*bono animo es,*
Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.

quo in sensu dixit Horatius.

Nec tenerũ lycidam mirabere, quo calet iuuentus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt. 1. Carm. 1, Od. 4.

Ignis verò nomine tam fœminam, quàm virum amantem denotari familiare semper fuit tam priscis, quàm recentioribus Poëtis Græcis, ac Latinis. Vnde est illud incerti Poëtæ Græci tetrasticon, quod sic vertebat Bergius.

Huc properate omnes, qui ardentem quæritis ignem,
Quos iuuat accensam corde fouere facem. Ex l. 1. Epig Græc.
Flammiger est animus, mea sunt præcordia flãma,
Hinc lucem à nostra sumere mente licet.

Quod imitati esse videntur Valerius Ædituus, ac Portius Licinius veteres Poëtæ, referente A. Gellio. ita Ædituus.

Quid faculam præfers Phileros, qua nihil opus nobis?

Ibimus; hic lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis sæua extinguere venti,
Aut imber cœlo candidus præcipitans.
At contra hunc ignem Veneris, si non Venus ipsa,
Nulla est quæ possit vis alia opprimere.

Portius verò Licinius.

Custodes ouium, teneræq; propaginis agnûm
Quæritis ignem? ite huc, quæritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam syluam simul omnem,
Omne pecus, flamma est omnia, quæ video.

Meritò itaque diuinus Poëta.

Æneid. 4. *Carpit enim vires paulatim, vritque videndo*
Fœmina.

quia scilicet vel ipsa amans est, vel spectatores amore capit, nam & Amor ipse ignis. Idem Vergilius.

Eclog. 3 siue in Pal. *At mihi sese offert vltrò meus ignis Amyntas.*

&,

Georgic. 3. *Omne adeò genus in terris hominúmque ferarumq;*
In furias, ignémque ruunt.

Naso.

In Heroid. ——*quis enim celauerit ignem,*
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Aurelius Nemesianus.

Nam Mopso Meroe, Lycidæ crinitus Iolas
Ignis erat.

Ignescat ergo, atque ardeat necesse est quisquis amore captus; sic Dido apud Poëtarum Principem.

Æneid. 4. ——*& cæco carpitur igni.*

Sic Phædra apud Ouidium.

In Heroid. *Vrit Amor grauius, quo serius, vrimur intus,*

Vrimur

Vrimur, & cœcum pectora vulnus habent.

Sic apud eundem Sappho.

Constitit, & dixit, quæ nunc non ignibus æquis Ibidem.

Vreris.

Quod etiam decantatum sæpe est à nostræ ætatis Hispanis, Etruscis, Gallis, Anglis, Germanis, & Arabibus Poëtis. Iure igitur si ad ignem hunc accesserit Phædria, calescet plus satis, quando ignis hic amatorius elementari adeò potentior est, vt in procul intuentes, ac longo terrarum tractu dissitos ardentes immittat radios, contrà quàm elementaris, qui solo lædit contactu, vt bene adnotauit Xenophon.

Qui essent Fasti Dies, qui Nefasti, illorum origo. Ouidij locus explicatus.

CAPVT XXXV.

NOn omnibus notum esse puto, quid Fastorum Dierum nomine, quid Nefastorum, apud antiquos intelligeretur, licèt sæpissime nomen hoc in veterum monumentis legatur. Et quidem in elegantissimis Ouidianorum Fastorum libris multi se huius nominis significationem deprehendisse fortasse arbitrabuntur. sic enim ibi Poëta.

Ne tamen ignores variorum iura dierum, libr. 1.

Non habet officium lucifer omnis idem.
Ille Nefactus erit per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Ecce tibi, sed ignotum per ignotius (vt credo) declaratum: quæ enim tria verba prolata Fastum declararent diem, quæve silentio prætermissa Nefastum, hinc non liquet. Dicam itaque, qua maxima potuero breuitate, loci huius, & rei explanationem. Festus Pompeius. *Fastis diebus* (inquit) *iucunda* (siue vt alij Codices habent, *iura*, aut *Iuridica*) *fari licebat: Nefastis, quibus quædam non fari licebat.* in quibus verbis vitiosam credo scripturam, legendúmque *Nefastis, quibus quædam fari non licebat.* Verùm hæc Fasti explicatio Ouidianæ persimilis. Varro tamen sic. *Dies Fasti per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari, comitiales dicti, quòd tum esset populus constitutus ad suffragium ferẽdum, nisi siquæ feriæ conceptæ essent, propter quas non liceret, vt compitalia, & Latinæ. Contrarij horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem. Do, Dico, Addico. itaque non potest agi: necesse est enim aliquo eorum vti verbo, cùm lege quid peragitur.* Macrobius. *Fasti sunt quibus licet fari prætori tria verba solemnia, Do, Dico, Addico. his contrarij sunt nefasti.* Ex recentioribus Alexander ab Alexandro. *Fasti dies, in quibus ius fatur, id est dicitur, Nefasti in quibus non dicitur ius, nec fari licet.* Quod idem alij. Ecce tibi qui Fasti dies, qui Nefasti, quę tria verba aut silerẽtur, aut proferrentur. Illorum autem origo à Numa Rege. Liuius. *Idem* (scilicet Numa) *Nefastos dies, Fastosq́; fecit, quia aliquando nihil cum populo agi, vtile futurum erat.* Additi deinde

l.5. de lingua Latina.

Saturnal. 1. c.16.

lib. 1.

inde fastis sunt Dies comitiales,& Fasti,solemnia Deorum sacra, ludíque & feriæ in eorumdem honorem constitutæ,aliquot victoriæ,resque insignes,item atri aliquot,vitioſíque dies,quæ omnia vno corpore clausa Fasti appellati sunt, quæ nos hodie Kalendarium dicimus. Festus Pompeius.*Fastorum libri appellantur,in quibus totius anni fit descriptio,Fasti enim dies Fasti,* aut (vt alij Codices habent) *Fandi*, siue (vt Panuinus legit) *Festi* (vt verò ego coniicio) *Fausti sunt*. Hi Fasti dies in quadam Scripti tabula (vt ex Cicerone collegit idem Panuinus) à Decemuirorum tempore reliquis aliis propositis à Pontificibus occultrabantur,donec centum & quinquaginta circiter exactis annis post Decemuiros Cn. Flauius M.Filius,siue (vt Plinius ait) Annij libertino patre genitus Ap. Cæci Scriba, qui tum Pontifex fortè erat, Fastóſque dies apud se habebat, Dies ipsos Fastos ex diu occultatis tabulis excepit, & sagaci ingenio consultando assiduè eos edisc endos singulis diebus populo proposuit,&publicauit,qua de causa adeò Populi Romani promeruit gratiam,ac fauorem, vt libertinus ipse clarissimis viris C. Pætilio, & L. Domitio, quorum Patres consules fuerant,repulsam passis,cum Q.Aurelio Prænestino Ædilis Curulis creatus sit, ac simul Tribunus Pleb.(vt Plinio placet)factus cuius rei autores sunt Liuius Val.Max. Plinius, A.Gellius. Horum Fastorum exemplo dicti etiam sunt Fasti libri hi,in quibus nomina Magistratuũ prę sertim Consulũ scripta erant,vt ex Ouidio,Lucano,Statio,Martiale; Claudiano, & Auson.satis apparet.

Liu.l.3 & 9. Vale.l.2.c.1. Plin.l.34. c.1. A.Gell.l.6. c.9.

Mortem

Mortem sibi consciscentes malè audisse ab Antiquorum sapientissimis. Rem ad restim redire, quid Terentio; Martialis locus restitutus: quid Restio Plauto.

CAP. XXXVI.

ANtiquorum complures, quibus vt ethnicis hominibus maior cura erat honoris, aut vitæ, quàm nimæ aiacturæ, quoties vel duram seruitutem, vel turpem, aut laborioſum vitæ exitum ab hostibus capti, aut morbis conflictati effugere volebant, de iniiciendis sibi manibus in vltimam desperationem redacti, statim cogitabant, glorioſum id esse suadente (vt opinor) Cacodæmone credêtes. Rem profectò non piis modò viris, sed verè viris (pace Themistoclis. Annibalis, Caronis, Bruti, & aliorum dixerim) prorsus indignam. Meritò itaque tale facinus, vt non à pietate duntaxat Christiana, sed ab animi magnitudine, imò & ab ipsamet natura propriam apperente conseruationem omnino alienum damnarunt Sancti Patres, Augustinus latè, & argutè in libris de Ciuitate Dei, & alibi, Hieronymus. & Concilium Bracharēse primum, quorum sententiæ XXIII. q. 5. continentur, nec non complures alij Sacri Doctores. Sed vt ipsos

l. 1. à. c. 22. ad 27. Aug. contra Petiliani literas. Hieron. in Ioan. Concil. Brach. can. 34.

Anti

Antiquos Antiquorum etiam teſtimonio conuincamus, ſapientiſſimum virum audiamus Platonem, qui cùm in Phædone ſub Socratis iamiam venenum bibituri perſona, nefas eſſe dixiſſet, hominem ſibi ipſi manus inferre, rationem deinde reddens hæc ſubdit. *Profectò ſermo ille, qui de his arcanis habetur, in quadã cuſtodia eſſe homines, neque decere quenquam ex hac ſe ipſum ſoluere, neque aufugere, magnus quidem mihi videtur, neque cognitu facilis. Verumtamen id mihi, ô Cebes, rectè apparet dictum, Deos quidem curam habere noſtri, nos verò homines vnam quandam ex poſſeſſionibus eſſe Deorum, annon ita tibi videtur? mihi quidem, inquit Cebes. Non igitur, inquit, & tu ſi quod ex mancipiis tuis ſeipſum perimeret, cùm tu nullo modo id permiſiſſes, iraſcereris vtique illi? & ſi poteſtatem haberes, pœna quadam afficeres? Omnino, inquit. Fortè igitur hac ratione aut præter rationem eſt, non priùs decere ſeipſum interficere, quàm Deus neceſſitatem aliquam impoſuerit, qualem nobis impoſuit in præſentia.* Hæc ille, qui in ſuis de legibus Dialogis talem ii, qui ſe interfecerũt pœnam imponit. *Sepultura igitur iſtis ſolitaria fiat, vbi alius nemo condatur: deinde in his locis ſepeliantur quæ de duodecim regionis partibus vltima, deſerta, innominataq; ſunt: ſic obſcuri, vt nec ſtatua, nec inſcripto nomine ſepulchra notentur.* Summus etiam Philoſophorum Ariſtoteles. *Mori autem, vt vel paupertatem, vel amorem, vel moleſti quippiam fugiamus, fortis viri minimè eſt, ſed potiùs timidi: quippe cùm laboriоſa fugere mollicies ſit, neque hanc mortem ſuſtinet quiſpiam, quia honeſtum ſit, ſed vt malum euitet, ac fugiat.* Idem. *At qui ob iram ſe ipſum iugulat, ſponte præter legem*

1.34. Dialog. de leg. 9.

Moral. Nicomach. l. 3. cap. 7.

Eorundem Moral. l. 5. cap. 11.

legem rectam id agit, quod lex non permittit: iniuriam igitur facit. Sed cui? ciuitati nimirum non ſibi: quippe cum ſponte patiatur: nemo verò ſponte iniuria afficiatur. vnde etiã ipſum ciuitas mulctat, eique qui ſe ipſum necauit, quaſi ciuitatem iniuria affecerit, ignominia quædam irrogatur. Denique idem. *Verùm nec niſi ob eiuſmodi, nec ob alias voluptates malorúmve grauiorum fugam mortem obeat, verè fortis quiſpiam propterea meritò dicatur.* Cicero. *Vetat ille dominans in nobis Deus iniuſſu hinc nos ſuo demigrare: cùm verò cauſam iuſtam Deus ipſe dederit, ne ille medius fidius vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit, nec tamen illa vincula carceris ruperit, leges enim vetant: ſed tanquam à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à Deo euocatus, atque emiſſus exierit.* Idem. *Non eſt iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de præſidio, & ſtatione vitæ decedendum.* & de ſomnio Scipionis. *Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus animus eſt in cuſtodia corporis, nec iniuſſu eius, à quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamini.* Quæ quidem verba latè explicat Macrobius, refutatis contrariis, Platonis etiam pro hac ſententia, quam nos ſuprà retulimus, opinionem adducens, nec non quandam Plotini Philoſophi Platonici non inelegantem rationem, quæ talis eſt. *Oportet, inquit, animam poſt hominem liberam corporeis paſſionibus inueniri, quam qui de corpore violenter extrudit, liberam eſſe, non patitur. qui enim ſibi ſua ſponte necem comparat, aut perteſus neceſſitatis, aut metu cuiuſquam ad hoc deſcendit, aut odio, quæ omnia inter paſſiones habentur. Ergo etſi antè fuit his*

Moral. Eudemior. l. 3. c. 3.

Tuſcul. 1.

De ſenectute.

l. 1. in sõniũ Scip. c. 13.

ſordibus

ſordibus pura, hoc ipſo tamen, quo exit extorta, ſordeſcit. Seneca noſter quanuis aliàs mortem propriis adſcitam manibus probaſſe videatur, vi tamen veritatis coactus aliquando ſic. *Aliquando etiam ſi certa mors inſtabit, & deſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non cõmodabit pœnæ ſuæ manum, ſtultitia eſt timore mortis mori. Venit qui occidat. expecta, quare id occupas? quare ſuſcipis alienæ crudelitatis procurationem? Vtrùm inuides carnifici tuo, an parcis?* Quò pertinet illud Martialis in Fannium. 1. Epiſt. 10. epiſt. 71.

Hoſtes cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit,
Dic mihi, non furor eſt, ne moriare, mori?

Rectè igitur Curtius; *Fortium* (inquit) *virorum magis, eſt mortem contemnere, quàm odiſſe vitam: ſæpe tædio laboris ad vtilitatem ſui compelluntur ignaui.* Vnde Critognatius apud Cæſarem. *Animi eſt iſta mollities, non virtus, inopiam pauliſper ferre non poſſe, qui ſe vltrò morti offerant, facilius reperiuntur, quàm qui doloren patienter ferant.* Ad quod etiam elegans extat Cleomenis reſponſum apud Plutarchum, cùm enim poſt acceptam in bello contra Antigonum cladem Cleomenes deſperatis rebus omnibus admoneretur à Theryclone vt ſe interficeret. *Tu verò (reſpondit) improbè fortis videris mortem appetens, qua nihil omnium humanarum rerum omnibus magis in promptu eſt ſitum: turpior hæc tua priori eſt fuga. hoſtibus quidem etiam alij nobis præſtantiores cõceſſerunt aut fortuna aduerſante, aut multitudine oppreſſi: qui verò ob labores & miſerias, aut opinionem, reprehenſioneſq; hominũ animum deſpondet, is à ſua ipſius vincitur mollitie.* Qua de cauſa benè, & ſecundùm rectum virtutis, ac rationis dictamen De bello Gall. l. 7. In vita Cleomenis.

dictamẽ lasciuus aliàs Poëta, quem suprà nominauimus, Martialis.

l.1.Epig.9. *Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam:*
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.

Sed qui hac de re plura velit, elegantissimum videat Iosephi locum de bello Iudaico libro tertio, Cap.14. nec non alium Hegesippi de eodem bello eodem libro, Cap.17. Lactantiique alia libro tertio capite decimo octauo, & vigesimo tertio. Quæ quidem licèt reuera ita se habeant, inuenti tamen sunt amentes plurimi, qui aut metu, aut inanis gloriæ spe anteactam præclarè vitam voluntaria fœdauerint morte, ferro quidam, veneno alij, alij aquis, igne nonnulli, nonnulli præcipitio, inedia aliqui, suspendio multi, de quo quidem cogitasse iampridem Antoninum Heliogabalum Romanorum impurissimum Imperatorum apud Lampridium reperio. *Parauerat igitur funes* (ait Lampridius in vita) *blata, & serico, & croco intortos, quibus si necesse esset, vitam finiret.* Atque huiusmodi morte Achitophelem Absalonis consiliarium desperatis illius rebus periisse legimus in sacris literis. Quod tamen mortis genus adeò apud Antiquos turpe habebatur, vt nulla nominum eorum, qui tali occubuissent morte, à cognatis mentio fieret. Artemidorus. *Et fugitiuus factus se ipsum suspendens vitam finiuit, vt neque mortuus nomen haberet, hos enim solos in mortuorum cœnis cognati, & affines non nominant.* Quia tamen frequens desperatis hoc mortis genus, ideo prouerbij loco, rem ad restim redire, vsurpauit Terentius in Phormione: sic enim apud ipsum Antipho, perditas Getæ

l.1.De interpret. somn. cap.5. Adde Vlpianum I.C. In l.liberorum 11.§. Non solét. & ibi Accursium D. de iis qui notantur infamia quicquid dicat Petrus Faber l.Semestr. 2.c.9.

opera

opera res ſuas credens,

—*Opera tua* Actu 4.
Ad reſtim mihi quidem res rediit planiſſimè, Scen.4.

Ac ſi diceret, nihil iam ſupereſt, niſi vt laqueum collo meo iniiciam: aui non abſimile illud Apuleij. *& cum dicto reſtim, qua erat intextus* (grabatulus ſcilicet) *aggredior expedire, ac tigillo quod feneſtræ ſubditum altrinſecus prominebat, iniecta, atque obdita parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, aſcenſo grabatulo ad exitium ſublimatus, & miſſo capite laqueum induo.* Ex quibus intelligendus Iuuenalis. Aſini aurei l. 1.

Ferre potes dominam ſaluis tot reſtibus vllam? Satyr.6.

Optimè itaque emendauit illud Martialis de Ammiano, quod vulgò ſic legitur, l.4, Epig.70.

Nihil Ammiano præter aridam veſtem
Moriens reliquit vltimis pater ceris.

ille, cui omnem ſuum hiſce temporibus ſplendorem humaniora debent ſtudia, quem magna totius literariæ reipublicæ iactura cœlo nuper receptum ingemiſcens perdidit terrarum orbis, Lipſius, ita vt non *veſtem*, ſed *reſtem* legatur, ac ſi dicat, nihil Ammiano præter aridam reſtem, qua ſeſuſpenderet, moriens reliquit teſtamenti tabulis pater. Et quia reſte pendebant, qui ſimili morte agebant animam, ideo Reſtiones dicti Plauto in Moſtellaria. Actu 4.

Illi buccædæ erunt multo potiùs quàm ego Scena. 4.
Sim Reſtio.

Id eſt, illi potiùs cædentur bubulis loris, quàm ego me reſte ſuſpendam, vt optimè expoſuêre Beroaldus, & Lambinus, quibus ego lubens aſ-

sentior potiùs (ignoscat Antiquitas) quam Cornelio Frontoni veteri Grammatico, *Restiarium eum esse, qui Restim facit, Restionem, qui vendit*, asseueranti; quale enim quæso supplicij genus esset restes vendere? facere aliquod tandem, vendere certè nullum.

Antiquis, vt & nobis digitus medius contractis cæteris in alterius contemptum erigi solitus; Martialis, Persius, Iuuenalis illustrati.

CAPVT XXXVII.

FAmiliare Antiquis fuit quoties aliquem contemnere videri volebant, digitum illi medium protentum, reliquis contractis ostendere: hoc nanque summæ apud ipsos despicientiæ loco habebatur, quod ad hanc vsque diem inter sordidæ conditionis homines apud nos perdurat. Meminêre huius rei Antiqui complures, apertiùs tamen Martialis, qui sic;

l.2.Epig.8.

Rideto multùm qui te Sextille cinædum
Dixerit, & digitum porrigito medium.

Et non obscurè Iuuenalis, qui sic de Democrito.

——cum Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumq; ostenderet vnguem.

Sed

Sed quare in ſignum contemptus porrigeretur iam dicam. Digitus hic medius Verpus appellatus eſt antiquitùs, vt quidam putant, à verrendo podice, vt ego tamen arbitror, & veriùs fortaſſe, non à verrendo podice, ſed à verpa, quo nomine membrum virile appellabant veteres, cuius quandam ille, vt inferiùs dicetur, ſimilitudinem refert, vtralibet autem de cauſa impudicus etiam appellatus. Martialis.

Oſtendi digitum. ſed impudicum l. 7. Epig. 70.
Alconti, Daſioq́, Simachoq́.

Nec non & infamis. Perſius. Satyr. 2.

— Frontem atque vda labella
Infami digito, & luſtralibus antè ſalinis
Expiat.

Quia ergo digitus hic porrectus contractis cæteris verendorum imaginem præ ſe fert, eum, cui ſic oſtenditur, mollem, effœminatum, ac patichum procudubio deſignat. Suetonius in Caligula. *Primas ſibi partes Caſſius Chærea tribunus cohortis prætoriæ depoposcit, quem Caius ſeniorem iam, vt mollem, & effœminatum denotare omni probro conſueuerat: modò ſignum petenti, Priapum, aut Venerem dare, modò ex aliqua cauſa agenti gratias, oſculandam manum offerre formatam, commotamq́ in obſcœnum modum.* Cap. 56. Lampridius in Heliogabalo. *Neque enim unquam verbis pepercit infamibus, cùm & digitis impudicitiam oſtentaret.* Quod voluiſſe puto Iſidorum noſtrum, qui ſic de digitis. *Tertius impudicus, quia plerunq́ per eum probra inſectatio exprimitur.* Origen. l. 11. Et huc pertinet illud Cynici Diogenis à Laertio relatum, qui hoſpitibus quibuſdam Demoſthenem

videre cupientibus, non indice digito, vt moris est, sed medio porrecto demonstrauit, parum virum, & effœminatum innuens. Hac ergo de causa maximi contemptus signum & erat, & est digitum in hunc modum efformatum ostendere, vt etiam doctissimus retulit Nebrissensis in commentariis in Persium, nec non in Chiliadibus Erasmus.

Chi'iad. 2. Cent.4. adag.68.

Quot nominum generibus vsi fuerint Romani tum viri, tum fœminæ: quot Græci; Trium literarum homo quid apud Antiquos, quid apud Plautum.

CAP. XXXVIII.

ONsueuêre Romani quatuor vti generibus nominum, Prænomine videlicet, Nomine, Cognomine, & Agnomine, ita testantur veterum monumenta scriptorum, ita antiqui lapides, qui Romæ, aliisque in locis adhuc extant, ita Prudẽtum responsa, Imperatorum rescripta: Gordianus Imperator l. 4. Cod. de testamentis. *Si in nomine, vel prænomine, seu cognomine, seu agnomine testator errauerit.* Iustinianus in §. *si quis*, Inst. de legat. *Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij testator errauerit.* In quo autem quatuor hæ nomi

nominum ſpecies differant ex Chariſij Soſipatri verbis patebit. *Propria* (inquit) *nomina in quatuor ſpecies diuiduntur, Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen, vt Publius Cornelius Scipio Aphricanus. Prænomen eſt quod nomini præponitur, vt Publius: Nomen, quod familiæ originem declarat, vt Cornelius: Cognomen, quod nomini ſubiungitur, vt Scipio: Agnomen, quod extrinſecus adiici ſolet, vt Aphricanus.* Idem ferè habent Iſidorus noſter, Diomedes Grammaticus, & ex ipſis Alciatus: quod licèt ſic ſe habeat, frequentiùs tamen tribus duntaxat vſi ſunt ex his nominum ſpeciebus antiqui, nomine videlicet, prænomine, & cognomine: agnomina enim niſi vel præclari aliquot duces ante Imperij tempora, vel Imperatores deinceps à deuictis vel à ſe ipſis, vel à ſuis exercitibus Prouinciis vſurpabant, & hæc tot, quot deuictæ fuerant Prouinciæ, vt videre eſt in Triumphalibus Seueri, & Conſtantini arcubus Romæ, & alibi, nec non in Inſtitutionum Proœmio. Vſos autem prædictis nominum ſpeciebus antiquos præterquàm quòd librorum ab ipſis exaratorum titulis hoc præ ſe ferunt, docet Vlpianus I. C. in l. *Hæredes* 21. §. *ſi quid poſt factum*. D. de teſtamentis. & in l. 1. D. de liberis, & poſthumis, nec non Iulianus in l. *Si ita ſcriptum*. §. *ſed & cùm in Prænomine, nomine, & cognomine*. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas. Præclarus Philoſophus & conciuis meus Seneca. *Si quod à Seneca acceperiſſes, Annæo te diceres debere, vel Lucio, non creditorem mutares, ſed nomen: ſiue cognomen, idem tamen ille eſſet.* Plutarchus in Quæſtionibus Centuriatis Romanis, quod opuſ-

Grammat. Inſt. l. 2.

If. Origin. l. 1. cap. 6. Diom. l. 1. Alc. l. 4. diſpunct. c. 1.

De beneficiis l. 4.

culum Problemata vocant nonnulli. *Vtuntur autem nominibus fœminæ duobus, tribus viri.* Ex cuius verbis illud declaratione indiget, quibus nimirum nominibus vterentur Romanæ fœminæ: Alexander ab Alexandro vsas fuisse nomine ac prænomine asserit, cuius etiam opinionis fuit Carolus Sigonius. Verius tamen est caruisse prænominibus fœminas, nominibúsque duntaxat, ac cognominibus, quibus distinguebantur, vsas, vt eruditissimè disseruêre Antonius Augustinus, Iosephus Castilioneus, & ante illum sensisse visus est Onuphrius Panuinus. Quod probatur optimè negatiua tum veterum autoritate scriptorum Liuij, Dionysij, Pliniorum, Suetonij, Taciti, & aliorum, qui nunquam muliebriũ prænominum meminerunt: tum lapidum, in quibus nullum mulierum Prænomen reperitur inscriptum, vt videre est in Iacobi Mazochij, Petri Appiani, Cyriaci Anconitani, Aldi Manutij, Iani Grutteri, Iusti Lipsij antiquis marmoreis inscriptionibus, nec non apud Castilioneum, qui quàm plurimis inscriptionibus, quæ Romæ adhuc extant, suam confirmat sententiam, inter quas illa quidem meo iudicio celeberrima, quæ extra Portam Capenam via Appia ad S. Sebastiani visitur hodie in monumento, quod vulgò *Capo di boue* appellatur.

Genial. l. 5. cap. 4.

l. Emendat. 2.

Ant Aug. Dialog. 10. de las medallas.

Castil. in libell. aduers. Assert. Prænom. fœmi.

Panuin. de Antiquis Rom. nominibus.

CÆCILIÆ
Q. CRETICI. F.
METELLÆ CRASSI.

Neque obstat Valerij Maximi nomine, qui circumfertur libellus, decimúsque operum illius, &

in

in Epitomem per Caium Titum Probum dicitur redactus, in cuius calce varia mulierum prænomina connumerãtur,cùm quia liber ille ſuppoſititius eſt, ideóque inter Valerij opera iure ab Aldo Manurio, & pleriſque eruditis viris non eſt agnitus, licet Alexandro ab Alexandro, Alciato, & aliis recenſioribus impoſuerit, diſſimilitudinem Valeriani ſtyli in eo parum aduertentibus, & reuera ſemper mihi ſuſpecti fuere iſti Titi Probi,Septimij Romani, Cornelij Nepotes,ſicut & Beroſi,Xenophontes,Sempronij,& cæteri Viterbienſis Annij pſeudoſcriptores; tum quia nulla ex his, quæ ibi referuntur, prænomina, vel in ſcriproribus claſſicis, vel in lapidibus quis deprehendet, *Caiam* ſemper excipio, quod commune mulieribus pręnomen fuit,in lapidibúſque ad diſtinctionem virilis prænominis Ↄ. inuerſa fere ſemper reperitur ſcriptum. Sed iam ad virorum nomina. Græcos etiam aliquos tribus vſos fuiſſe nominibus,vno ſcilicet proprio,duobus ex cauſa aliqua quæſitis, ex Aruntio Claudio tenet Alciatus,vt in hoc exemplo Alexander Dardanus Paris, Achilles Æacides Πόδας ὠκὺς. id eſt, pedibus celer. vtriuſque teſtimonia apud autores notiora,quàm vt opus ſit adducere: frequentiùs tamen duobus ſolitos eſſe denominari Græcos,altero proprio, altero Patronimico,inuenio apud ſcriptores: Homerus enim Atridas Menelaum, & Agamemnonem, Æacidam Achillem, Tydidem Diomedem frequenter appellat. Nec non Vergilius. Vbi ſuprà.

Et gemini Atridæ Danaûmq́ exercitus omnis.

lib.1. *Sæuus vbi Æacidæ talo iacet Hector.*
lib.1. *— Danaûm fortissime gentis*
Tydide.
lib.8. *Æneas Anchisiades, & fidus Achates*

& sexcenta eiusmodi apud eundem, & alios Poëtas Latinos à Græcis sumpta, à quibus puto mutuatos fuisse maiores nostros Hispanos Patronimica, quibus nunc etiam vtimur, siquidem Perez à Petro, Sanchez à Sancho, Rodriguez à Roderico, Fernandez à Fernando, &c. constat esse deducta. & hæc de Græcis & Hispanis. Quod attinet ad Romanos, certum est apud eos nullum tribus insignitum nominibus, nisi qui aut ingenuus, aut liber esset. Quintilianus. *Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum.* l.8.cap.3. dum enim quis seruitutem seruiebat, vnicum tantùm habebat nomen, postquam verò manumissus erat, & ciuis fiebat Romanus, vt ex §. finali Iustit. de libertin. constat, & tribus condecorabatur nominibus, duobus manumissoris, pristino ipsius nomini superadditis, vt ex Cicerone refert loc.cit. Alciatus, nec non ex antiquioribus Artemidorus, qui sic; *Et cùm esset seruus liber factus est, & pro vno nomine tria accepit duobus nominibus à manumittẽte assumptis.* l.1.de somn. interpret. c.47. Hinc effectum est, vt (quia nota erat ingenuitatis trinum nomen, quod tribus literis dictionum primariis notari solitum, nimirum pro Quinto Valerio Maximo. Q. V. M.) trium literarum homo prouerbij loco diceretur in eum, qui generosus, & ingenuus videri cuperet testibus Erasmo, & Manutio in adagiis, quam tamen loquutionem facetissimè Plautus aliò detorsit,

ita

ita enim ille in Aululatia.

——tu trium literarum homo

Me vituperas? Act.2.Sce.1.

quibus illum verbis furem appellat: fur enim tribus ſcribitur literis, quod, ne vllam patereturdubitationem, ipſemet declarat Poëta, ſubdit namque.

—etiam fur, trifurcifer?

Quæ quidem locutio ſimillima eſt illi: quam antiqui prouerbij, aut ænigmatis loco vſurparunt, nimirum duplex K K, quo malum aliquod ſignificabant, gemino ſi quidem K K, κακα, id eſt mala ſcribuntur.

Nubere, pro meretricari, veteribus quãdoque dictum. Dicterij cuiuſdam Hiſpani origo. Vxor pro meretrice. Martialis illuſtratus.

CAPVT XXXIX.

PLautus in Ciſtellaria ita lenam cum Silenio meretrice de Gymnaſio etiam meretrice, quam ipſa educarat, ſic loquentem inducit.

Hæc quidem Ecaſtor quotidie viro nubit, nupſitque hodie, Act.1. Scen. 1.

Nubet mox noctu, nunquam ego hanc viduam cubare ſiui.

Nam ſi hac non nubat, lugubri mihi fame familia pereat.

Idem in Caſina in fine.

Qui faxit clàm vxorem ducat ſcortum ſemper, quod volet.

Viden' quàm pulchrè, & lepidè *nubere*, pro meretriciam facere, apponat poëta? Hinc procul dubio mihi videtur emanaſſe dicterium illud, quod hodie apud nos in puerorum, aut infimæ plebis hominum ore verſatur, quando nimirum fœminam aliquam palliato (vt cum Apuleio loquar) ſermone meretricem appellare volunt, vt ſemper nuptam dicant. Similiter & *Vxoris* nomine meretricem intelligebant aliquando veteres. Plautus in Milite.

Actu 4. Scen. 2.

Nihil tu amaſſis, mihi hæc deſponſata 'ſt, tibi ſi illa hodie nupſerit,

Ego hanc continuè vxorem ducam.

Vbi & *Nubere*, & *Vxorem ducere*, in malam ſumuntur partem. Idem fecit Martialis.

lib. 3. Epigr. 80.

Conuiua quiſquis Zoili poteſt eſſe,
Sumenianas cœnet inter vxores.

Sed quia locus hic ſubobſcurus altiori indiget indagatione, paululum in eo demoremur, vt quas dicat ſumenianas mulieres, aperiamus. Sumeniani igitur loci nomine nihil aliud ſignificari poſſe arbitror, niſi locum, qui ſub mœnibus ſit, vt & ſuburbiorum nomine domus, & viæ quæ ſub vrbe ſunt, ſignificantur, quo poſito ſumenianarũ mulierum nomine illas, quæ in lupanariis ſub mœnibus conſtitutis turpem exercebant quæſtum, intelligi debere ſuſpicor, ídque

pro

pro certo habuit Robertus Stephanus. Lupenaria autem fuisse sub mœnibus, vt in remotiori, & secretiori vrbis parte, facilè deprehendi potest, Petronius de lupanari loquens. *At subinde vt in locum secretiorem venimus.* Et inferiùs. *Per anfractus deinde obscurissimos egressus in hunc locum me perduxit.* Iustinianus in Authético de lenonibus, collatione 2. de lupanariis agens. *ita vt primùm quidem in vltimis partibus ciuitatis essent.* Quòd si aliquatenus valet hoc ex more nostro confirmari, apud nos certè sub ipsis oppidorum mœnibus solere ferè semper huiusmodi turpitudinis domicilia collocari, omnes norunt. Ac demum sumenianarũ nomine, nihil aliud nisi prostibulas intellexisse Martialem ex alio ipsius loco satis liquet, in eo enim sumeni nomine publicum turpitudinis locum designat.

In suo Thesauro.

In Satyric.

At meretrix abigit testem velóque seráque,
Raráque sumeni fornice rima patet.

l. 1. Epigr. 35.

Ait ergo poëta in superiori in Zoilum epigrammate, illum, qui posset conuiua esse Zoili spurcissimi, ac libidinosissimi hominis, sumenianas, id est lupanaris cœnaturum inter mulieres, quæ libidinosæ adeò, adeò sunt spurcæ.

Quid

Quid sit Soricina Nœnia Plauto in Bacchidibus. Nœniæ significatio quotuplex; diuersorum poëtarum, nec non prædicti loci aliquot declarati, Unicus in Milite restitutus.

CAPVT XL.

SIt licèt quorundam eruditorum iudicio perpensus iamdudum Plautinianus hic locus, meam tamen nunc post illorum sententias opinionem adducere non inutile fum arbitratus, vel quia noui aliquid fortassis, vel quia ab aliis dicta magis explicatè in medium proferam. Plautus ergo in Bacchidibus sic.

Act. 4. Scen. 6.

Si tibi est machæra, & nobis verruina est domi,
Qua quidem te faciam, si tu me irritaueris,
Confossiorem soricina nœnia.

l. 8. cap. 2.

Nœniæ nomine plura significari autor est Quintilianus, sed propriè nœniam dici funebre carmen idem affirmat: quod & asserit Festus. *Nœnia* (inquit) *est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam; sunt qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt nœniam ideo dici, quòd voci similior querimonia flentium sit. Quidam aiunt nœniæ ductum nomen ab extremi intestini vocabulo;*

bulo; Græci enim νήτον, *extremum dicunt, ſiue quòd chordarum vltima* νήτη *dicitur, extremam cantionis vocem næniam appellarunt.* Nonius etiam. *Nænia ineptum, & inconditum carmen quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur iis, quibus propinqui nõ eſſent, mortuis exhiberet. Varro de vita Populi Romani libro quarto. Ibi à muliere, quæ obtutum à voce eſſet (*ſiue vt alij legunt, *optima voce eſſet) per quam laudari, deinde næniam cantari ſolitam ad tibias, & fides.* Næniam etiam carmen eſſe extremum, atque vltimum, quod cum lamentatione mortuo accinitur, aſſerit Diomedes Grammaticus, quod antea ex veteribus docuerunt complures. Plautus in Truculento. lib. 3.

Huic homini amanti mea hera apud nos dixit næniam de bonis,
Nam fundi, & ædes obligatæ ſunt ob amoris prandium. Act. 2. Sce. 1.

Subobſcurus certè locus, ſed cuius ſenſus, quicquid dicat Lambinus, hic meo iudicio eſt. *Huic homini iam cecinit hera carmen funebre de bonis, ia les hizo à ſus bienes las obſequias, y les canto el vltimo reſponſo, nam quæ illi ſupererant duntaxat bona fũdi nimirum, & ædes, obligata ſunt huic prandio, quod illi hera parat.*

Horatius. Carmin. li. 2. Od. 1.

Sed ne relictis Muſa procax iocis
Ceæ retractes munera næniæ.

Idem. Eod. l. Od. vlt.

Abſint inani funere næniæ.

Naſo. Faſtor. 6.

Queritur in ſcena cana tibia, queritur aris:

Ducit

Ducit supremos nænia nulla choros.

Anteillos Orator noster 2. de legibus. *Hæc* (inquit) *habemus in duodecim, sanè secundùm naturã, quæ norma legis est: reliqua sunt in more, funus vt indicatur, si quid ludorum, domúsque funeris vratur accenso, atque lictoribus honoratorum virorum laudes in concione memorentur, eásque cantus etiam ad tibicinem prosequatur, cui nomen næniæ, quo vocabulo etiam Græco* (siue vt Turnebus ibi legendum putat, *Graccho*) *cantus lugubres nominantur*: Sed legendum *Græco*, & non *Graccho*, aliter licèt sentiat verustorum codicum ope eruditissimus vir Turnebus, haud dubium est, quandoquidẽ barbarum certè fuisse huiusmodi carmen origine, Phrygiorum nimirum inuentum, à Græcis tamẽ postea, vt proprium vindicatum indito næniæ nomine (quod illius demonstrat origo, & nos deinceps ostendemus) autor est, qui ea vtitur voce Hipponax in Iambis, Polluce teste Onomasticon 4. Ex quibus Hipponactis, & Ciceronis locis planè colligitur, voluisse Papinium significare carmine hoc vsos fuisse in Archemori funere Argiuos, dum ait.

Thebaid. 6.

Dum signum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœsta: Pelopem monstrasse ferebãt
Exequiale sacrum, carmẽque minoribus vmbris
Vtile.

Et, vt erat vanis superstitionibus addicta immẽsum Antiquitas, huic etiam funebri cantui, sicut & febri, & pallori Deam præfecerunt, quam cantus nomine Næniam appellabant. Diuus Augustinus,

guſtinus. *Denique & ipſe Varro connumerare, & enumerare Deos cœpit à conceptione hominis, quorum numeros exorſus eſt à Iano, eámque ſeriem perduxit vſque ad decrepiti hominis mortem, & Deos ad ipſum hominem pertinentes clauſit ad Neniam Deam, quæ in funeribus ſenum cantatur.* Auguſtinum eius ſequitur interpres Ludouicus Viues, illud addens, extra Viminalem Portam huius Deæ fuiſſe ſacellum; Idem docet Alexander ab Alexandro, qui cur extra Viminalem ſacellum haberet Nænia, rationem reddit; Cœlius etiam Rodiginus ex Varrone idem refert. Sed quia ineptum erat carmen nænia, & inconditum, quódque à muliere decantaretur in funeribus, vt ex Nonio vidimus, hinc fuit, vt næniæ nomen pro inepto, & incódito carmine fuerit vſurpatum. Horatius.

De ciuit. l. 6. c. 8.

Dier. Geni. l. 2. c. 4.

Antiq. lect. l. 22. c. 3.

Dicetur merita nox quoque nænia.

Carmin. l. 3. Od. 28.

Qua de cauſa (vt bene notat Scaliger pater) nomen hoc ad nutricias cantilenas traduxit elegantiſſimus poëta louianus Pontanus: nutrices enim à cantiunculis fortaſſe ineptis, & præficarum cátui ſimilibus plurimum Italiæ locorum vulgus Nenas appellat; quin & nutrices apud nos voce hac ſæpius decãtata, *nina, nina*, quieſcere, ac dormire infantulos faciunt. Hinc etiã effectum eſt, vt *nænia* pro ridiculo ſumpta fuerit. Plautus.

In Pſeud. act. 5. Scen. 1.

——*vbi circumuortor, cado, id fuit nænia ludo.*

id eſt, id fuit ridiculum ludo; quanuis Lambinus dubitanter tamen, næniam ibi pro cantu, & carmine poſitam dicat; noſter enim ſenſus genuinus magis eſt, vt ex ſequentibus liquet eiuſdem loci verſibus.

Itaque

Itaque dum enitor, proh, iam penè inquinaui pal-
lium, nimiæ tum
Voluptati Ædepol fui ob casum.

Eandem etiam ob causam pro ineptis sumitur anilibus fabulis, & cantiunculis. Horatius.

l. 1. epist. 1. ——*an puerorum est*
Nenia, quæ regnum rectè facientibus offert,
Et maribus Curiis, & decantata Camillis?

Apolog. 1. l. 2. Hieronymus aduersus Ruffinum. *Et Hiberas nenias libris authenticis præferunt.* Et inferiùs. *Qui istiusmodi nænias consectatur, & scripturæ Hebraicæ veritatem non vult recipere.* Idem aduersus eundé. Apolog. 2. *Nisi fortè non fuit in præsentiarum, qui tuas emendaret nænias.* Sumitur etiam pro magico carmine ab aniculis solito recitari veneficis. Ouidius.

Fastorum 6. *Siue igitur nascuntur aues, seu carmine fiunt,*
Næniáque in volucres falsa figurat anus.

Est vltimò nænia intestini porrectio, per quam proluuies editur succis perexiccata vitalibus. Arnobius. l. 7. aduersus Gentes. *Quid tu ceta? quid nænia? quid offa? non vulgi, sed quibus est nomen, appellatióque penitæ: ex quibus quod primum est, in exiguas aruina est miculas, & ilia minutim insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio, per quam proluuies editur succis perexiccata vitalibus: offa autem penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata.* Hęc ille. Vnde manifestè patet huius nominis etymó; deducitur enim à Græco νήτη, quod est chordarum vltima, vel (quod verius puto) à νέατον, id est extremum, autore Festo suprà relato; quare per diphtongum æ, non rectè scribi hanc vocé, rectè sensit meo iudicio Cæsar Scaliger: nam &

apud

apud Arnobium (saltem in meo codice) absque diphtongo legitur. Alij volunt nomen hoc fictitium esse à similitudine vocis eorum, qui querũtur, & dólent. Ita Horatianus interpres Acron, nec non Ludouicus Viues; sed prior etymologia conuenire potiùs nomini huic mihi videtur, nam & cantui funebri, & Deæ, quæ funeri præest, & intestinorum vltimo optimè quadrat. Sed his ita præmissis ad præcipuum reuertamur institutum. Donatus ad illum Terentiani Eunuchi locum,

Ego meo indicio miser quasi sorex perij.

hæc notat. *Proprium soricum est vel stridere clarius, quàm mures, vel strepere magis cùm obrodunt friuola, ad quam vocem multi se intendentes, quamuis per tenebras noctis transfigunt eos. Plautus. Confossiorem te faciam soricina næniа.* Sic Donatus. Ex cuius verbis videtur colligi, ipsum ita locum intellexisse, vt soricina nænia confossa idem Plauto sit, quod inepta, & importuna soricis vox, quæ causa est, vt ipse confodiatur. Sed hæc interpretatio (bona ipsius venia) vel parum intelligibilis, vel parum textui congrua est, iuréque illam; palinodiam decantans, improbat Lambinus. Turnebus non multùm diuersus à Donato, soricinam næniam esse ait, cantionem celebrem de confosso sorice, qui dum quippiam rodit, & stridorem mittit, plerunque suo perit indicio, & cõfoditur. Sed hæc interpretatio quàm ad rem sit, nemo non vider. Alia fuit Petri Danielis expositio, existimantis idem valere, confossiorem te faciã soricina næniа, quod; te cõcidam in frustilia

Aduersar. I. 24 c. 11.

minutissima: quæ quidem expositio ex parte non improbatur Lambino; næniam enim ex Arnobio esse ait edulij genus in minutissimas partes profecti, & concisi; vnde significare hic fortasse Plautum putat Lambinus, quod alio loquendi modo expressit in Milite glorioso, fartum ex te faciam, ibi enim ita Plautus.

Nam ego hanc macheram mihi consolari volo,
Ne lamentetur, néve animum despondeat,
Quia se iam pridem feriatam gestitem,
Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus.

Variar. l. 3. c. 9. Ita hunc locum legit ille, nec non Muretus aduersus Ioachimum Camerarium Plauti interpretem, qui *fratrem* legendum censuerat. Sed (vt hoc obiter dicamus) nulla harum lectionum placet; non Camerarij, quia (vt bene notauit Muretus) fratres potiùs dixisset Plautus; neque Lábini, aut Mureti, quia, vt disertè censuit Theodorus Canterus, quanuis hi ad autoris sensum propiùs accesserint, ab antiqua tamen lectione longiùs illo aberrarunt. Ego itaque Cantero assentiens, *frattem* ibi reponendum credo, in eadé fermè significatione, qua *fartum* Lambinus, & Muretus accipiunt, quandoquidem & huius vocis in illa eadem significatione meminit Arnobius. *In hoc enim* (inquit) *diutiùs loco, huic causa vel maximè necessario immoramur, insistimus, inhæremus cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit? quid cum libis? quid cum diuersis frattibus confectionis iure multiplici, atque impensarum varietate conditis?* Hæc ille; quamuis in meo codice perperam *fratribus* legatur; Sed ad næniæ reuertamur interpretationem à Daniele excogitatam: eam nullo

l. Variar. 1. c. 9.

l. 7. aduersus gentes.

modo veram vel ipſe poſtea fatetur Lambinus, aliud enim (vt ipſe ait) eſt concidere, aliud confodere, deinde, quia vnde colligatur næniam idem quod fartum ſignificare, velim mihi vt dicatur. Arnobij enim locus, qui pro iſtius opinionis fundamine poſſet adduci, parum illi fauet; Tuceta nanque idem quod farta eſſe oſtendit fanè: næniasverò, & offas penitas, non itidem. Quid plura; Ioſephus Scaliger in hoc Arnobij loco non *Næniæ*, ſed *Teniæ*, legendum putat. Reuera tamen fallitur, cùm quia ita næniasdeſcribit hic autor, vt optimè illis nominis etymon conueniat, nempe inteſtinorum vltimo: tum quia iterum repetit inferiùs. *Neque priùs iras atque animos ponunt, niſi ſibi adoleri paratas conſpexerint næniasoffáſque penitas.* Potiùs itaque Scaligeri emendatio Plautino huic conueniret loco, *Confoſſiorem enim te faciam ſoricina næniа*; idem eſſet quod Hiſpanè diceremus. *Te hare con mas agujeros que vna benda ratonada.* Poſterior igitur tempore, & loco Lambini interpretatio, ſed dignitate meo iudicio prior, quæque & ipſi, & nobis magis probatur, ea eſt, vt ſcilicet idem ſit dicere, *Confoſſiorem te faciam ſoricina næniа*, ac ſi diceretur, *confoſſum te magis reddam, quàm ſoricis inteſtinum, quando ille in muſcipula ferreis ſtilis dentatim formata deprehenſus confoditur.* Rationem verò, ob quam ſoricina næniа, & non quauis alia re confoſſiorem ſe facturum militem Cleomachum minitatus fuerit Chryſalus, nuſquam apud quemquam legi: ea tamen ſeſe mihi nunc offert: ſtylo vſus, vt par erat, proprié

comico facetissimus autor, Chrysalum inducit adeò militem parui pendentem, vt tanquam sibi despectissimum despectissimæ, & infimæ rei, soricis nempe vltimo intestino, quo nihil in vilissimo sorice reperitur vilius, aptè compararet. Hoc duntaxat interpretationem claudam. Fulgentius Plantiades in libello expositionis sermonum antiquorum in voce *Veruina*, huncaffert Plauti locum, quem eo, quo nos modo, ipse legit: in quibusdam tamen illius Fulgentiani libelli castigationibus aliter locus iste Plauti ex vetere codice legitur, ita nimirum;

Si tibi machæra est foris, at nobis veruina est domi,

Qua te ego, & illos conficiam soricina nænia.

Quæ lectio (nisi in contrarium staret Donati auctoritas, vt vulgò leguntur, citantis hos versus) facilè omnes huius loci difficiles solueret nexus: is enim esset sensus, ego te veruina conficiam soricina nænia, id est inepta, & importuna soricis vox; quæ, vt sua sorici solet esse, ita & tibi, vt à me conficiaris, causa erit.

Puerilis iurisiurandi Hispanici formulam Edios, ab antiquis emanasse: ac de iureiurando quædam non vulgaria.

CAP. XLI.

AMaioribus semper audiui, antiqui proprietatem sermonis in fœminis, pueris, ac rusticanis hominibus incorruptam magis reperiri, ac conseruari diutiùs: qua de causa Cæsarem aiunt adeò Latinè, adeóque purè locutum, vt pote cuius sermo domestica consuetudine ab Aurelia matre, aliísque nobilibus matronis fuerit excultus. Id ipsum ego experimento comperi, comperierunt omnes aliqua obsoleta, & antiquata vocabula vix ex muliercularum, puerorum, rusticorúmque ore excidere. Inter quæ sæpe à me cũ risu excepta, puerile illud iurandi verbum, *Edios* meas aliquando detinuit aures, atque ad illius indagandum etymon, & significatum, mentem pariter atque animum impulit. Memini demum Antiquos Romanos tum aliis multis, tum aliquibus huic similibus iurandi verbis, seu aduerbiis vsos fuisse. Ædepol enim illis iurandi aduerbium, quo vsi sunt omnes fermè Antiqui. Næuius Comicus poëta in Agricola.

Ædepol paternam qui comest pecuniam.

Idem in Gymnastico.

Ædepol Cupido cùm pusillus sis, nimis multùm vales.

Turpilius etiam Comicus in Demiurgo.

Ego Ædepol docta dico.

Idem in Epiclero.

Quæso Ædepol quò ante lucem te subitò rapis?

Et hoc etiam iureiurando vsi sunt passim Plautus, ac Terentius, quin & Cicero. *Non Ædepol quantam egeris rem.* quod quidem ab æde, Deóque Polluce compositum: A. Gellius. *Ædepol autem quod iusiurandum per Pollucem est, & viro, & fœminæ commune est. Sed M. Varro asseuerat Antiquissimos viros neque per Castorem, neque per Pollucem deierare solitos, sed id iusiurandum fuisse tantùm fœminarum ex initiis Eleusinis acceptum: paulatim tamen inscitia antiquitatis viros dicere Ædepol cœpisse, factúmque esse ita dicendi morem.* Ecastor etiam iurisiurandi aduerbium, sicut & Ecere. Laberius Mimographus in sororibus.

l.fam.2 ad Cæcilium. l.11.c.6.

Ecastor multùm soniculosum.

Plautus in Amphitruone.

Ecastor te experior quanti facias vxorem.

& alibi;

Heu Ecastor cùm ornatum aspicio, nostrûm amborum pœnitet.

in Pseudol. Act.1. sce.2.

&,

Nam Ecastor solus benefactis tuis me florentem facis.

In Menæchem. Act. 1.sce.3.

Terentius in Andria.

Per Ecastor scitus puer natus est Pamphilo.

Plautus

Plautus in Menæchemis.

——*te conueni Ecere.*

Idem in Amphitruone.

Eccere iam tu autem facis, vt tuis nulla apud te sit fides.

Terentius in Phormione. Actu 2. scen. 1.

——*Ecere.*

Quid si redder?

Quæ iurandi aduerbia idem valent, ac si per ædē Castoris, per ædem Cereris diceretur, siue ac si ecce Cererem, ecce Castorem, nam per æ, diphrongum, & per simplicem e, scriptum vtrumque apud classicos reperi autores. Festus Pompeius. *Eccere iusiurandum est, ac si dicatur per Cererem, vt Ecastor, Edepol: alij eccere pro ecce positum accipiunt.* Quòd si hoc vltimo isthæc iurandi verba accipiantur modo, id est absque diphtóngo, tunc sensus erit, *Eccere*, aut, *Ecastor, ecce Deum, aut Deam, qui, aut quæ præsens est, & testis, Castorem, aut Cererem.* Qui etiam nobis communis loquendi modus est, *Dios es testigo*; quin & ipsismet antiquis *Edi*, aduerbium iurandi fuit. Sosipater Charisius. *Medio fidio per Iouem, aut fidem, filiúmve Iouis Herculem, quæ iuratio propria virorum est, vt fœminarum Edepol, Ecastor, Eiuno. Denique Titinnius in Setina, molliculum adulescentulum effœminatè loquentem cùm reprehẽdere magis vellet; An, inquit, quia pol Edepol fabulare, edi medi. Edi Titinnius in barathro. Id necesse respondet edi, pro edius fidius.* Hæc Charisius. Ex cuius verbis planè conuincitur deductum fuisse puerile Hispanicum *Edios*, siue illud iuriiurando Inst. Grammat. l. 2.

per Ædem Dei, siue ecce Deum respondeat, cùm præcipuè *Edios*, ab *Edius* Charisij in vnica duntaxat litera differat, quam certum est in plurimis nominibus à nostris immutatam, vt in Buxus, nobis Box, Curuus, Coruo, Mustum, Mosto, & aliis bene notatis ab Aldrete nostro miræ eruditionis viro, quin & Italis Mundus, Mondo, & alia huiusmodi. Nemini itaque (vt suspicor) dubium esse debet *Edios*, idem quod *Edius* Antiquis, quandoquidem huiusmodi iurisiurandi genus in eius gentis inuenitur ore, quam antiqui sermonis, Latini videlicet, qui Hispanis olim vulgaris fuit (vt post multos alios asseruit, & ante omnes bene probauit ille, quem modò diximus Aldrete) tenacissimam semper extitisse diximus suprà. Vtinam hodie non aliis iuramentorum generibus longè impudentioribus nostri vterentur Hispani, adeóque frequenter, vt peierare illos passim timendum, imò dolendum potiùs sit; Non certè tot, ac tantis cladibus afflictaretur Hispania: afflictatur tamen hac de causa ex veracis oraculo spiritus. *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Sufficere debuisset seruatoris nostri Iesu Christi præceptum, ita apud Matthęum dicentis. *Sit sermo autem vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Quòd si Ethnicorum nos mouent exempla, Isocratem audiamus; Is enim apud Stobæum Sacramentum oblatum duabus de causis fide firmandum suadebat, vel vt te ipsum tupi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias.

l. 2. c. 10. del orig. de la lengua Castillana.

cap 5.

Sermon. 25.

Pecu

Pecuniarum verò gratia, etsi iustam causam haberet, non per Deos iurandum dicebat. Quod secutus proculdubio est Pythagoricus ille philosophus, de quo isthæc Basilius. *Illud Clinix Pythagorici creditu difficile est, quod casu non dedita opera nostros imitatur: nam ille dum per iuramentum mulctarium talentorum vitare liceret, iniuriam pati maluit, quàm iurare.* Quàm præclarè idem Basilius. *Citra implicationem ad aliud ipsam per se ipsam veritatem proferre conare nudis affimationibus vtens; qui non credit, detrimentum incredulitatis habeat: turpe est enim, ac stolidum, se ipsum velut indignum fide accusare, & iuramentorum securitatem inferre.* Iure ergo ille alter iurandi damnans morem, hoc vsus lemmate: honestis, ac probis viris etiam iniuratis necessariò credendum: Improbis verò, ac leuibus, ne iuratis quidem. Sed ignorari prorsus (pro dolor) hodie Aristotelicam puto definitionem Iurisiurandi, quod ille esset ait *cum diuina veneratione dictionem probationis expertem.* Illam potùs credo in animis perditorum Laberij Mimographi plus iusto inhærere; talem fuisse dicit A. Gellius.

Quid est iusiurandum? emplastrum æris alieni.

Verùm surdis canimus nunc, faxit Deus, vt aures tandem accipiant, ac resipiscant nostri.

In libello quomodo ex libris gentilium proficere possimus. Hexam. homil 3. in Psalm.

l. 1. Rhet. ad Alexandrũ. Vide Clementem Alexand. l. Strom. 7. l. 16. cap. 7.

Fabulam Scyllarum, fabulam itidem Prognes, & Philomelæ, ac fabulam Heliadum variè, & confusè prodi ab autoribus; defensus tribus in locis Vergilius, in vnico Garcias Lassus.

Cap. XLII.

MEtamorphosis Scyllarum, Prognes & Philomelæ, nec non sororum Phaëthontis Heliadum adeò variè proditur à Poëtis, vt vix, aut ne vix quidem quid certi statuendum sit, cuíve standum opinioni, deprehendere possimus. Et vt ordinatè singula prosequamur Scyllas duas fuisse, alteram Nisi, alteram Phorci filiam, & hác in maris mõstrum, illam in auem fuisse mutatas Ouidius in Metamorphoseon libris latè docet; breuiùs de arte.

lib. 1. *Filia purpureos patri furata capillos,*
Puppe cadens celsa facta refertur auis.
Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes,
Pube premit rabidos, inguinibusq; canes.

Quæ cùm ita se habeant, multos earum confudisse fabulam, alteram pro altera sumentes; indicat in Cyri Vergilius de Scylla Nisi loquens.

Complures illam, & magni Messala poëta,
(Nam verum fateamur, amat Polyhymnia verũ)

Longè

Longè alia perhibent mutatam membra figura,
Scyllæum monstra in saxum conuersa vocari.

Quin & Ouidius ipse aperrè confundit.

Per nos Scylla patri canos furata capillos, Amor.l.3.
Pube premit rabidos, inguinibusq; canes. Eleg.2.

Sunt qui velint diuinum etiam Poëtam confudisse in Sileno hanc fabulam, quæ fuit Seruij Grammatici opinio in Commentariis in Silenũ, Vergilium hæc more Poëtico confudisse dicentis. Idem asserit Martin Antonius Delrius in aduersariis in Senecæ Medeam. Alciatus verò consultò id feciisse Vergilium, vt famæ inseruiret, sensit, qui omnes ita illos Vergilij in Sileno versus legunt. Parerg.l.1. cap.6.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secquuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris?

Absit tamen vt incontaminatissimo, & irreprehensibili poëtæ aliquam, quantunuis exiguam, confusionis maculam inuri patiar. Dico itaque nullo modo hanc confudisse fabulam Vergilium, sed clarè fuisse, & distinctè locutum, perperam potiùs illum locum legisse, & citasse prædictos autores, alitérque legendum esse; ita nimirum.

Quid loquar aut Scyllam Nisi? aut quam fama secquuta est,
Candida succinctam latratibus inguina monstris.

sic nanque ex vi disiunctiuæ, *aut*, omnis tollitur difficultas, cùm alteram ab altera disiungat & diuidat; & ne me hæc somniasse dicat quispiam, meæ proculdubio opinioni veterum adstipulatur codicum complurium fides, exemplarium etiam

etiam Colonienſium Ioannis Stelſij, nec non Plantinianorum; Ita iſti citantur verſus à Natali in Mythologicis, à Mino in Cõmentariis Emblematum Alciati, ita legi, & interpretari debere hunc locum ſenſit Nannius, qui aliàs etiam ſe vidiſſe in veteribus codicibus lectiones illius ait, videlicet.

Miſcellan. lib. 6.

Quid loquar an Scyllam Niſi? an quam fama ſequuta eſt.

&, *Quid loquar vt Scyllam Niſi? aut quam fama ſequuta eſt.*

quæ lectio ipſi quidem magis placet, mihi verò minùs arridet præ ſuperiori, quam præter veterum Codicum fidem ipſemet agnouit Seruius. In Prognes autem, & Philomelæ, ſeu Philomenæ, vtroque enim modo legitur, mutatione longè maior eſt inter autores diſcrepantia: aliqui enim Prognem in Hirundinem, Philomelam in auem ſui nominis, ſiue quod idem eſt, in luſciniam mutatas dicunt, Prognem Ityos matrem affirmantes, alij contrà, Prognem in Philomelam, Philomelam in Hirundinem; Philomelam alij Ityos matrem affirmant: alia alij. Prioris opinionis videntur fuiſſe, Horatius dum ait,

Vbi ſuprà.

Carmin. 4. Od. 12.

Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quòd malè Barbaras
Regum eſt vlta libidines.

Statius.

Sylu. l. 2. *Hunc nec ſæua viro potuiſſet carpere Progne.*

&, *Quod gemit, & duræ queritur Philomela ſorori.*

Syluar. 5. Martialis in Epigrammate, cui lemma *de hirundine,*

dine, in fine. l.5.Epig.68.

Serò dedit pœnas discerpti noxia mater,
Debuerat sed tunc, cùm lacerauit Itym.

Idem. l.11.Epig.19.

Et sublata volantis vngue Progne,
In nido seges est hirundinino.

& in Apophoretis Epigrammate, cui lemma 75.
Luscinia.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Fuit quoque huius opinionis Seruius Gramma- In commēt. in Silenum. Fabula 45.
ticus, fuit & Hyginius in fabulis, in hoc vno à cęteris diuersus, quòd Itym in accipitrem mutatum dixit; ex recentioribus elegantissimus poëta Petrus Angelius Bargeus in pulcherrimo Epigrammate de hirundine, quæ pullos strangulauit l.Carmin.2.
suos.

Proh scelus infandum! quis iam te barbara
Progne
Credat Itym manibus non lacerasse tuis?

Ac denique hanc secuta est opinionem omnis fere recentiorum schola. Prognem in Philomelam, & Philomelam in hirundinem mutatas existimauit M. Varro, cuius in quarto de Originibus hæc sunt verba. *Lusciola, quòd luctuosè canere existimetur, atque esse ex Attica Progne facta auis.* Huic videtur sententiæ accessisse Ouidius in Heroidibus, dum sub Sapphus persona ait,

Sola virum non vlta piè, mœstissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Itym,

& in Amorum libris.

Quid scelus Ismarij quereris Philomela tyranni? l.2.Eleg.6.

Magna,

Magna, sed antiqua est causa doloris Itys.
&, *Concinit Odrysium Cecropis ales Itym.*
Pedo etiam Albinouanus in consolatione ad Liuiam Augustam, quæ sub Nasonis nomine falsò circumfertur.

Talis in umbrosis miris nunc denique syluis
Deflet Threicium Daulias ales Itym.
Propertius.

lib. 3. *Alcionum positis requiescant ora querelis,*
Increpet absumptum nec sua mater Itym.
Cornelius Seuerus in Ætna.

—en Philomela canoris
Euocat in syluis, & tu soror hospita tectis
Acciperis, solis Tereus ferus exulat agris.
Pentadius.

Iam Philomela gemit modulis Ityn impia mater,
Oblatum mensis iam Philomela gemit.
Seneca noster Tragicus.

In Hercule Oetæo. *—qualis natum*
Daulias ales solet Ismaria
Flere sub umbra.
&, *—fugit ultus*
Philomela suos, natumq; sonat
Flebilis Itym.

In Satyric. Petronius

Dignus amore locus, testis syluester Iasdon,
Atque urbana Progne, quæ circum gramina fusæ,
Et molles violas cantu sua rura colebant.

Huic opinioni adde Aurel. Nemesianū in Cynegetico. qui omnes illud videntur mutuati à Catullo.

Qualia sub densis ramorum concini umbris
Daulias absumpsit fata gemens Ityli.

Quod tamen à Græcis sumpsisse Latinos, dubium

bium non est. Homerus certè sic.

Pandaris vt quondam florens Philomela puella
Vere canit primo, ac trunco super arboris astans
Ingeminat mœstum vario modulamine carmen,
Flens Itylum puerum, ferro quem perculit ipsa,
Mentis inops, Zeto susceptum coniuge dudum.

Retulit id Aristophanes, retulit & Gorgias apud Aristotelem, qui Rhetoricorum tertio sic; *Illud autem Gorgiæ in hirundinem, cùm super eum volans stercus emiserit, optimè, ac tragicè dictũ est; dixit enim ei quidem Philomelæ, si id fecerit, turpe non est, virgini autem turpissimum.* Tenuit hoc & Anacreon Ode in Chelidona, quam & latinitate, & numeris appositè donauit in hunc modum Henricus Stephanus. Cap. 3.

Quibus loquax, quibúsnam
Te plectam hirundo pœnis?
Virúmne vis volucres
Alas tibi recidam?
Imam secémve linguam,
Tibi quod ille Tereus
Fecisse fertur olim?
Nam tu quid ante lucem
Meas strepens ad aures
E somnis beatis
Mihi rapis Bathillum?

Sensit idem Aristophanis scholiastes, sensit & Tzetzes, quibus cõsentit Gabrias in fabulis, nec non Probus, & ipsemet Seruius sibi contrarius, aut se corrigens ad decimum quintum quarti Georgicorum versum, quos ex recentioribus sequutus est in Acone Pontanus. Chiliad. 7. hist. 142.

Inge

Ingeminat memorem nati Philomelæ dolorem.

Alij denique Philomelam Terei vxorem, Ityos matrem, Prognem violatam affirmarunt, cuius opinionis, aut autor, aut sectator certè fuit Eustatius in commentariis in Odysseam, cuique ex recentioribus eruditus vir adhæsit Andreas Alciatus in Emblemate, cui lemma *Garrulitas.*

7.

Quid matutinos Progne mihi garrula somnos
Rumpis; & obstrepero Daulias ore canis?
Dignus epops Tereus, qui maluit ense putare,
Quàm linguam immodicam stirpitus eruere.

Talis quidem, nisi fortè prioris videtur fuisse opinionis immortalis memoriæ Lusitanus Poëta Ludouicus Camoës.

Cançon.7. *No touro entraua Phebo, e Progne vigna.*

Hæ sunt circa hanc fabulam Græcorum ferè omnium, ac Latinorum opiniones, quibus recensitis iam de diuini poëtæ nostri sententia agamus necesse est. Is igitur in Sileno sic;

Aut vt mutatos Terei narrauerit artus,
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit,
Quo cursu deserta petiuerit, & quibus antè
Infœlix sua tecta superuolitauerit ales.

Seruius abusum nomine Vergilium ait, confundi ab illo fabulam affirmat Nannius. Ego ex supràdictis Vergilium neque abusum nomine, neque miscuisse fabulam audacter asseram aduersus omnes: sed in ea fuisse potiùs opinione, vt Philomelam Itys matrem putarit, illámque Itym patri epulandum dedisse, conuersam deinde eandem fuisse in luscinian, & antequam deserta peteret, sua tecta superuolitasse. Quibus ita intellectis

Miscellan.6

omnis

omnis ceſſat difficultas. Tetigit & hanc fabulam (vt hoc etiam obiter dicamus) Garcias Laſſus Hiſpanorum poëtarum princeps

La blanca Philomela Eclog. 1.
Caſi como dolida,
Ia compoſition mouida
Dulcemente reſponde al ſon Moroſo.

In cuius verſibus illud mirum videtur, quòd Philomelam candidam, id enim eſt *blanca*, appellet, cùm tamen experientia conſtet contrarium, nec non Naſonis teſtimonio, qui enarrata ſororum in aues tranſmuratione, hæc ſubiungit

——Neque adhuc de pectore cædis
Exceſsêre notæ, ſignataq; ſanguine pluma eſt.

Plinius certè miraculi penè loco Agrippinę Claudij Principis vxori Luſciniam albam dono datã refert; qua de cauſa doctiſſimus Magiſter Franciſcus Sanctius in annotationibus in Garciam Laſſum reponit *blanda*, pro *blanca*. Retinet lectionem priſtinam Fernandus de Herrera bono iure diuinus nuncupatus, & *blanca* dicendum putat, quaſi ſinceram, puram, piam, ego (vt verum ingenuè fatear) ſi auiculam auis nomine Hiſpano Garcias Laſſus nuncupaſſet, *Ruiſeñor*, quiduis admitterem, vel enim priſtinam, quod maiori laude dignum duco, retinerem lectionem cum Herrera, vel emmendarem cum Sanctio, & Albinouano, *blandæ*, ſed quando poëtico nomine poëticè fabulam attigit poëta, blandæ, puræ, ſinceræ, piæ epitheton longè abhorrere à Philomela, quæ licèt vim perpeſſa, innocentis ex ſorore nepotis particeps fuerit cædis, nemo non videt: quare l.10. c.29.

blanca,dixisse Garciam Lassum dico non ex eo, quod nunc est, sed ex eo, quod fuit nimirum ex puellæ attributo, sicut & illud Gorgiæ laudatum ab Aristotele,quod suprà retulimus, cùm hirundinem fœdè, vt puellam Philomelam feciſſe dixit,& hæc de Prognes,ac Philomelæ fabula. Superest de Heliadum metamorphosi pro nostræ propositionis meta nunc agere. Sororum Phaëthóris Heliadum sic à Sole patre dictarum nota est omnibus transformatio in arbores ex Ouidij Metamorphoseon secundo libro; de nomine earum aliqua est inter interpretes dissensio, Ouidius trium ibi mentionem fecit, verùm duarum duntaxat exposuit nomina,Phaëtusæ, scilicet, & Lampetiæ, harum tantùm meminit Seruius, nisi quòd pro Lampetia Lampetusam posuit; Arethusam, & Lamperusam eas nominauit Fulgentius; Burcardus Pylades in Theogonia Lampetusæ, Phaëtusæ,Lamperiæque mentionem fecit; Nicolaus Erithreus Phœbem, Phaëtusam Lamperiem nominatas dicit. Plures eas fuisse,& aliis nominibus dictas, Meropem nimirum, Æglem,Heliem,Petrem,Phœbem,Chærem, Diosippem autor est Lambertus Hortensius; Sed hac missa vt nullius momenti quæstione, in quas fuerint illæ mutatæ arbores non minima est difficultas. Naso nanque loco prædicto quas in arbores certè non declarat, in libris tamen de Ponto in populos mutatas dicit.

Mytholog. l.1.

In 2. Lucani libr.

lib 1. Vide Diod. l.6.c.8.

Vos quoque felices,quarum clamantia fratrem
Cortice velauit populus ora nouo.

Lucanus idem sensit,de Eridano agens.

—*hunc*

——*hunc fabula primum*
Populea fluuium ripas vmbraſſe corona.

Ex recentioribus clariſſimus vtroque idiomate poëta Sanazarus in ſua Arcadia. *& euui con più breue fronda l'al bero diche Hercole coronare ſi ſoleua, nel cui pe dale le miſere figliuole di Climene furono transformate*, Anguillara. Proſa 1.

Eſſe hor ſon pioppi, ambra i dis fatti lumi
Queſte adornan le donne, e quelle i fiumi.

Mutationis quoque huius mentionem fecêre Catullus, Statius, & Aurelius Nemeſianus, licèt quas in arbores illa fuerit facta, ex ipſis non liquet. Catullus. 1.2. Metam.

——*lentaq; ſorore*
Flammati Phaëthontis.

In nuptiis Pelei.

Vbi tamen Muretus populos exponit, & reponendum *fleta*, pro *lenta*, aſſerit Ioſephus Scaliger, nullius exemplaris ope: ſi *flente*, dixiſſet legẽdum, annuiſſem forſitã, atque appoſitè dictum ſecundùm fabulam faterer. Cæterùm à quibus fleta Heliades? à Clymene duntaxat matre; infirmum reuera emendationis fundamentum. Diſpeream ſi meminit Scaliger, dum illa commentaretur, lentam dici frequenter à Poëtis arborem, ac ſi flebilem, ac ſi teneram dicant: *lentas vlmeas virgas*, dixit Plautus: *lenta viburna*, Vergilius, *lentas vites*, *lentam ſalicem*, *lentos ramos*, *lentas haſtas*, *lenta haſtilia*, *lenta ſpicula*: *hederam lentis braehiis*, Horatius: *haſtile lentum* dixit in Heroidibus Ouidius. *radicem lentam* alibi: *lentam virem*, Tibullus: quid plura? *lentam virem* ipſemet dixit etiam Catullus. Sedad rem. Statius.

In Aſinaria. Ecl. 1. Ecl 3. Georg. 4. Eclog. 5. Æneid. 10. Æneid 7. Horat. Epo. Od. 15. Ouid. Metam. 11. Tibull. l. 4. In Epital. Iuliæ & Mallii.

Syluar.5. ——Clymeneaq; deesse
Germina, nec virides satis illacrymare sorores.

Nemesianus verò.

In Cynegetic. *Et flentes semper germani funere syluas.*

Diuersæ fuit autor sententiæ, quem omnis Græcorum sequuta est classis, Appollonius Rhodius, qui quidem Argonauticorum quarto, Phaëthontis sorores, non in populos, sed in alnos mutatas rerulit: cuius opinionis videtur fuisse Claudianus, dum ait.

In Nuptiis Honor. & Mariæ. *Et Padus electriferis*
Admoduletur alnis.

Electum nanque sudare arbores, in quas ad Padi ripam conuersæ sunt Heliades, poëtę ferè omnes

In Eliacis. fabulati, atque ad Padi ripam illud inueniri testatus est Pausanias; quod tamen falsum esse apertè

l.1.c.90. probat Dioscoridis scholiastes Laguna. Huius quoque opinionis fuit ex iunioribus Pontanus, qui Eridanorum primo pluridus in locis id refert. Sed iam de diuino poëta: Certè ille in Sileno Græcorum accedens opinioni sic ait;

Tum Phaëthontiades musco circumdat amaræ
Corticis atque solo proceras erigit alnos.

Huic sententiæ, nec non sibi ipsi contrarius videtur Seruius, & interpretibus aliis, dum ait Æneidos decimo;

Populeas inter frondes, umbramq; sororum.

quasi tunc in populos dixerit conuersas, cùm *umbram* ibi appositiuè legant omnes. Hispaniarum magister Nebrissensis Vergilij autoritatt motus, vel vt hanc in eo tolleret, aut saltem minorem redderet apparentem contrarietatem, Po-

pulum

pulum nigram, & Alnum eandem esse arborem dixit. Quod si ita esset, cessaret maxima ex parte difficultas, cùm vox hæc *Populus*, nigræ, & albæ sit communis, licèt frequentiùs pro alba supponat populo; sícque conciliari facilè possent autores, qui in alnos, & qui in populos mutatas dicunt sorores; Sed fallitur doctissimus alioqui vir, tres nanque esse arborum diuersas species, Alnũ, populum albam, & populum nigram, autor est Theophrastus de plantis. Palladius de iis sic. *Populus vtraque, & salix, & tilia in sculpturis necessariæ, alnus fabricæ inutilis.* Hæc ille: eandem memorat diuersitatem Plinius libro decimo sexto cap. 18. 24. 44. & aliis. Vitruuius. *Populus alba, & nigra, item salix, tilia vitex ignis, & aëris satiatæ, atque humoris temperatæ, parum terreni habentes, leuiori temperatura comparatæ, egregiam habere videntur in vsu rigiditatem. Ergo cùm non sint duræ, terreni mixtione propter raritatem sunt candidæ, & in sculpturis commodam præstant tractabilitatem. Almus autem, quæ proxima fluminum ripis procreatur, & minimè materies vtilis videtur, habet in se egregias rationes, etenim aëre est, & igni plurimo temperata, humore paulo,* &c. Diuersæ ergo sunt arbores populus alba & nigra ab alno; ac si strictè sumatur (vt dictum est) populus pro alba duntaxat accipienda erit testibus Thomaso Porcaccio, Nicolao Eritreo, ac Hieronymo Ruscelli, qui id etiam addit hanc arborem pro *pioppo*, corruptè à Neapolitanis hodie *Chioppo* appellari, vnde apertè colligo illam nobis esse plantæ speciem, quæ vulgò *Chopo* dicitur, aut *pioppo*, vt vult in Garciæ Lassi commentariis Herrera

De re rustica l. 12. tit. 15.

l. 2. cap. 9.

(ni tamen, *pioppo*, & *Chopo* diuersæ sint arbores) sicut & ab alno, quanuis speciei diuersæ, alamos nostras arbores dictas, ex vocum similitudine pareret, nisi fortè nomen sit Arabicum, cuius Idiomatis quàm plurima sunt apud nos, id enim *al*, articulus Arabum videtur ostendere. Sed ad Vergilium redeamus, aliam nanque excusationis tutiorem viam inueniamus necesse est. Dico ergo ibi *vmbramq; fororum*; non appositiuè positam à Vergilio, ita vt sensus sit, dum canit inter frondes populeas vmbram fororum, quod elici potest vel ex illa coniunctione *que*, cuius vis, ac natura est diuersa coniungere; sed sensum esse, dum canit inter populeas frondes, & inter vmbram, seu in vmbra fororum, cùm omnes Padi ripæ populis, & alnis, aliisque arboribus constitæ sint, vt ex Plinij libro tertio capite decimo quinto, Pontanóque in Eridanis constat, nec non de alnorum frequentia illo in loco ipsemet fecit mentionem Vergilius.

Georgic. 2. ——*leuis innatat alnus*
Missa Pado.

quem imitatus Claudianus,

de raptu. —*missamq; Pado qui remigat alnum.*

Verùm de his hactenus, patrono enim non indiget inculpatissimus poëta.

Quid

Quid sit Nobilitas, & vnde dicta; nobilem pro noto, ignobilem pro ignoto Antiquos vsurpasse.

CAPVT XLIII.

HAnc disputationem vel attingere superuacaneũ esset, cùm de illa tot scripserint eruditi viri, Philo Iudæorum doctissimus, S. Thomas pluribus in locis, Bartolus, & alij iuris interpretes, Cassaneus, & integros tractatus Tiraquellus & Otalora. sed quia sese necessaria mihi obtulit occasio, tangam tamen breuissimè. Ex Aristotele igitur; *Nobilitas est quædam maiorum claritas*; alibi etiam ipse de ea. *Insuper consentaneum est ex melioribus ortos esse meliores, est enim generis virtus nobilitas.* hoc etiam sensisse visus est Cicero. *Omnes boni* (inquit) *semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reipublicæ nobiles esse homines dignos maioribus suis, & quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de Republica meritorum memoria.* Plutarchus. *Nobilitas res est honesta quidem, at maiorum bonum.* Quam etiam definitionem ex Iunioribus sequutus est immortalis memoriæ vir Torquatus Tassus, ita enim ille. *Nobiltà è virtù di schiatta, & honorenolezza de maggiori.* Multo aliter eam definiuit Bartolus in tractatu de nobilitate

Tom. 2. Cassan. in Catalogo gloriæ mũdi. l. Rhetoric. 2. cap. 25. 3. Politicor. Pro Sextio. In libell. de instituendis liberis. In Dialogo Forno de la nobiltà.

ad legem, *Si vt proponitis.* C. de dignitat. l. 12. quæ talis est *Nobilitas est qualitas illa per principatum tenentem, qua quis vltra honestos plebeios acceptus ostenditur.* Alij nobilitatem solam esse virtutem affirmarunt. Inuenalis.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Ad quod pertinet Ouidianum illud.

Metam. l. 13. *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,*
Vix ea nostra voco.

Vnde Diuus Ambrosius & primam, & vltimam amplexus opinionem diuinissimè ait. *Probati enim viri genus virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.* Sed & vltimam hanc & Bartoli opinionem procedere duntaxat puto in ea nobilitate, quam vnusquisque sibi vel apud Principes gratia, vel armorum laude, vel literarum præstantia, vel insigni aliqua operatione acquisiuit, non verò in illa, quam communiter nos Nobilitatis nomine intelligimus, quæ nimirum in generis claritate consistit. Cùm enim nobilitas ex Aristotele inter ea recensetur bona, quæ dicuntur Fortunæ, nullo modo potest in insigni operatione consistere, iam enim tunc non ex Fortunæ, sed ex animi potiùs bonis esset; Quod Herodiani confirmatur autoritate. *Nam quò,* (ait ille) *obsecro, nobilitas ipsa nisi morum benignitas adsit, & humanitas? siquidem Fortunæ munera etiam parum dignos exornant, animi virtus propriam cuique*

De Noë. & arça cap. 4.

Rhetor. loc. cit.

lib 5.

gloriam

gloriam conciliat, & claritas quidem generis, diuinæq́, atque id genus reliqua, etsi beatorum propria putentur, minimè in ipsis, vt pote ab aliis tradita, laudantur. Adhuc Herodianus. Illud quidem tam verum est quàm quod verissimum, insignibus operationibus gloriam, & nobilitatem hæreditariam & conseruari meliùs, & augeri illustriùs, vt quotidie videmus. Dicta est autem Nobilitas, vt noster vult Isidorus, quasi non vilitas: sed communior est sententia, quam ex omnibus ferè refert, ac tenet Andreas Tiraquellus, Nobilitatem dictam esse quasi noscibilitatẽ, & nobilem, quasi noscibilem, quod vel ipse Diuus Isidorus fatetur, dum ait. *Nobilis non vilis, cuius & nomen, & genus scitur.* Certè apud Romanos ij duntaxat Nobiles dicebantur, quorum patres, aut maiores magistratum gessissent curulem, ita affirmante Hotomano. Vnde & nobilis pro noto sæpe vsurpabatur ab antiquis. Vergilius.

1. Origin. 10.

De nobil. c. 20.

Vbi suprà.

In commẽtariis verborum Iuris, verbo Nobiles.

Est locus Italiæ medio sub montibus altis
Nobilis.

Æneid. 7.

Et eadem de causa quicquid vel virtute, vel scelere notum erat, nobile dicebatur. Plautus.

In Rudẽte.

Qui scelere nobiles fieri volunt.

Hinc etiam fit vt ignobilis pro ignoto sumatur. Actius.

In Diomede.

Ego me Argos referam: nam hic sum ignobilis.

Plautus.

Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis. In Pseudolo.

Apuleius.

Iámque aderat ignobilis maritus, & thorum insenderat. Illud adnotatum velim, sicut & igno-

bilis per g, scribitur, ita & nobilis antiquis per g, scribi solere. Liuius Andronicus.

Ornatu incedunt gnobili ignobiles.

Verùm de re adeò trita iam nimis multa.

Quid sit Leuca, & vnde dicta; Isidori locus restitutus; Regia lex Partitarum declarata.

CAPVT XLIIII.



VOniam à multis tam Italis, quàm Hispanis dubitari sæpe vidi, quid vulgò *Leucæ* nomine intelligi deberet, ideo nunc exponam breuiter. Leuca ergo mensuræ viarum genus (ná de Leucamorbo, de qua Rhodiginus, medicis tractationem relinquemus) Gallicum quidem nomen est teste Ammiano. *qui locus* (inquit ille) *exordiũ est Galliarum: exinde non millenis passibus, sed Leucis itinera metiuntur.* Cui adstipulatur Isidorus; ex quibus alij affirmauêre recentiores. Quo posito planè suspicor à Leucis illam Galliæ populis & nomen, & originem sumpsisse. Leuci porrò inter Belgas antiquis, Cæsari, Ptolemæo, Plinio, Tacito, quin & Cordubensi nostro Lucano;

Antiq. lect. l. 5. c. 8.
Hist. l. 15.
Origin. l. 15. c. 16.
Cæs. l. 1. de bell. Gall.
Ptole. Tab. Europ. 3.
Plin. l. 4. ca. 17.
Tacit. Ann. l. 17.
Lucan. l. 1.

Primus excusso Leucus, Rhemúsque Lacerto.

Ij nimirum, qui hodie Lotharingi, vulgò *Loreme-*

si

es Marliano, Hortensio, & Ortelio, nec non Ioanni Caluete de Stella: eorum quippe ciuitates Tullum, quæ hodie nomen retinet Episcopalis *Tull*, Nasium, quæ *Nansy* Lotharingi Ducis curia. Finitimi Lingonibus, qui nunc *Langres*, Sequanis, qui Burgundi, Merensibus, qui *Meiz de Lorena*, & Prouinciæ Treuerensi. At verò (vt alij apud Hortensium credunt) iidem cum his, qui Luxemburgenses hodie dicuntur. Quod tamen parum quidem mihi probatur, nihil enim eorum, quæ apud Leucos fuêre, reperio apud Luxemburgenses, quos Ptolemæo Romanduos, & ciuitatem eorum Augustam Romanduorum dictam asserit Maginus, atque ante ipsum (vt opinor) Aldus: licèt hi Lotharingis, qua Luxemburgensis Ducatus ad Meridiem spectat, contermini sint. Leucam porrò apud Gallos mille & quingentis passibus terminari ex Ammiano didicimus. *Ad vsque vallum* (ait) *Barbaricum quarta signabatur leuca, & decima, id est vnum & viginti millia passuum.* A quo deinde sumpsêre recentiores, Rhodiginus, Alciatus, Ambrosius de Morales: Vnde manifestè deprehenditur aliquibus Etymologiarum Isidori Codicibus mendū inesse, dum habent; *Leuca finitur passibus quingentis:* non enim ab eo, qui hanc dimensionem Gallicam esse dixit, numerus passuum, Galliæ leucæ passibus adeò impar computandus esset. Mille itaque addas necesse est, ita vt legatur; *Leuca finitur passibus mille quingentis.* A Gallis deinde mutuum accepêre leucæ nomen nationes aliæ, vt Itali, Hispani; Italis certè familiarius est

Marl. In Cæsarem.
Hort. in Lucanum.
Ort. in suo Thesauro.
Caluete en el viaje del Principe.
In annot. in Ptolem.
Rhodig. vbi suprà.
Alciat. in l. mille passus, D. de verb. significat.
Moral. Hist. Hisp. tom. 2. f. 32.

leucæ

leucæ nomen, quando tamen, licèt rarò, nomine vtuntur leucæ, tria illi tribuunt milliaria. Hispani è contrà, omnia leucis metiuntur itinera, quin & quartis leucæ partibus, quæ quidem milliario planè respondent, siquidem Hispanica leuca quatuor milliaribus constat, vt bene probant ex nostris Hispaniarum Magister Antonius Nebrissensis, qui primus exactam milliariorum inuenit mensuram, Gaspar Barreyrus Lusitanus, Florianus de Ocampo, nec non clarissimus Cordubensis Ambrosius de Morales, aliique complures; ex alienigenis verò Petrus Martyr, Maffeius, nobilis Mathematicarum professor Maginus, Simon Maiolus, & nonnulli alij. Quæ quidem mensuræ ratio magis respondet dimensioni Rasis Mauri, seu Sarraceni historici, qui sic de Eliberra, (quæ Illiberis Latinè, seu Eliberia, vulgò *Granada la vieja*, tribus leucis à ciuitate Granatensi distante, à Cordubensi verò vndeviginti. *e de Cordua à Eliberra à setenta miieros.* nam licèt ad numerum leucarum ex quatuor milliaribus cõstantium adimplendum sex desint passuũ millia, si vnicuique leucæ tria duntaxat tribuerentur, tredecim supererssent milliaria, quod esset longè absurdius. Hoc tamen animaduertendum, milliaria nostra licèt mille passuum sint, vt & Romana, & passus etiam sicut antiqui ex quinque conficiantur pedibus, pedem tamen Hispanum aliquanto minorem esse pede antiquo Romano, qui vt ex Politiano, Nebrissensi, Alciato, Budæo, Leonardo Portio (is ex marmore antiquo Romani pedis effigiatam apponit mensuram)

Nebriss. Repet. 6. de mensuris.
Barrey. in sua Chorograph.
Flor. Hisp. hist. l.1. c.2.
Moral. vbi suprà.
Martyr. l.1. Decad.1. Ocean.
Maff. hist. Ind.l.1.
Mag. in Hisp. descr.
Maiol. Dier. canic. coll.
Polit. l. epi. 10.
Nebriss. vbi suprà.
Alciat. vbi suprà.
Bud. de Ass. l. 1.
Port. de Pond. & Mensuris.

ſuram) & ex aliis multis conſtat, cùm ſexdecim eſſet digitorum, cuius dimidium ſemis appellabatur, illud nimirum ſpatiũ, quod digiti vtriuſque manus ſuppreſſis pollicibus occupant, vnde in nos emanauit illius menſuræ nomen, quam (licèt exacta octo digitorum menſura non ſit) *xeme*, ſeu *geme* vulgò dicimus, mutata S, in X, aut G, (vt in multis accidiſſe dictionibus, ex libris Partitarum, & aliis bene probat in omni bonarum literarum genere verſatiſſimus, ac nunquam ſatis laudandus Bernardus Aldrete) cùm inquam ſexdecim eſſet digitorum pes, maior erat tertia parte menſuræ illius noſtræ, qua pannos, & alia huiuſcemodi metimur, vulgò *vara*, dicimus, paulo plus dimidio digito, vt Ambroſius de Morales oſtendit, cùm tamen pes Hiſpanus tertiam partem mẽſuræ huius *vara*, exactiſſimè adæquet: & ſic peræqua proportione ſeruata, maius eſſe milliarium Romanum, quàm ſit Hiſpanum, erit proculdubio dicendum. Quibus ita examinatis leucam noſtram quatuor mille paſſibus; 6666 menſuris, *vara* dictis; viginti noſtrorum pedum millibus conſtare tenendum eſt. At obſtare certè videtur ſuprà dictis Regia lex Partitarum, quæ tria milliaria cuilibet tribuit leucæ. *Otro, ſi matar* leg. 3. titulo 16. part. 2.
daron, que ſi vn ome honrrado mataſſe à otro à tres migeros de derredor del lugar do el Rey fueſſe, que es vna legua, que murieſſe por ello. & alibi. *Quanto faſta vna legua, que ſon tres mil paſſos.* Sed hoc ea, quæ ſuprà ſtatuimus non deſtruit; aliud enim eſt ſecundùm Geometricæ artis præcepta, aliud ſecundùm legum placita loqui, & nos quidẽ Geo- leg. 24. tit. 26. part. 1.

Del origen de la lẽgua Caſtellana. l. 2. c. 12.

Vbi ſuprà.

metricè

metricè loquuti sumus adhuc; Alphonsus verò Rex leges pro regia potestate, imò pro prædecessorum Regum tempore angusti regni Castellę terminis statuere voluit: Fortassis etiam secundùm Italorum consuetudinem, vt erat multiscius Alphonsus: aut (vt ego suspicor) quod ad primã legem attinet, ne pœnalia ampliatis curiæ limitibus vllo modo & ipsa, cùm odiosa sint, ampliarentur, quandoquidem odia restringi, fauores verò conuenit ampliari. Quod verò attinet ad secundam legem, id certè statutum est in fauorẽ eorum, qui sociis opem, hostibus verò bellum, & perniciem attulissent, & hoc etiam iuxta superiorem iuris totius regulam. Quòd si per leges Ordinamenti dilatati sunt Regiæ Curiæ termini, ita vt leucæ vnius loco, quinque iam numerentur, secundùm quod Iurisdictionum lites, nocẽtum exilia, aliáque huiusmodi in supremis Castellæ senatibus hodie iudicantur: id pro Augustiore potentissimorum Hispaniæ Regum maiestate effectum quidem, sed ob immortalem Serenissimi Regis Alphonsi sapientis meritò nuncupati memoriam, & venerandam Antiquitatis dignitatem obtentum est, vt leucæ illæ quinque, & cæteræ omnes ad iurisdictionem pertinentes, trium milliariorum duntaxat iuxta Regis Alphõsi placita, esse intelligantur.

Cap. Odia, cum similibus. De regul. iuris in 6. l. 21. tt. 9. part. 7. & l. 17. tt. 9. part. 1. ac l. 8. tt. 31. part. 7. leg. 2. titulo 11. lib. 1. Ordinamẽti.

Plures fuisse fluuios Lethes nomine, vnicum in Hispania nostra, neque illum, vt vulgò creditur, qui hodie Guadalete.

CAP. XLV.

DLures fuisse Lethes nomine fluuios (fabuloso illo Inferorum prætermisso, de quo Vergilius, eiúsque interpres Seruius, nec non & Macrobius in Somnium Scipionis) testatur nobilis autor Strabo (inquit ille) *ab Epheso est Magnesia Æoli-a vrbs, quæ ad Mæandrum cognomento dicitur, vicina est enim Mæandro: sed vicinior vrbi lethæus fluuius, qui à Pactya Ephesiorum monte ortus in Mæandrum influit. Alius est Lethæus amnis apud Gortynem, alius apud Triccam, ad quem Æsculapius dicitur natus, & alius apud Hesperitas, seu occidnos Afros.* Cretensis meminerat idem priùs, sed & alij autores, quorundam ex his meminêre. Ptolemæus Cretensis, nec non & Afri Berenicem, seu Hesperides vrbem abluentis, quem tamẽ ille Lethon vocat, sicut & Plinius, & eius assecla Solinus Lethon; eundem autem esse cum Lethæo Strabonis apud Hesperitas Afros planè indicant ipsorum verba, eundem illi situm tribuentia. Plinius in Cyrenaica. *Berenice in Syrtis extremo cornu est,*

Æneid. 6. Macrob. l. 1. c. 10. & 12.

Strabo l. 14

Strabo l. 10

Ptolem. Tabul. Europæ 10.

Idem Tab. Africæ 3.

l. 5. cap. 5

est, quondam vocata Hesperidum suprà dictarum vagantibus Græciæ fabulis. Nec procul ante oppidum Fluuius Lethon, lucus sacer, vbi Hesperidum horti memorantur. Solinus, qui etiam mentionem fecerat
cap. 16. c. 40. alterius Cretensis Lethæi, ita de hoc. *Circa extremum Syrtium cornu Berenicem ciuitatem alluit Lethõ amnis, inferna, vt putant, exundatione prorumpens, & apud pristinos vates latice memoratus obluionis.* Sed clariùs id ostendit conciuis meus Lucanus de Syrtibus, ac Tritonide agens palude.

Quam iuxta Lethes tacitus prælabitur amnis,
Infernis, vt fama, trahens obliuia venis:
Atque insopiti quondam tutela Draconis,
Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.

In scholiis ad dictum l. 14. Strab.

Qui poëtę locus absque dubio præteriit eruditissimum Casaubonum, neque enim, si illius meminisset, malè Strabonem Hesperitas Afros, malèque apud eos Lethen posuisse fluuium asseruisset: rectiùs verò in hoc interpres Ptolemæi Maginus. Fuit & præter hos alius in Hispania nostra Lethes amnis in Lusitania, vt quibusdam, in Tarraconensi, vt aliis placet, apud Callaicos, siue Gallæcos, qui & Limæa dictus antiquitùs Strabo-
lib. 3. ni, & Plinio, Limium Ptolemæo, Limia Pomponio. nec non & ipsi Plinio, hodiéque nomen retinet, Limia dictus. Strabo ipse enumeratis aliis tractus illius fluuiis. *Alia porrò flumina, post que & Lethes, quod à plerisque Limæa vocitatur, ab aliis Belion, & hoc ex Celtiberis, & Vaccæis labitur.* Hæc ille; deceptus autem in eo, quòd ait Limiam à Celti-
De antiq. Lusitan. l. 2. beris, & Vacceis fluere: non longè enim oritur (vt ait Resendius) ex palustribus quibusdã locis

inter

inter Aquicaldenſem vrbem, vulgò Orenſe, & oppidum Montem Regium; tractúſque ille vulgò Limia dicitur. Sed & in hoc Strabonis loco vertendo non admodum integra fide vſus Xilãder, dum vertit. *Ac poſt hos Lethes, id eſt obliuionis amnis*, &c. Acura certè coniectura, quaſi autor ad Latinum nomen reſpicere voluiſſet, niſi conſtanter Codices omnes Βελίωνα, Beliona haberent, vt rectè aduertit Caſaubonus; atque ita in hac parte antiqua verſio Guarini Veronenſis, Gregorij Trifernatis, Conradíque Heresbachij magis nobis probatur. Mentionem fecêre fluuij huius Pomponius Mela; *Fluunt per eos Auo, Celandus, Nebis, Minius, & cui Obliuionis cognomen eſt, Limia.* Plinius, *Ab Minio, quem ſuprà diximus, C C. M. paſſuum (vt autor eſt Varro) abeſt Æminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limæam vocant, obliuionis antiquis dictus, multúmque fabuloſus.* Liuij abbreuiator. *D. Iunius Luſitaniam vrbium expugnationibus vſque ad Oceanum perdomuit, & cum fluuium tranſire nollent, raptum ſignifero ſignum ipſe tranſtulit, & ſic vt tranſgrederentur milites, perſuaſit.* Vbi tamen aduerte, non *obliuionem* in recto, ſed *obliuionum*, aut *Obliuionis*, in obliquo ſingularis, aut pluralis numeri legendũ, quod peccatum etiam in Appiano deprehendes, is ita. *Sextus Iunius Brutus in Hiſpaniam miſſus, feſſus per tam longam oram, quantam Tagus, & Lethe, & Darias, & Bætis nauigabilia flumina ambiunt, perſequendis conſtitit.* Et inferiùs. *Atque in Lethen flumen peruenit* (Brutus) *ipſéque primus Romanorum de eius tranſitu cogitauit.* Duplex etiam

lib. 3. c. 1. l. 4. c. 22.

lib. 55.

De bellis Hiſpanienſibus.

in his animaduerte erratum (vt mendosus hic circumfertur autor) Dariam, vocat Durium, aut Duriam, & Sextum Iunium Brutum, quem Aulum æquo iure cum Appiano de mendaciis certans appellat Paterculus, cùm Decimi prænomẽ illi tribuant Liuius, Plutarchus, Florus, Tabulæ Capitolinæ Consulares, & triumphales, Cassiodorus, ac Panuinus, quin & nummus quidã noster argenteus Denarius, qui D. CALAIC. habet; sed ad Lethen. Plutarchus. *Decimus Brutus, vt extat apud Ciceronem, Decembri hoc agebat. Hic fuit qui Lusitaniæ arma intulit, & princeps vlteriùs progressus Lethes amnem superauit.* Florus. *Decimus Brutus aliquanto latiùs Gallæcos, atque omnes Gallæciæ populos, formidatúmque militibus flumen obliuionis*, &c. Silius.

In Quæst. Centur. Roman.

De gestis Roman. l. 2. c. 17.

lib. 1.

Quique super Grauios lucentes voluit arenas,
Infernæ populis referens obliuia Lethes.

Grauij porrò citerioris Hispaniæ populi iidem qui Graij. Silius ipse.

lib. 3.

Et quos nunc Grauios violato nomine Graiûm,
Oeneæ misêre domus, Ætoláque Tyde.

Eodem l. 4. c. 20. Plinius. *A Cilenis conuentus Bracarum, Heleni, Grauij, castellum Tyde, Græcorum sobolis omnia.* Ob quam verò causam Limia Lethes fluuius dictus fuerit,

Eodem l. 3. aperuit nobis Strabo. *Ferunt enim* (inquit) *inter hos* (Celticos) *& Turdulos, cùm fecissent expeditionem eo Limæo, quem diximus flumine transito ortam seditionem: ad quam cùm accessisset ducis obitus, mansisse illos ibi dispersos, indéque obliuionis fluuio factum nomen.* Verùm neque nostrates historici huius

obliti

obliti lerhes fluuij, Limia, vt diximus antiquo retento nomine, hodie dicti, quandoquidem Hiſpaniarum Magiſter Nebriſſenſis, Andreas Reſcédius Luſitanus, conciuis meus Ambroſius Morales, Andreas Pozza Cantaber, quanuis paucis de illo egêre, ſed ante horum nonnullos Florianus de Ocampo, qui & cauſam cognominis, quam nos ex Strabone, etiam ex neſcio quo Iuliano Luca Diacono retulit latè; ſed bonus ille vir alium eſſe Lethen fluuium in Bœtica noſtra (neſcio an primus) aſſeruit, cùm & Magiſter Petrus de Medina eiuſdem ætatis ſcriptor idem ſenſerit. Senſit id & Andreas Pozza, omnes reuera ex vulgi ſententia, quin & nominis cauſam non valde diſſimilem aſſignarunt ſuperioris alterius Lethes Florianus, & Medina: hunc porrò fluuium eſſe aiunt qui hodie *Guadalete* dictus oritur ex quodam Oroſpedæ montis latere, vulgò *Serrania de Ronda*, præterlabénſque vrbes Arcobrigam, vulgò Arcos, & quam nunc *Xerez de la Frontera*. Xeram olim dixit Stephanus, vt credo cum Aldrete noſtro, ad Meneſthei portum, hodie, *de Santa Maria*, in Oceanum influit, dici tamen iam *Guadalete* affirmant ex eo, quòd Sarraceni Mauri Hiſpania capta huic fluuio, Lethe dicto, *Guidil*, nomen cum articulo addiderint, quod Arabica ipſorum lingua flumen ſonat (licet nos *Guadal* corruptè dicamus) quemadmodum & Anæ, quod Guadiana. Aptè quidem (ita viuam) quadrat nomen, vtinam & idem dici poſſet de Antiquorum ſcriptis; At quis quæſo hominum apud vllum eorum illum Lethes fluuium in Bœtica legit vn-

Nebriſſ. in Deſcript. & de flumin. Hiſp. ante decades. Reſcend. vbi ſuprà. Moral. Hiſp. hiſt. l. 8. c. 5. Pozz. de Antiq Hiſp. pop. Florian. l. 3. hiſt. c. 38. & l. 2. cap. 37. Medin. de mirandis Hiſpaniæ c. 59.

quam? Meminêre vetères apud ignotos penè Gallæcos fluentis Lethes, neque meminissent per mediam decurrentis Bæticam? Toram descripsere Bœticæ minutatim oram maritimam, & adeò vel fabuloso nomine celebrem prætermisissent fluuium? Ptolemæus & Strabo Æstuarij, quod iuxta Astam est, & Menesthei portus mentionem fecêre qûa, nimirum in mare prorumpit Guadalete fluuius, neque verò apud ipsos de illo vel vnicum verbum, cùm tamen constet Astam extitisse iuxta portum prædictum, & adhuc nomen retineat campus ille *Mesa de Asta* ab incolis dictus. Quid igitur sentiendum? non minùs certè fabulosum hunc, & imaginarium Lethen, quàm fuerit infernus, noménque post Maurorum inundationem ab ipsismet sortitum Mauris, cùm priùs non inueniatur. Cæterùm (si coniecturæ locus est) credam ego hoc illi nomen inditum à prædictis, à *Guid*, quod est fluuius, vt diximus, licèt nos *Guad*, pronũciemus, & *ledet*, quod Arabicè delectationem significat cum Arabico articulo, *il*, seu, *al*, interpositro, vt in Guadalquiuir, Guadalerce, &c. ita vt, *Guadalledet*, compositum ex hisce nomen, flumen delectationis significet, vel ob terræ, quam præterfluit, amœnitatem, vel, quod fortasse verius, à delectatione, quam ex deuicta, debellataque ab ipsis ad illud flumen tota Gotthorum gente cum suo Rege Roderico Mauri percepêre, inde enim eorum in Hispania ortum Imperium: voce tamen hac tractu temporis aliquantulùm immutata, & corrupta pro *Guadalledet*, *Guadalete*, vocitatum fluuium. Ita

Vbi suprà.

mea

mea fert opinio, quam neſcio an perſuadere poſſim nimios quoſdam Antiquitatis pſeudoamatores, eos ſcilicet, quia à Brigis, Bætis, Gerionibus, & Herculibus, vel inanibus coniecturis omnia volũt ædificata oppida, mõtes omnes, omnes fluuios nomen accepiſſe. Sed oſtendãt illi, quęſo, apud antiquorum aliquem Bætici Lethes nomen, & ego palinodiam canens in eorum ſententiam pedibus ibo.

Caſtam fuiſſe Penelopem; Vlyſſis mortem in mari; Dictym Cretenſem commentitium ſcriptorem aduerſus Floridum Sabinum.

CAP. XLVI.

ET mortuarum etiam fœminarum honori multorum ſæculorum laudibus celebri (proh pudor) à recẽtioribus Criticis bellum indicitur. Lyricæ Etruſcorum poëſeos Principem Franciſcum Petrarcham ea de cauſa reprehendit Sabinus, quòd Homerum poëtarum omnium Ariſtotele teſte prototypum ſecutus Petrarcha in Caſtitatis triumpho Penelopem Vlyſſis vxorem his verſibus, vt pudicam concelebret.

Lectionum ſucciſiuarũ l. 3. c. 2.

Ma d'alquante dirò che 'n su la cima
Son di vera honestate, infra le quali
Lucretia dà man dextra era la prima.
L'altra è Penelope; queste gli strali,
E la pharetra, e l'arco hauean spezzato
Aquel proteruo, & spenacchiate l'ali.

Petrarcham itaque Sabinus, aut nunquam legisse, aut non meminisse ait Lycophronem in Alexandra, Penelopem scortantem appellare. Maximum ecce peccatum diuinissimi poëtæ non legisse, aut sequi noluisse Lycophronem, sed Homerum potiùs, & omnes ferè antiquos. Ipsius tamen Lycophronis interpres Ioannes Tzetzes, quid senserit, videamus. Hæc enim ille. *Nunc Bassaram dicit Penelopem, hoc est scortantem. Duris enim Samius in libro de Agathocle ipsam cum omnibus procis coiisse, ac Pana hircina crura habentem genuisse dicit. Quod verum non est; hic enim Mercurij, & alterius Penelopes filius fuit. Alter autem Pan Iouis, & Hybreos.* Adhuc Tzetzes; pro sua etiam opinione testimonium adducit Sabinus historiæ patris Herodoti: is enim (licèt locum ille non citet) ita in Euterpe. *Ex hac* (Penelope nimirum) *& Mercurio Pan à Græcis genitus dicitur.* Cæterùm quod ad Lycophronem attinet; Βάσσαρα, quanuis prostitutam, & scortantem significet mulierem, significat etiam Baccham, seu bacchantem. Persius

Siue l. 20.

Satyra 1.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Menas flexura corymbis.

Statius Papinius.

l. Syluar. 2.

Bassaridum rotator Euan.

nam & Bassarus ipse Bacchus, ac Bassareus.

Orpheus

Orpheus in hymno.

Huc fœlix Dionysse veni, sate fulminis igne,
Bassare tauriformis.

Horatius. l. Carm. 18. Ode 18.

——Non ego te candide Bassareu,
Inuitum quatiam.

dictus vel ἀπὸ τοῦ βάζω, quod est declamo, vociferor, vt quidam volunt; vel à genere vestis, qua ille vsus, Bassara à ciuitate Lydiæ cognomine, vbi fiebat, appellatæ; vel à vulpibus, quarum pellibus succingebantur bacchantes: vulpes nanque à Thracibus Bassares dictæ. Videndi Porphirion, & Acron in Horatium, Cornutus Grammaticus in prædictos Persij versus. Fortasse itaque Lycophron Bassaram in hac significatione appellauit Penelopem, eo quòd tumultuantium Procorum ipsa frequentaret conuiuia; quòd si nomen illud in alio accepit sensu, audiendus non est, quippe qui fabulosa referat. Quomodo enim Pan ex Procorum omnium semine procreatus? quomodo hircina habens crura natus est, nisi secundùm fabulas? iure igitur Tzetzes ex Mercurio, & alia Penolope natum dicit, quod ipsum voluit Herodotus, cùm minùs annorum ait esse ab hoc Penelopes, & Mercurij filio, quàm à bello Troiano, quod quidem secus esset, si Penelopes & Vlyssis filius extitisset; tempore enim Troiani belli, aut circumcirca debuisset nasci Pan ille. Atque ita etiam intelligendus Plutarchus, cùm Pana dicit interiisse Mercurij, & Penelopes filiũ, quanuis hic etiam Pan fabulosus fuerit. Lylius Gregorius Gyraldus, qui ex aliquorum sententia

De Oraculorum defectu.

De hist. Deor. Syntag. 15.

Vlyssis, & Penelopes filium dicit Pana, sic demũ hac de re. *Sed quod retulimus eum natum ex Mercurio, & Penelope; fabulæ ferunt Mercurium in bircum mutatum, & amatum fuisse à Penelope, quæ cum eo concumbens Pana pepererit, & ipse Pan propterea bircipes fuerit.* Pausanias certè (quem miror non vidisse Sabinum, nam pro firmissimo erroris sui fundamento eius apposuisset testimonium) non admodum congruè sentire Mantinenses de Penelope ait, his verbis. *A dextra excelsum tumulum terræ, Penelopæ sepulchrum id esse aiunt, qua in re à poëmate dissentiunt, quod Thesprotis nominatur, hîc enim dicitur Penelopem Vlyssi ex bello Troiano reuerso peperisse puerum Ptoliportem. Mantinenses aiunt Penelopem ab Vlysse damnatam tanquam Procopos domum induxisset, atque ideo repudiatam. hanc deinde Lacædemonem esse profectam, & aliquanto post Lacædemone Mantineam commigrasse, ibique è viuis sublatam.* Ita Pausanias. Sed vtrùm Mantinensibus in hac re adhibenda fides, nécne, videbitur inferiùs: præterquàm quòd neque hi tanquam adulterij conuictam, ab Vlysse repudiatam dixêre, sed ea solùm de causa, quòd Procos domum induxerit: Principum enim virorum domus (vt de sua dixit Cæsar teste Plutarcho) omni adulterij suspicione vacare debent. Iam tamen quid omnis Antiquitas de Penelope senserit, videamus. Et quidem grauissimus autor, cuius sufficeret testimonium, modò nominatus Plutarchus. *Sapiens* (inquit) *Vlysses, pudica Penelope, quapropter faustum, ac fœlix horum coniugium.* Eius verba suppresso nomine retulit Rhodiginus. Lepidissimum quoddam

In Arcadicis.

In vita Cæsaris.

In præcept. cõnubialib. l. 28. lect. Antiq. c. 21.

quoddam Græcum epigramma, quod vertit Alciatus, hoc inter alia.

Nam bona ſit quãuis mulier, mala plurima gignit, l.1.Epigra. Græcor.
Nos Helena exemplo, Penelopeq́ iuuent.
Fecerat hæc ruerent ſacræ tecta ardua Troiæ,
Sanguineas flueret Xanthus vt altus aquas.
Illa autem dum caſta procos ſpe ludit inani,
Atria purpureo plena cruore videt.

Quòd ſi fidem aliquam facere poſſet commentitius ille Dictys Cretenſis libellus, malè à Sabino pro claſſico adductus, vt inferiùs dicetur, ſic ille reditum enarrrans Vlyſſis in Itacham. *Dein per ciuitatem Vlyſſem aduentaſſe popularibus cognitum eſt, à quibus benignè, & cum fauore exceptus, cuncta quæ domi geſta erant, cognoſcit, aut ſuppliciis meritos, aut donis afficit: de Penelope, eiuſq́ pudicitia præclara fama.* Latini verò autores vno ore miris laudibus Penelopes celebrant pudicitiam, quicquid Floridus fruſtrà ipſorum ſcripta in ſuam retorquere conetur opinionem, ſentire enim hoc viſus Cicero, qui vulgari de Penelopes tela vſus eſt adagio. *Quid? quod eadem illa ars* (Dialectica) *quaſi Penelope retexens tollit ad extremum ſuperiora.* l.7.in fine. Academic. 4.

Horatius.

Non te Penelopem difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens. l.Carm.3. Ode 10.

Idem alibi munerum vim oſtendere volens ex perſona Tireſiæ.

Laudato; Scortator erit? caue te roget: vltrò
Penelopem facilis potiori trade: putáſne?
Perduci poterit tam frugi, tamq́ pudica,
Quam nequiuêre proci recto depellere curſu? Satyr.l.2. Satyr.5.

Venit enim magnum donandi parca iuuentus,
Nec tantùm Veneris, quantùm studiosa culinæ.
Sic tibi Penelope frugi est.

Propertius.

Elegiar. l.2. *Fœlix Admeti coniux, & lectus Vlyssis,*
Et quæcunque viri fœmina limen amat.

Ibidem. &, *Penelope poterat bis denos salua per annos*
Viuere, tam multis fœmina digna procis.
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.
Visura & quanuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum expectando facta remansit anus.

Idem demum postquam longas Vlyssis peregrinantis moras latè recensuisset, subdit.

l.Eleg.3. *Nec frustrà, quia casta domi persederat vxor:*
Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

Quod quidem ante Propertium voluit procul-dubio Catullus in fine Epithalamij Iuliæ & Mallij.

Talis illius à bona
Matre laus genus adprobet,
Qualis vnica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopæo.

Ouidius post hos.

l.Amor. 3. Eleg.4. *Penelope mansit, quanuis custode careret,*
Inter tam multos intemerata procos.

Et de Penelopes natali die in Tristium libris agens.

l.5.Eleg.6. *Nata pudicitia est, mores, probitasq́; fideq́;,*
At non sunt ista gaudia nata die.

& subdit.

Si

Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Penelope fœlix, sed sine laude foret.

Denique.

Nomen inextinctum Penelopea fides.

Martialis, quantumuis mordax, de quadam Læuina, quæ casta ad Baianas aquas venerat, adulrera abierat, hæc in Epigrammatis fine. Eodem l. Eleg. 15.

Incidit in flammas, iuuenemq; secuta relicto
Coniuge, Penelope venit, abiit Helenæ. l. 1. Epig. 63.

qui alibi pudicam Penelopem dicit. Claudianus in laud. Serenæ.

Penelope decus atque suum, cui tanta paratur
Scena pudicitiæ.

Et mox.

Penelope trahat arte procos, fallatq; furentes,
Stamina nocturnæ relegens solertia telæ.

Ausonius.

Intemerata procis, & tot seruata per annos
Oscula, vix ipsi cognita Telemacho.

Et alia multa: nam de ea integrum extat huius poëtæ sub prædicto initio integrum Epigramma. Quòd si Priapei carminis Lasciuus autor Penelopem aliquantulum perstrinxisse videatur his verbis.

Quæ sic casta manes, vt iam conuiuia visas,
Vtq; ..... sit tua plena domus.
E quibus, vt scires quicunque valentior esset,
Hæc es ad ..... verba locuta procos;
Nemo meo melius arcum tendebat Vlysse,
Siue illi laterum, seu fuit artis opus.
Qui quopiam periit, modò vos intendite, qualem
Esse virum sciro, vir sit vt ille meus.

dempta

dempta quidem obscœnitate verborum, reliqua ad historiam referenda; constat enim Penelopem, cùm certò sciret procorum nullum coniugis sui Vlyssis durissimum corneum arcum, quem apud se habebat, intendere posse, illos arcum intendere iussisse hac proposita conditione, vt ei, qui meliùs intenderet, ipsa deberet nubere; quod cum nullus facere valeret, postliminiò demum reuersus Ithacam Vlysses, arcum solus intendens, agnitus est; & sic intelligendi Propertius, & Ouidius. ille dum ait.

1. Elegiar. 3. *Et veteres arcus letho renouasse procorum.*

Naso autem in Amorum libris.

1. 1. Elegia. 8. *Penelope vires iuuenum tentabat in arcu,*
Qui latus argueret corneus arcus erat.

Quòd si domum procos induxit Penelope, ac cum illis conuiuia frequentabat, coacta certè hoc fecit, atque ideo in culpa non fuit, quare meritò Ouidius ipsam hæc marito scribentem inducit.

In Heroidibus. *Dulichij, Samiiq; & quos tulit alta Zazinthos,*
Turbaruunt in me luxuriosa proci.
Inq; tua regnant nullis prohibentibus aula,
Viscera nostra tuæ dilaniantur opes.
Tres sumus imbelles numero, sine viribus vxor,
Laërtesq; senex, Telemachusq; puer.

Atque hæc classici ferè omnes autores de Penelopes nunquam satis laudata, atque vniuerso terrarum orbi ita probata pudicitia, vt iure Etruscus ille alter Poëta dixerit, exemplum adducere volens inuersæ historiæ.

I Græci vincti, e Troia vincitrice,
Ecbe Penelopea fù meretrice.

Neque

Neque immeritò, si ipsa fari posset Penelope, cum Sabino de iniuriis expostularet, ac velut Vergilianus diceret Polydorus.

Quid miseram Sabine laceras? iam parce sepultæ. Æneid.3.

De Vlyssis verò morte idemmet Franciscus Floridus Sabinus hæc tradit. Vlyssem à Telegono ipsius, & Circes filio occisum esse, & hoc Homeri testimonio conatur confirmare; sic enim apud eum Tiresiæ vatis de Vlyssis morte vaticinium.

——At mors tibi talis ab alto. Odysseæ. λ. siue l.11.
Dura mari veniet, quæ te voluentibus annis
Maturo domet in senio, populi quoque circùm
Pollebunt opibus; vera hæc tibi singula narro.

Cæterum his verbis nihil minùs, quàm Sabini sententiam confirmat Homerus: potiùs enim in mari moriturum videtur voluisse, quin & iuxta Hispaniam nostram. Atque ita mortuum in Atlantico nimirum Oceano iuxta Hispaniam, huius opinionis (vt credo) primus assertor, testatus est nobilis, & antiquus Etruscus poëta Dantes Aligerius Florentinus in suo inferno, quem sequutus est Petrus Antonius Beuter Valentinus, minimè vulgaris autor Hispanicæ historiæ; ex quibus omnibus, aut saltem ex Dãte suam assumpsit opinionem circa Vlyssis mortem immortalis memorię Tassus filius in diuino illo suo Hierusalem liberatæ opere, in quo cum de Herculeis egisset columnis, hæc subdidit. Canto.26. in fine. l.1 cap.12.

Ma quei segni sprezzo, ch' egli prescrisse
Di veder vago, e di sapere Vlysse.
Ei passo le colonne, e per l'aperto
Mare spiegò de remi il volo audace,

Mà

Mà non giouogli esser nell'onde experto
Per che in ghiotillo l'Ocean vorace;
E giacque col suo corpo anco coperto
Il suo grand caso ch' hor trà voi sitace.

Vtrumque verò, & mortuum in mari, & iuxta Hispaniam ex Homero quidem colligi potest, cùm mortem illi è mari venturam dixerit iuxta populos opibus pollentes, quales olim Hispanorum inter cęteros orbis totius antiquissimis illis temporibus Diodoro, Trogo Pomp. Strabone, Mela, Solino, atque ipsamet Scriptura sacra in Machabæorum libris attestantibus. Cui sententiæ potiùs certè adhærerem ego, quàm Sabini, nam & aliquibus potest coniecturis corroborari. Primò, quia iuxta Hispaniã nostram extra columnas Herculeas in vasto illo Atlãtico Oceano peregrinarum fuisse Vlyssem (quicquid dicant Seruius Grammaticus in illud ex 6. Æneidos. *Dicitur & tenebrosa palus Acheronte refuso*, & alij) tenent autores non contemnendi, Crates apud A. Gelliũ, Strabo ex antiquiorũ sentẽtia, Solinus, Martianus, quod & sẽtire visus est Seneca noster. *Quæris* (inquit ille) *Vlysses vbi errauerit? potiùs quà efficias ne nos sẽper erremus. Nõ vacat audire, vtrùm inter Italiam, & Siciliam, an extra notũ nobis orbem: neque enim in tam angusto error potuit esse tam longus.* Secundò, quia varietas opinionũ circa mortis Vlyssis genus, occultam eam antiquitati fuisse, ac proinde inter vastissimos procellosi maris fluctus ei contigisse, facit vt suspicemur, nam in Italia sepultum in Tyrrhenia nimirum, quò peruenerat postquam eum Neoptolemus, ne à cognatis

Diodor. l. 6. c. 9.
Trog. l. 44.
Strab. l. 3.
Mel. 2. c. 6.
Solin. c. 26.
Machab. l. 1. c. 8.
A. Gell. l. 14. cap. 6.
Stra. l. 1. & 3.
Solin. vbi suprà.
Martian. l. 6.
Senec. epist. l. 13. ep. 89.

gnatis occideretur, Cephallonia, & Ithaca cedere iusserat. Docet Aristoteles in Peplo (si modò opus illud Aristotelis, dubitatur enim à plerisque doctis) citatus etiam à P. Martino Antonio Delrio in Troadibus Senecæ. sic igitur Pepli autor sub lemmate *Vlyssis in Tyrrhenia siti, seu sepulti.*

Prudentem, celebremq; virum post aspera fata,
Hoc gratus tumuli cespite celat honor.

Aliud.

Quem propter fœlix experta est Græcia bellum,
Illius hic tumulus clarus Vlyssis erit.

Sextus Empiricus ita de eius obitu. *Deinde cùm aliquis quidem dicit, quòd Vlysses à Telegono filio per imprudentiam sit interemptus: aliquis autem quòd cùm Larus marinæ turturis stimulum immisisset, eum occiderit; alij autem quòd mutatus sit in formam equi.* Denique, quia testimonia autorum, quibus suam nititur astruere opinionem Sabinus, parum habent virium. Didymus enim nihil aliud quàm recentiorum figmentum esse dicit, Vlyssem à Telegono filio turturis osse occisum affirmare. At Lucianus in veris historiis, Vlyssem Calipsoni è beatorum insulis ita scribentem inducit. *Tandem ipse Telegono quem ex Circe susceperam, è medio sublatus sum.* Verùm quanta adhibenda sit fides rebus in illis libris verarum historiarum, seu narrationum contentis, perlegens iudicabit vnusquisque. Aliud Sabini testimonium est ex Dictys Cretensis de bello Troiano libellis, qui prædicta Vlyssis morte terminantur. Sed commentitium planè Dictym illum esse, ac eiusdem farinæ cum Aniano Berosso, Metasthene, Manethone, Myrsilo Lesbio,

Aduersus Mathemat. c. 16.

lib. 2.

Lesbio, Fabio Pictore, Catone de Originibus, Xenophonte de Æquiuocis, Archiloco, ac Philone de temporibus, nullus certè sanæ mentis inficias ibit. Quanuis enim verum esset extitisse huius nominis historicum, eius tamen scripta ad nos non peruenisse, illud apertissimè probat, quòd huius historiæ, vel mirabilis illius inuentionis, aut oblationis Neroni principi factæ (vt fabulosa Septimij Romani Epistola operis illius initio præfixa narrat) nunquam Seneca, Tranquillus, Plinius, Tacitus, Plutarchus, Dion Cassius, Eusebius Cæsariẽsis, Sextus Aurelius, Orosius, Eutropius, aut alij meminêre antiqui scriptores, cùm tamen illorum aliqui Neronianorum temporum res minutim, ac diligenter scripserint, vt beneno-
tauit P. Posseuinus, supposititia esse probans, quę
cap. 16. Bibliot. l. 1. huius autoris nomine circumferuntur scripta in secundo argumẽto, nam primo illius veram non esse affirmantis hãc historiam ex eo, quòd Liuius, Velleius, Trogus, ac Diodorus, si illam ad manus habuissent, non ita timidè res scripsissent Troianas, satis quidem fecisset istius commenti auctor in fabulosa illa, quam diximus, epistola, latuisse opus illud in Gnoso Cretæ ciuitate vsque ad Neronis tempora asseuerans, quibus quidem temporibus Liuius, Velleius, Trogus, ac Diodorus antiquiores fuerunt. Adde quòd opus illud iam soluta oratione totum, iam soluta partim, partim hexametris versibus, ac longè diuerso principio conscriptum legitur, vt euidentiùs appareat falsitas. Et hæc de Penelope, Vlysse, ac Dicty Cretensi abundè satis.

Vlyssis peregrinantis monumenta conser-uata in Hispania, interea Olyssiponem nobilissimam vrbem; & an hæc eadem cum Vlyssa Strabonis, an verò diuersa?

CAP. XLVII.

VTrumque mare nostrum errabundum adnauigasse Vlyssem ostendimus nos ex Cratete apud A. Gellium, pluribus apud Strabonem, Strabone ipso, Solino, Martiano, & Seneca nostro, qui enim intra Italiam duntaxat, ac Siciliam toto decennio peregrinatum dicunt, quantumuis probatæ autoritatis interpretes, audiendi minimè sunt; neque enim, vt verbis iterum Senecæ vtar, *In tam angusto error potuit esse tam longus*. Et quidem erroris monumenta extare in Hispania, Vlysseam nimirum vrbem, in eáque Mineruæ fanum ex Possidonio, & Artemidoro tradidit Strabo, sed ex Asclepiade Myrleano præcipuè, qui in Turdita Grammaticam docuit, & gentium earum edidit descriptionem; is namque in Mineruæ fano affixa esse scuta, & summa nauium rostra testatus est. Sed & sexcenta alia errorum Vlyssis vestigia ostendi in Hispania idem affirmauit Strabo. Porrò Olyssiponensem vrbem totius hodie Chri-

A. G. l. 14 c. 6.
Strab. l. 1. & 3.
Solin. cap. 36.
Martian. l. 6.
l. epist. 13. epist. 89.
l. 3.

ſtiani orbis ſiue opum, ſiue ciuium copia in paucis nobiliſſimam, in Tagi fluminis ripa ad occiduum ſitam Oceanum ab Vlyſſe conditam dicunt Solinus. *Ibi oppidum Vlyſſipo ab Vlyſſe conditum, ibi Tagus flumen.* Martianus Capella. *Olyſſipone illic oppidum ab Vlyſſe conditum ferunt, ex cuius nomine promontorium, quod maria, terraſq; diſtinguit.* Iſidorus noſter. *Vlyſſipona ab Vlyſſe condita, & nuncupata: quo loco, ſicut hiſtoriographi dicunt, cœlum à terra, & maria diſiunguntur à terris.* Quam quidem opinionem de ſuæ ciuitatis origine Olyſſiponenſes ciues (multos enim noſtratum recentiorum conſultò prætereo) traditione à maioribus per manus accepta, tenent hodie, vt in Æde Diuo Paulo ſacra ad fluminis ripam non inelegans oſtendit epigramma, Latio conſcriptum ſermone, quicquid diuerſum, imò & fabuloſum tradat Sereniſſimi Regis Alphonſi Sapientis dicti iuſſu conſcripta generalis Hiſpaniæ hiſtoria. Vlyſſipo autẽ Solini (vt & hoc dicamus) Iſidori, & aliorũ eadẽ cum Olyſſipone Plinij, & Martiani, nec non eiuſdẽ Iſidori Olyſſepona alibi, mutato, O micrõ Græco in V. Latinũ, ſicut in Vlyſſe fit, eadem etiã cũ Oliosipone Ptolemęi, Olyſſimpone Antonini, vt ex ſitu luce clariùs legentibus patebit: incertũ tamen eſt an eadem cum Vlyſſis Stephani. Maius quidem dubium eſt, an eadem vrbs hæc Vlyſſipo cam Vlyſſea Strabonis: nomen certè idem, ferme idem prorſus auror, indéque effectum vt hiſce veluti firmiſſimis coniecturis vnam & eandem vrbem eſſe crediderint recentiores, plurimi tam exteri, quàm noſtrates (neque enim hac in re antiquos

Vbi ſuprà. Vbi ſuprà

1 Origin. 25. cap. 1.

1. parte. cap. 7.

In Sueuorũ hiſtoria.

tiquos elaborasse reperio)ante omnes, vt credo, ex alienigenis Raphael Volaterranus in sua Geographia, Villanouanus Ptolemæi paraphrastes, Laurentis Anania, Abrahamus Ortelius in suo Thesauro. Ex nostris verò Magister Antonius Nebrissensis, Marineus Siculus Catholicorũ Regg. Ferdinandi, & Elizabethæ Regius Historiographus, vt & Florianus de Ocampo Diuæ memorię Karoli V. Imperatoris, ac Regis, Petrus de Medina, Vasæus in sua Hispania, Franciscus Tarapha, Andreas Pozza, P. Ioannes Mariana, & alij nonnulli: quorum sentẽtiis Isaacus Casaubonus politissimæ literaturæ vir, in scholiis in Strabonem minus acquiescens, hanc duntaxat proposuit dubitationem, eámque doctis (vt ille ait) Hispanorum quærendam reliquit. Abrahamus Ortelius diligens aliàs scriptor, vel parum sibi constans, vel parum memor eorum, quæ in suo docuerat Thesauro, in recentioribus Theatri orbis editionibus Vlyssis describens errores, Vlyssiponem, & Vlysseam vrbes à Strabone in Hispania sitas, falsò retulit, cùm nullius præterquàm Vlyssææ meminerit vnquàm Strabo. Primus certè (quod sciam) amicus noster Bernardus Aldrete (cuius laudes satius duco reticere, quàm indignè proloqui) in eruditissimo illo, quod,

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Originis Castellanæ linguæ tractatu, duas esse diuersas vrbes Olyssiponem, & Vlysseam affirmat. Perpensis igitur, ac diligenter examinatis locis Antiquorum, qui hac de re mentionem fecere, pudet, sed necesse est fateri recentiores omnes,

Volater. l. 2. Anan. Fabrica del mõdo. trat. Nebrissens. ante Decad. Marin. l. hi. Hisp. 2. c. 3. Flor. l. hist. 1. cap. 43. Med. Grandezas de Espan. c. 61. Vasæus Hispan. tom. 1. c. 10. Taraph. de Regibus Hispan. Pozza de Hisp. popul. Marian. de Rebus Hispan. c. 12. In librum 3. l. 3. cap. 1.

tam exteros, quàm nostrates, quãrumuis doctos, vnam & eandem esse vrbem Vlyssiponem cum Vlyssea credentes, nominum ductos affinitate, toto (vt aiunt) errare cœlo, Vlyssipo enim celeberrima (vt diximus) Lusitaniæ ciuitas, vulgò *Lisboa*, bene à Ptolemæo, Plinio, Solino, Martino, Isidoro, & aliis ad Tagi ripam, vt reuera est, collocatur in ipsomet fluuij ostio, quâ nimirum ille in Occidentalem influit Oceanum, Vlyssea verò Strabonis, quæ nunc non extat, in Malacæ vrbis, non ignobilis Mediterranei maris emporij montanis visebatur locis, in eáque Mineruæ fanum, vt tribus, qui illas peragrarunt regiones, oculatis testibus, quorum vnus sufficeret P. Silonius, ipsemet probauit Strabo, ita enim ille. *In hac ora prima vrbs est Malaca tanto à Calpe quãtum ab hac Gades interuallo: ea habet emporiũ, quo vtuntur qui in opposito littore viuunt, multumq; ibi conficitur salsamenti. Sunt qui in hanc eandem putant cum Mænaca, quam vltimam Phocæorum ciuitatem versus occasum accepimus, sed errant: nam Mænacæ longiùs à Calpe dissitæ, atque euersæ rudera Græcanicæ vrbis vestigia retinent: Malaca magis ad Punicæ formam accedit. Sequitur Exitanorum vrbs, vnde salsameneis exitanis nomen. Post hanc Abdera, Pœnorum opus hæc quoque. Supra hæc loca in montanis monstratur Vlyssea; & in ea fanum Mineruæ vt Possidonius tradit, & Artemidorus, & Asclepiades Myrleanus, qui in Turditania Grammaticam docuit, & descriptionem gentium in istis regionibus agentium edidit. Is tradit monimenta errorum Vlyssis in templo illo Mineruæ affixa esse aspides, & summa nauium rostra.*

dicto l. 3.

ſtra. Adhuc Strabo. Ecce tibi quàm longè diſtantes vrbes hæ, altera in extremo pene Occidentali Oceano, altera verò in Mediterraneo. Neque eſt quòd mirere, aut duas vrbes cognomines ferè extitiſſe in Hiſpania, aut neque Strabonem Olyſſiponis, neque Vlyſſeæ alium præter Strabonem meminiſſe: Certum enim eſt, non in tota modò Hiſpania, verùm in Bœtica duntaxat Prouincia, non vnam ſub Hippo, aut ſub Illipa, aut Illipula, nomine extitiſſe ciuitatẽ, vt videre eſt apud Plinium, & alios, ſicut hodie ſub nomine Alcala, &c. Strabonem verò mentionem non feciſſe Olyſſiponis, mirum non eſt, cùm non vrbium ille, aut oppidorum Luſitaniæ, ſed fluminum, & gentium aliquarum nomina duntaxat recenſeat, ſiue ob nominum ipſorum aſperam pronunciationem, & iniucundum, durumque ſonum, vt ille ait cum Mela, Plinio, & Martiale, ſiue ob exiguam notitiam, aut alia de cauſa; Cæteri verò Vlyſſeæ non meminêre, aut quia ſolo iam æquata, aut quia ignota, vtpote quæ in aſperrimis Malacæ montibus ſita; neque hoc nouum apud autores, cùm certò ſciamus Plinium ſolum Carbulæ oppidi quod perperam Pliniani Codices Carbulo dicunt, iuxta Cordubam, meminiſſe, neque priùs aut poſteriùs vllum alium, licèt locum illum (qui quantum coniectura aſſequi poſſum, iuxta oppidum Guadalcazer extitiſſe debuit) non ignobilem fuiſſe aliqui oſtendant apud nos ærei nummi cum hac inſcriptione, CARBVLA.

l. 3. cap. 1.

Strab. vbi ſuprà.
Mela l. 3. c. 1.
Plin. vbi ſuprà.
Mart. l. 4. Epigram. 42
Vbi ſuprà.

De Hispanorum equorum pernicitate; de eis fabella quædam exposita; Varronis locus castigatus. De Salone item fluuio, ac Bilbili Martialis patria; & eiusdem Poëtæ locus restitutus.

CAPVT XLVIII.

VIdebis altam Liciane Bilbilim
Equis, & armis nobilem,

Ait Martialis Epigrammate 50. primi libri, vt omnes habent Codices, & omnes agnoscunt interpretes vnico excepto Radero è Societate Iesu; is enim ex autoritate Hieronymi Zuritæ non *Equis & armis*, sed potiùs *aquis & armis nobilem*, dicit legendum. Quæstio certè non mediocris est difficultatis; nam & vetustorum codicum lõgæua autoritas, & Hispanorum equorum non inanis, aut recens laus antiquam tuentur lectionem: tum Bilbitanarum Salonis fluuij aquarum celebre nomen, & probatissimum Zuritæ ingenium in contrariam nos, vel nolentes, traducere possint sententiam. Et quidem Mela de Hispania hæc inter alia. *Viris, equis, ferro, plumbo, ære, argento, auroq; tam abundãs*, Strabo ex Possidonio de ipsismet Celtiberis, quorum ciuitas Bilbilis. *Et quòd Celtiberorum equi cùm sint subuariegati, & versicolores, vbi in exteriorem Hispaniam peruenerunt, colorem*

lib. 2. c. 6.

lib. 3.

mutant,

mutant; esse autem eos Parthicorũ similes celeritate, & cursus dexteritate aliis præstantiores. Silius

Altera complebant Hispanæ castra cohortes, libr. 1.
Auxilia Europæ genitoris parta tropheis.
Martius huic sonipes campos hinnitibus implet,
Huic iuga cornipedes erecti bellica raptant:
Non Eleus eat campo feruentior axis.

De quo etiam ipse multa alibi Aurelius Nemesianus. lib.16. In Cyneget.

Quin etiam gens ampla iacet trans ardua Calpes
Culmina Cornipedum latè fœcunda proborum.
Nanque valent longos pratis intendere cursus:
Nec minor est illis Graio quàm in corpore forma.
Nec non terribiles spirabile numen anhelæ
Prouoluunt flatus, & lumina viuida torquent,
Hinnitusq; cient tremuli, frænisq; repugnant,
Nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.

De his etiam Iulianus, quasi magnum aliquid Constantio promittens apud Amianum. *Equos* libr.20. *præbebo curules Hispanos.* Symmachus. *filij mei instat* l.ep.9.ep.19. *editio, huic equorum curulium paranda nobilitas est, quapropter ad Hispanias fidelissimos cum copiosis sumptibus misimus, vt generosas quadrigas sub diligentissima electione mercentur.* Idem. *Missurus igitur ad* Eod.l.epist. *Hispanias meorum aliquos, qui curules quadrigas ex* 20. *omni gregum nobilitate mercentur.* M. Varro mirabile quiddam de Lusitanis tradidit equis. *In fœtu-* l.2. de re *ra (inquit) res incredibilis est in Hispania, sed est ve-* rust.c.1. *ra, quòd in Lusitania ad Oceanum in ea regione, vbi est oppidum Olysippo monte Tagro, quædam è vento concipiunt certo tempore equæ, vt hic gallinæ quoque solent, quarum ova ypenemia appellant.* Sed ex his equis,

l.6. de re ruſt.c.27.

qui nati pulli non plus triennium viuunt. Ex eodem Columella ſicut, & cæteri. *Cùm ſit notiſſimũ etiam in ſacro monte Hiſpaniæ, qui procurrit in Occidentem iuxta Oceanum frequenter equas ſine coitu ventrem pertuliſſe, fœtumq; educaſſe, qui tamen inutilis eſt, quod triẽnio priùs quàm adoleſcat, morte abſumitur.* Plinius. *A Tago in ora. Olyſſippo equarum è fauonio vento cõceptu nobile, Salacia cognominata vrbs imperatoria,* &c. Vbi obiter adnotandum lapſos fuiſſe non mediocriter Florianum de Ocampo, ac Maginum in eo quòd Olyſſiponem Salaciam à Plinio cognominatam putauerint, cùm Olyſſipo ab ipſo Fœlicitas Iulia cognominetur ibidem (quod & perueruſti lapidis Philippo Imperatori dicati, qui in illa hodie vrbe perdurat, confirmat inſcriptio) & Salacia alia prorſus ciuitas ſit cognomento Imperatoria, ea ſcilicet, quæ hodie Barrerio, Reſendio, & Morali, nec non Iacobo Menerio Vaſconzello, Alcazar do Sal, iuxta Antonini Itinerarium, Cluſio verò Setuual, ego certè (ſimodò fas eſt tãtis auctoribus contradicere) neutrum oppidum eſſe exiſtimo Salaciam hanc, de qua Plinius hic. Iſthæc nanque Salacia in ipſa ora maritima, & non in mediterraneis, vt oppidum Alcaçardoſal dictum: quod Plinij, & Ptolemæi teſtimonio comprobabo. Plinius, vt vidimus; *Oppida memorabilia à Tago in ora. Olyſſipo equarum è fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata vrbs Imperatoria. Merobrica, Promontoriũ ſacrum.* Ptolemęus. *Sacrum Promontorium, oſtiũ fluminis Calipodij, Salacia, Cetobriga, Barbarium Promontorium, Olyſſipo.* Si igitur eſt in ora maritima, cuius hodie vix extant ruinæ,

lib.1.c.22.

l.1. Hiſp. hi. c.43.

In Ptolem. Emendat. Tab. Europæ 2.

B. In ſua Chorographia. M.l.9.c.32. &l.10. c.31. Reſ.l.4. de Antiquit. Luſit.

In Annotationib. in Reſendium. Vbi ſuprà.

Tabula Europæ 2.

ruinæ, dicirúrque *Troia*, quod palàm fiet ſi recẽ-tioribus nominibus antiqua exponẽtes, totã orã deſcribamus : Itaque ſacrum Promontorium, Cabo de San Vicente, Merobriga, Santiago de Cazem, Reſendio, Oſtium fluminis Calipodis, Boca del rio Sadano, quod in Salacienſem, ac Cetobrigenſem ingreditur ſinum, Salacia, quæ Troia, diruta, Cetobriga, quæ Seruual ipſi Reſendio, & Vaſconzello (licèt aliter Barreyrus) more Hiſpano C. in S. mutatis, & aliquibus aliis literulis, Barbarium Promontorium, *Cabo de Eſpichel*, Olyſſipo, quæ *Lisboa*: in eo tamen erratum ab amanuenſibus, aut librariis eſt quòd oſtium Calipodis fluuij Salacia prius fecerint, quemadmodum & Olyſſiponẽ oſtio Tagi, cùm certo certius ſit è ſacro Promõtorio, aut ex Bætica Prouincia Olyſſiponem petentibus Tagum priùs tranſeundum. Non itaque Salacia hæc, ait Seruual, aut Alcazar do Sal, licèt verum ſit Antonini Salaciam in mediterraneis eſſe ab Ebora, ciuitate 44. M. P. diſtantem, cùm ab altera Salacia, quæ ad diſtinctionem fortaſſe vrbis imperatoria dicta, 72. M. P. diſtet Ebora. Sed quid prohibet duas fuiſſe Salacias in Luſitania, ſi duplex Plinio, Hippo, in Bætica, duplex Aſtigi in eadem Bætica, & ſexcenta eius modi? Morales in Concilio Illiberitano Ianuarij Salarienſis Epiſcopi mentionem fecit, Salariámque dicit eſſe in Algarbiis, vbi hodie Alcazar do Sal. Ego verò (ſimodò Salarienſis, & non Salacienſis legendum) Epiſcopum dicerem illius loci qui Colonia Salarienſis Plinio in Tarraconẽſi Prouincia, qui

lib. 3.

lib. 10. c. 31.

quidem locus Siruela, hodie Clusio; Morali verò iuxta Cazorla antiquitùs Castaon, quod magis probari videtur ex Plinio, & Ptolemæo Verùm iam postliminio ad superiora reuertamur. Idem, quem suprà retulimus, Plinius de eisdem Lusitanis equis. *Constat in Lusitania circa Olyssiponem oppidum, & Tagum amnem, equas Fauonio flante obuersas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, & gigni perniciissimum ita: sed triennũ vitæ non excedere.* Solinus. *In proximis Vlyssiponis equæ lasciuiunt mira fœcunditate, nam spirante Fauonio vento concipiunt, & sitientes viros aurarum spiritu maritantur.* Martianus de Olyssipone vrbe, & Tago amne agens. *In eius quoque confinio equarum fœtura, ventis maritantibus inolescit: volucres proli cursus ipso spirante Fauonio.* Silius Italicus satis diuersus ab aliis hoc accidere ait apud Vectones, seu Veltones, iidem enim sint populi (quicquid dicat eruditissimus Resendius) licèt Silius quandoque per simplex t, metri credo causa, quandoque verò per ct, Vectones scribat; ait ergo ille.

l.3.c.3. Tabulę Europæ 2.l.8. c.42.

cap.36.

l.6.

De Antiq. lusit.l.1.

lib.3.

At Vetonum alas Balarus probat æquore aperto,
Hic adeò cùm ver placidum, flatúsque tepescit,
Concubitus seruans tacitos grex prostat equarum,
Et venerem occultam genitali concipit aura:
Sed non multa dies generi, properátque senectus,
Septimáque bis stabulis longissima ducitur ætas.

Sed & idem Silius.

lib.13.

Insignis multa ceruice, & plurimus idem
Ludentis per colla iubæ (mirabile dictu)
Vnus erat lenis, vt Zephyri noua flamina campis
Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe

Nobilis.

Nobilis.

Siti verò sunt Vectones ad Tagum non longè à Toleto, qua Turdulos respicit. Lusitanos veteres dictos, hodie *Estremadura*, vt optimè colligunt Florianus de Ocampo, Barreyrus, & Morales ex illo Plinij. *Primi in ora Bastuli iuxta eos, quo dicentur ordine intus recedentes Mentesani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccæi, Vectones, & Celtiberi*, & altero eiusdem. *Gentes Celtici, Barduli, & circa Tagum Vettones*; aliisque Cæsaris, Strabonis, & aliorum; nec non Lucani nostri, qui eos iuxta Celtiberos posuit, leuésque à velocitate forsitan equorum appellauit.

F. Hisp. hist. l. 2. c. 10.
Barr. In sua Chorogr. M. l. 7. c. 13. & in sua hi.
Plin. l. 3. c. 3. l. 4. c. 22.
Cæs. l. 1. de bello ciuili.
Srab. l. 3. lib. 4.

Vectonésque leues profugique à gente vetusta
Gallorum, Celtæ miscentes nomen Iberis.

licèt contrarium videatur sensisse Prudentius.

Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vectoniæ,
Quam memorabilis Amnis Ana
Præterit.

Quod tamen nihil negotij facit: dicendum enim Prudentij tempore, id est Arcadij, & Honorij, Turdulorum Prouinciam, in qua tempore Strabonis, id est Tiberij sita erat Emerita, diminutam, Vettonum verò auctam, vt est mutationi obnoxius Prouinciarum, ac regnorum situs multis de causis, quas eleganter suo more retulit Plinius, breuiter Strabo. *In suas præfecturas Cæsar ipse procuratores mittit, alias aliter regiones distribuens.* quam mutationem præcipuè in Hispania accidisse docet Plinius, *Citerioris* (inquit) *Hispaniæ, sicut complurium Prouinciarum vetus forma aliquantùm*

lib. 3. c. 1.
l. 17. in fine.
l. 3. c. 3.

mutata

Hisp. hist. l. 1. c. 4. & 43. com. ad l. 21. de Ciuit. Dei. c. 5. Vbi suprà.

mutata est. Verùm huic sententiæ de Lusitanarum equarum fœtura subscripsêre ex recentioribus, ac nostris Florianus de Ocampo non vno in loco, ac Ludouicus Viues; Resendius hanc opinionem nec improbat, nec approbat: refert tamen quærentem se à quodam hospite suo agri Beneuentani iuxta Tagum, ecquid hac de re ipse sciret? hæc ab illo accepisse; nunquam scilicet hæc se aut vidisse, aut audiuisse, habuisse tamen pulchram quandam equam, quam vt meliùs proximis nundinis vẽdere posset, in insula, qaæ in medio Tago est, solam inclusisset, vt pabuli abundantia saginaretur, eámque post duos menses grauidam reperisse, cùm nullus illuc accessisset admissarius; Septimo deinde mense enixam esse non quidem animal, sed concreti sanguinis informem materiam, abortúmque suspicatum. Hęc ille. Exterorum verò Maiolus id pro certo retulit. Atque hæc de Hispanorum equorum nobilitate autores, vt quæ de Asturconibus à Martiale, Silio, & aliis dicta sunt, impræsentiarum omittam. Verumenimuerò ne à tergo aliquid examine dignũ relinquatur, priùs quàm ad vlteriorem de aquis Salonis Auuij tractationem pergamus, hanc equarum Lusitanarum fœcunditatẽ breuiter examinare visum est. Et simile quidem

cap. 17.

ex Solino (vt ait Viues) Diuus Augustinus affert de Capadociæ equis, eas nimirum affirmans vento concipere, sed non hac de causa id verum esse dicendum est; in iis enim, quæ fidem nostrá non tangunt, sacris doctoribus (quod pace corũ dixerim) ea duntaxat fides adhibenda est, quæ iis,

ex

ex quibus illi ſuam deſumpſêre narrationem, adhiberetur. Ælianus certè id affirmans, *Equas (ait) vento concipere paſtores teſtantur, quibus aſſentiunt Homerus, & Ariſtoteles, qui ipſas dicit Venere ſtimulatas ad Boream, aut Notum aufugere.* Hanc autem narrationem primus in lucem miſiſſe creditur, à quo accepêre cæteri, M. Varro, diligens certè vir, ſed qui in multis etiam (homo quippe) verum non eſt aſſecutus, & id etiam ſuorum tẽporum æqualis Vergilius, licèt non de Hiſpanis (vt Varro de equis tamen in communi elegantter ſuo more decantauit. l.4. de hiſt. anim. c.5.

Continuóque auidis vbi ſubdita flamma medullis
(Vere magis, quia vere calor redit oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrũ, ſtant rupibus altis,
Exceptántque leues auras, & ſæpe ſine vllis
Coniugiis, vento grauidæ (mirabile dictu)
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas conualles
Diffugiunt non Eure tuos, neque Solis ad ortus,
In Boream, Caurúmque, aut vnde nigerrimus
Auſter
Naſcitur, & pluuio contriſtat frigore cœlum. Georgic. 3.

Credo tamen alterum, aut vtrunque illorum fabellam hanc mutuatum eſſe ab Homero, qui quidem de Erychtonio agens hæc ſubdit. Iliad. 20.

———tria millia pingues
Paſcebantur equæ lætis in vallibus illi,
Omnes fœtiferæ, pullis comitantibus omnes
Conſpicuæ, quas cùm Boreas violentus amaret,
In nigrum conuerſus equum, ſeruiuit amori
Indulgens, ex quo grauidæ peperêre quater tres
Pullos eximios, qui ſi per ſumma volarent

Gra

Gramina, nec summæ cursu quaterentur aristæ
Luxuriantis agri, nec tincta humoribus vllis
Per medios pelagi ferrent vestigia fluctus.

Fabulosum verò esse hoc totum, & autoritate, & ratione & experientia patet: Autoritate quidem summi viri Aristotelis, qui hominem, & equum coitu duntaxat generari ait in Problematibus, cuius rei rationem reddit: quæ enim animalia vel coitu, vel sponte naturæ generantur, cùm tempus suæ generationis breuissimum habeant, possunt à qualibet causa generari, quæ diuturnũ generationis tempus, vt decem vel duodecim mensium, ea certè vel ex coitu, vel nullo pacto (vt ipse inquit) procreentur necesse est. Et hoc, quia plurimis, & perfectis illis quidem dispositionibus animalia hæc, quæ longo tempore in vtero perficiuntur, vt pote perfecta indigeant.

Sect. 11. Problem. 64.

Perperam autem Ælianus, & alij recentiores autoritate Aristotelis ad hanc fabellam astruendã vtuntur, ille enim solùm ait, equas, dũ equiunt, ni retineantur, currere non in Orientem, aut Occidentem versus, sed ex aduerso Aquilonis, aut Austri: nec appropinquare quenquam pati; donec vel defatigatæ desistãt, vel ad marẽ deueniãt. Non ergo illę Zephyrum ore excipientes, ore ingrauidãtur ex Aristotele, sed potiùs currẽtes marẽ quæritant. Cur autẽ potiùs cõtra Austrum, & Aquilonem, quàm versus aliam partem currant, nec explicauit Aristoteles, nec me assequutũ esse adhuc ingenuè fateor. Hoc duntaxat ex eodẽ autore certò scimus; *Pastorũ doctrina statutũ interesse ad maris, ac fœminæ pecoris fœturam, non solùm si*

loc. cit.

l. 4. De gener. anim. c. 2.

ita

accidit, vt initus Aquiloniis, Auſtriniſve flatibus fiat, ſed etiam ſi cùm pecus coit, ſpectat ad Aquilonem, aut Aſtrum. Experientia verò id falſum eſſe ſatis conſtat: non enim vllus vnquam ſe hoc vidiſſe affirmauit, quin & nos, qui aliquot abhinc annis totum illum tractum Olyſſiponenſis vrbis, Hiſpanarum, ne dicam Occiduarum maximæ, & opulentiſſimæ oculis perluſtrauimus, nihil vnquam ſimile ab aliquo homine, quantunuis vrbano, quantunuis ruſtico audiuimus. Quod autem Reſendius narrat (ſimodò illi vera retulit hoſpes) accidere potuit vel equi alicuius admiſſione, qui parum obſeruatus flumen tranarit, vel ſanguinis ipſius equæ pabuli copia ſaginatæ ſuperabundãtia, partum enim illum fuiſſe nec ipſe hoſpes certò aſſeruit. Quòd ſi ex autoritate grauiſſimi viri Lactantij, aliqui putent credendum eſſe hoc, falluntur planè; is enim ſic. *Quòd ſi animalia quædam vento, & aura concipere ſolere omnibus notum eſt: cur quiſquam mirum putet, cùm ſpiritu Dei, cui eſt facile quicquid velit, grauatam eſſe Virginem dicimus?* Illa enim verba non de equarum conceptu, ſed oſtrearum potiùs, quæ aperto ore aurã excipientes (vt naturales aſſerunt) grauidæ fiunt, intelligenda proculdubio ſunt, neque etiamſi explicitè id affirmaret de equis, aliquid nobis negotij faceret; ſancti enim (vt alibi diximus cũ de Phœnice ageremus) communi vulgi opinione, veluti argumento ad hominem validiſſimo, quod illis ſatis erat, ſæpe contra Gentes vſi ſunt. Iudicioſiſſimus itaque autor Trogus Pompeius, ſiue eius abbreuiator Iuſtinus, qui natione creditur lib. 4. c. 12.

ditur Hispanus, hanc de Lusitanorum fœcunditate equarum narrationem iure retulit vt fabulosam, atque eius non inelegantem reddidit causam. *In Lusitanis* (inquit) *iuxta fluuium Tagum equas vento concipere multi autores prodiderunt: quæ fabulæ ex equarum fœcunditate, & gregum multitudine natæ sunt, qui tanti in Gallæcia & Lusitania, ac pernices visuntur, vt non immeritò ipso vento concepti videantur.* Hæc ille, vera quidem de gregum narrans multitudine, quæ quidem fabulæ causa, in hoc tamen cum cæteris omnibus lapsus, quòd Lusitanos, aut Calleicos equos pernicissimos esse Hispanorum omnium crediderit, cùm tamen certo certius sit Bœticos, Cordubenses præcipuè (dicto absit inuidia) reliquos omnes, & pedum velocitate, & corporis pulchritudine longè anteire. Scrupulus tamen restat circa illud Varronis. *Vbi est oppidum Olyssipo monte Tagro.* Et quidem in meo codice Varroniano malè absque dubio legitur *Olyssipomonte*, ac si vnica esset dictio: quare seperatim Ioannes Camers, Resendius, & Fuluius Vrsinus legunt *Olyssipo monte*, & quidem Fuluius, Vrsinus incertum esse ait legédúmne sit *monte sacro*, an *amne Tago*, cùm iuxta amnem Tagum Plinius, & alij, in monte verò sacro Columella id accidere dicat. Atque ita ille indecisam relinquit litem hanc; Resendius Lusitanus ipse vehementer dubitat de hac lectione, & *Sacrum* se lecturum fuisse dicit, ni Columellæ verba ad Varronis lectionem, vnde ille sumpsit, reuocanda essent, & si contigisset aliquem montem Sacrum dictum iuxta flumen Tagum esse situm:

lib. 44.

Camers in Solinum. Resend. vbi suprà. Ful. Vrs. In annotat. in Varr.

situm: nam licèt duo sacri mõtes essent in Hispania, ille qui Promontorio nomen dedit iuxta sancti Vincentij Promontorium, hodie *Sagres*, alter in Gallecia Iustino: vterque tamen longè ab Olyssipone, longè distat a Tago. Quare illemontem Tagrum, cuius nullus vnquam meminit scriptorum, Varrone excepto, eum esse putat, quem hodie Iunctum accolæ vocant, iuxta Olyssiponem, illíque coniunctum Albardum, eo quòd ibi frequẽtes equarum alantur greges. Hæc Resendius. Verùm quis non videt quantùm ab vnico monte Tagro duo hi mõtes Iunctus, & Albardus differant? Qua de causa desperatæ Varroniani huius loci sanitati qualem qualem facere medicinam satius esse visum mihi est, quàm illum Diis, vt aiunt, votísque reliquere. Legeram itaque ego; *In ea regione vbi est oppidum Olyssipo in monte imminente Tago*, vel, *proxima Tago*; Quod & ad fœturam equorum, & ad Olyssiponem referri non incongruè potest: hæc enim vrbs in monte imminente Tago (licèt non vnico, sed triplici, adeò latè patet) sita est hodie, vel si mauis, *in monte Tago*, ita vt mons fuerit eiusdem nominis cum fluuio, quemadmodũ Rhoscinonem, & Ilybirim & fluminibus, & vrbibus præter quas fluunt, Polybius apud Athenæum, Strabo, & Ptolemæus communia faciunt nomina. Vnum tamen notaru dignum iudico, nullo modo absque aliqua emendatione sustineri posse locum illũ Varronis; ablatiuum enim absolutum post nominatiuum, *Olyssipo monte Tagro*, seu *sacro*, Dispeream si Priscianus, & De spauterius vel in crucẽ agen-

lib. 44.

l. 8. cap 1.
Strab. l 4
Pt. Tab. 3.
Europ. c. 1.

di, tolerarent. Verùm de equis iam ad satietatem vsque. Nũc de Bilbilitanis Salonis fluuij aquis, vt alteram adimpleamus instituti partem. Vrbem *Bilbilim, Bilbim* Ptolemæo fluuius cingebat Salo, huius aquæ tantæ erant virtutis ad ferri temperaturam, vt ipsis temperatum ferrum nulli aut bonitate cederet, aut duritie: quare loci illius metallum hoc, nec non & aquæ in primis meruêre laudem. Vnde Martialis ipse patriam ob hæc suam Bilbilim non vno in loco commendat: Nam in ipsomet Epigrámate ad Licianũ ita ille;

Tabula Europæ 2.

l.1.Epig. 50.

Quibus remissum corpus adstringas breui
Salone, qui ferrum gelat.

l.4. Epig.55. Et alibi.

Nos Celtis genitos, & ex Iberis
Nostra nomina duriora terra
Grato non pudeat referre versu,
Sæuo Bilbilim optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque Noricósque,
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

l. 12.Epi.18. Alibi etiam;

Me multos repetita post Decembres
Accepit mea rusticúmque fecit,
Auro Bilbilis, & superba ferro.

Ipse demum in Apophoretis in lemmate, *Pugio.*

Pugio, quem curuis signat breuis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Sed ne Martiali sua fuisse pulchra dicamus, alios hac in causa laudemus testes. Plinius de ferri

l.34.c.14. agẽs tẽperatura. *Summa autẽ differentia in aqua est,*

cui

cui ſubinde ferrũ cãdens immergitur. Hæc alibi atque alibi vtilior nobilitauit loca gloria ferri, ſicuti Bilbilim in Hiſpania, & Turiaſſonem, Comum in Italia. Iſidorus noſter id (vt apparet) à Plinio mutuatus. *Aquarum verò ſumma differentia eſt, quibus ferrum candens immergitur, quo vtilius fiat: ſicut Bilbilis in Hiſpania, & Tirraſona, Comus in Italia.* Meritò ergo Martialis Salonem ſæpe laudat; atque non immeritò patriæ deſiderio ipſum ſe ſitire aliquando faſſus eſt. l. Orig. 16. c. 20.

Auriferúmque Tagum ſitiam, patriúmque Salonẽ.

Vbi notandum malè quoſdam Martialis interpretes Bœotici ingenij, ac Terebintho ſtultiores, *ſitiam*, non verbum, vt luce clariùs patet, ſed nomen potiùs oppidi legiſſe. At quorſum, bone Deus, inter duo Hiſpaniæ celeberrima flumina, Tagum, & Salonem, aureis arenis alterum, alterum ferri temperatura collocaſſet, ille ignobile oppidum conuentus Cordubenſis Plinio, *Sitiam*, nec non & Ptolemæo (ſimodò idem, *Sitia*, cum *Setia*,) quamuis alterum oppidum *Setiam*, quoque dictum in Vaſconibus poſuit Ptolemæus ipſe. Sed quid cómune Turderanorum, aut Vaſconũ obſcuri nominis oppidulo cum Tago, aut Salone fluuiis? verùm ad alia maioris mométi. Quibus omnibus pro mea virili perpenſis, & examinaris, credo proculdubio, neque erubeſcam aſſeuerare, vulgatam, & antiquam Martialis lectionem, l. 3. c. 1. Tabul. Europ.

Videbis altam Liciane Bilbilim
Equis, & armis nobilem.

adulterinam planè, ac mendoſam eſſe, reponendúmque,

Aquis, & armis nobilem.

In sua Chr.

vt bene ex autoritate Zuritæ affirmauit Raderus, & ante illos(vt opinor) Gaspar Barreyrus eruditissimus æquè,ac iudicioſissimus vir ; & hoc non leuibus certè coniecturis : constat enim plus satis ex suprà dictis celebrem fuisse, ac nobilem(simili nanque vocabulo vsi coætanei Plinius , & Martialis) Salonis fluuij aquis Bilbilim ; cùm è contrà Biblitanos equos à nullo vnquam laudantos certò sciamus. Imò neque pernices nimiũ equos gignere solere alta , & scopulosa loca , (qualem scimus fuisse Bilbilim) deprehensum est.quantũuis labori perferendo aptissimi sint. Hispanos tamen equos , vt plurimùm, pedum potiùs velocitate, & alacritate animi,ac corporis forma,quàm robore pollere , quis non videt? ac nequid intactum relinquamus , Bilbilim in alto loco sitam , ac proinde non eam esse, quæ hodie *Calataiud*,vt vulgus credit , apertè ostendit Martialis ipse, cùm eam altam vociret in prædicto epigrammate, sed & alibi.

Municipes Augustam mihi , quos Bilbilis acri
Monte creat , rapidis quos Salo cingit aquis.

vt ex Barreyro legit Ortelius, vel(vt alij Codices habent) *alto monte* , quanuis perperam in plurimis codicibus , *agri monte* legatur; Sed ego quid sit agri monte non video. Simile illli indidit cognomen, *altæ* nimirum,Sidonius Appollinaris.

Quid celsos Senecas loquar, & illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem?

Verùm ne credere possemus *altæ* epitheton ad dignitatem potiùs Bilbilis, quàm ad sitũ pertinere,

omnem

omnem nobis dubitationem exemit Paulinus in Epistola ad Ausonium. Epist. 3.

Montanámq; mihi Calagorrim, & Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collemque iacentis Ilerdæ
Exprobras.

Non igitur Bilbilis eadem cum ea, quæ hodie, *Calataiud*, non ignobili, neque inamœna Aragoniæ ciuitate: hæc enim in plano, & campestri loco, conualle nempe quadam; illa verò in excelso, atque saxoso. Bilbilim cingebat Salo, vt superiùs vidimus,

Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

&;

——rapidis quos Salo cingit aquis.

Calataiud verò vrbem præterlabitur duntaxat Salo, neque eam cingit. Insuper à Bilbilitanis aquis, vulgò *de Alhama* (quo nomine Arabes credo appellasse Balnea; alia enim eiusdem nominis in Regno Granarensi, alia in Murciæ regno) Bilbilim vsque 24. Pass. M. Antonino, id est Leucæ sex; quatuor enim milliaria (vt probauimus alibi) vnicæ nostræ respondent Leucæ; at verò ab ipsismet aquis Calataiud vsque viginti duo duntaxat numerantur milliaria; non igitur ibi hodie Calataiud, vbi olim Bilbilis. Dicendum verò erit cum diligentissimis viris Barreyro, Zurita, ac Antonio Augustino, sitam fuisse Bilbilim in monte quodam duobus milliaribus à Calataiud distante, *Baubula* dicto, vt Barreyro placet, *Bambola* verò, vt Zuritæ, & Antonio Augustino; nam & nomen ex parte retinet

B. In sua Chograp. Ant. Aug. in Dialog. de numismat. veteribus.

mons, & distantia ab Antonino assignata exactè huic correspõdet loco ; à Bilbilitanis enim aquis ad illum viginti quatuor milliaria , id est leucæ sex, & eum ferme totum Salo cingit , in eoque multa visuntur antiquitatis vestigia, ruinæ multæ , multa iuueniuntur aurea, argentea,æreáque Imperatorũ numismata, Augusti, Neronis, Traiani,& aliorum: mons ipse asper, saxosus,& equis sin minùs imperuius, saltem difficillimus , quo magis superior nostra confirmetur opinio, *aquis*, pro *equis* reponendum , cui vt vltimam imponamus manum,illud à multis asseuerari sciendum est, Bilbilim fluuium, quem in Gallecia iuxta flumen Chalybem Trogus , seu eius abbreuiator Iustinus posuit , eundem esse cum Salone hoc, mutuato nomine ab ea, quam præterlabitur , ciuitate, quemadmodum Ptolemæus , & Strabo Rhoscinonem , & Illybirim quædam vocitarunt flumina de nomine cognominum vrbium, vt dictum est , Ortelium verò Bilbilim Iustini nullo argumento opinatum paruum esse flumen, quod etiam Calataiud præterlabitur , *Xiloca* , dictum, quódque in ipsismet eius suburbiis in Salonem influit. Verùm me credere fateor potiùs iis(simodò vera referunt)qui Bilbilim Iustini fluuium dicũt esse in Gallecia, *Bibal*, hodie appellatum, iuxta quem fluuius labitur alter Chalybs nomine; sed huius rei fides sit penes autores, & iis certiorem relinquamus indagationem , qui Gallecię tractus aut peragarunt iam, aut peragrabunt olim.

lib. 44.

In suo Thesauro.

Rubrum

Rubrum mare à rubro colore dictum contra quorundam sententiam, ac defensus in Troadibus Seneca.

CAP. XLIX.

VAria hac de re sensêre varij: varias itaque referemus opiniones, ac verioré pro virili conabimur astruere. Et quidem gestorum Alexandri scriptor Curtius contrarias dãnans opiniones, hæc de Rubri maris nomine sensit. *Mare* (inquit) *certè, quo alluitur, ne colore quidem abhorret à cæteris, ab Erythro Rege inditum est nomẽ, propter quod ignari rubere aquas credunt.* Idẽ ex Onesicriti, & Nearchi relationibus. *Inter quæ rubrum mare non à colore undarum, vt plerique crederent, sed ab Erythro Rege appellari: esse haud procul à continenti insulam palmis frequentibus consitam, & in medio ferè nemore columnam eminere Erythri Regis monumentum literis eius gentis scriptam.* Arrianus etiam Nicomediensis, qui res quoque Macedonis Alexandri scriptis mandauit, ita de mari hoc. *In hac insula* (Oaracta scilicet) *aiebant sepulchrum eius extare, qui primus imperium insulæ tenuisset: rubro nomen fuit, à cuius nomine mare illud rubrum appellatum.* Eadem ferme ex Nearcho, & Orthagora (nisi quòd aliud insulæ nomen impo-

lib. 9.

lib. 10.

lib. 8.

A. C. Cataracta h.

lib. 16. nit) retulit his verbis Strabo. *Nearchus, & Orthagoras perhibent Tyrinam insulam in alto mari versus Austrum iacere duobus millibus stadiorum à Carmania distantem, in qua Erythræ sepulchrum ostenditur, ingens sanè tumulus, & syluestribus palmis cõsitus, atque hunc in iis locis regnasse, & de se mari nomen reliquisse.* cuius quidem opinionis videtur fuisse Plinius, dum ait. *Antè ratibus nauigabatur inuentis in mari rubro inter insulas à Rege Erythra.* Apertè id affirmauit Dio Cassius in Traiano. *Recepta Ctesiphonte Rubrum debinc mare nauigare instituit. Sinus hic ex Oceano Indico in Arabiam profunditur, quem Erythreum mare ab Erythreo rege, qui illud tenuit, posteri appellauêre.* Eandem ex eodẽ opinionem in eiusdem Traiani vita tenuit Xiphilinus. Philostratus quoque huic subscripsit

In vita Ap. l 3. sententiæ. *Rubrum mare* (ait ille) *vehementer cœruleum esse tradunt: denominant autem Rubrum (vt ipsi perhibent) à Rege Erythra, id est rubro, qui ex suo nomine mare denominauit.* Eandem secutus videtur Dyonisius Afer, siue eius interpres Priscianus.

In Periegesi. *Vlteriùs pergas si post Carmanida summam*
Ogyris occurrat: qua dicitur esse sepulchrum
Regis Erythræi dederat qui nomina Ponto.

Festus quoque Auienus de Erythræo agens mari.

In orbis descript. *Ogyris inde salo promit caput aspera rupes*
Carmanidis, qua se pelagi procul inuehit vnda.
Regis Erythræi tellus hæc nota sepulchro
Tenditur, & nudis iuga tantum cautibus horrent.

In lexico. Suidas. *Erythreum* (ait) *mare dicitur sinus Persicus, non à rubro colore fluctuum, vt nonnulli putant, sed à quodam*

quodam Erythra illis in locis rerum potito. Ex recentioribus Volaterranus. *Ipſum verò mare Rubrum ſinu continetur Arabico ab Erythro Rege eius regionis nomen accipiens, quod apud Latinos rubrum ſignificat; cùm minimè rubeſcat. autores Curtius & Philoſtratus in vita Appollonij.* Hæc ille. Andreas verò Corſalius, licet non ab Erythra Rege inditum mari nomen referat, negare tamen videtur à Rubro illud colore dictum; ſic enim ille. *Et ſuperatis faucibus maris rubri neſcio qua de cauſa ita denominati, cùm colore quidem ab aliquo alio mari non differat.* Ita prædicti recentiores, & antiqui de Rubri maris nomine ſcripto teſtati ſunt. Cuius ſententiæ oppoſitum ſensêre alij, rubrum mare ita dictum affirmantes à rubro aquarum colore, non quem reuera in ſe ipſis habeant aquæ, ſed quem ab arenis, & terra rubri coloris, quæ tam in profundo quàm in litore maris videantur, nomen ſint mutuatæ, & ſpeciem. Sic Iſidorus noſter his verbis. *Rubrum autem mare vocatum eo quòd ſit roſeis vndis infectum: non talem naturam habet, qualem videtur oſtendere, ſed vicinis litoribus vitiatur gurges, atque inficitur, quia omnis terra quæ circumſtat pelago, rubra eſt, & ſanguineo colori proxima. Ideoque inde minium acutiſſimum excerpitur, & alij colores, quibus pictura variatur; ergo cùm terra hãc habeat naturam, fluctibus ſubinde diluitur, & quicquid adhæſum eſt, in colorem cadit: ob hoc etiam in iis litoribus gemmæ rubræ inueniuntur: lapillus enim huiuſmodi humo inuolutus, cùm inter arenas attritus eſt; & terræ colorem habet, & maris.* Id etiam alibi ipſemet planè innuit, dum, *Quid mare* (inquit) *rubrum, niſi ba-*

Geog. l. 12.

In quadam ad Laurentium Medicem epiſt. Tom. 1. Nauiga. Rham.

Orig. l. 13. c. 17.

In Exodum c. 19.

ptismum Christi sanguine consecratum? Quæ quidem Augustini verba sunt; sic nanque ille. *Quid mare rubrum? iam mare: quare Rubrum? significabat mare illud rubrum Baptismum Christi; vnde rubet Baptismus Christi nisi sanguine Christi consecratus?* Quod & alibi sæpe repetit. Hoc ipsum de maris huius nomine aliqui affirmauêre recentiores inferiùs citandi. Alij denique vtranque opinionem retulêre, neque improbata, neque approbata altera, quin & addidêre alias. Strabo ex Artemidoro. *Dicit enim quosdam putare màri rubrum esse nomen à colore propter reflexionem radiorum apparente, vel à Sole, cùm supra verticem est, vel à montibus ex adustione rubentibus, nam vtroque modo putari. Ctesiam verò Gnidium obseruasse fontem quendam esse, qui aquam rubicundam, ac minio plenam in mare emittat. Agatarchidem autem à Boxo genus quodam sumpta tradidisse Pèrsam quendam Erythram nomine, cùm equorum armentum leænæ asilo exagitatum vsque ad mare compelleretur, atque inde in insulam quandam transmitteret, primum constructa rate in insulam eam trãsiuisse, animaduersoq; commodè habitari posse, armẽtum rursum in Persiam abegisse, ac missis in eam, & in alias insulas, & in maritimam oram colonis pelagus de suo nomine appellauisse. Alios verò Persei filium Erythram asserere, qui in his locis imperarit.* Hæc Strabo. Plinius. *Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod rubrum dixêre nostri: Græci Erythreum à Rege Erythra; aut (vt alij) Solis repercussu talem reddi colorem existimantes: alij ab hac arena, terraq; alij tali aquæ ipsius natura.* Solinus. *Vltra Pelusiacum ostium Arabia est ad rubrum pertingens mare,*

In Ioann. to. 11. cap. 3.

Tomo 9. & 18.

lib. 16.

l. 6. c. 23.

Polybist. cap. 46.

quod

quod Erythreum ab Erythra rege Perſei, & Andromedæ filio, non ſolùm à colore appellatum Varro dicit, qui affirmat in litore maris iſtius fontem eſſe, quem ſi oues biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ amittant quod fuerint vſque ad haustum, ac fuluo poſt modum nigreſcant colore. Martianus qui ex Solino videtur ſumpſiſſe verba. *Vnde vltra Pelu-* lib.6.
ſiacum oſtium Arabia eſt ad rubrum pertingens mare, quod Erythreum ab Erythra Rege Perſæ & Andromedæ filio vocitatum, à colore etiam dictum rubrum, nam fons eſt in litore, quem cùm greges biberint, in rubrum colorem incipiunt mutare lanas. Sabellicus ex recentioribus. *Eratq; Alexander haud procul à mari quum Nearchus, & Oneſicritus illi affuerunt, affirmabant hi præter alia multa, quæ eo tractu explorauerant memoratu digna, ſtultè perſuaſum eſſe vulgo rubras alicubi eſſe maris aquas, quin ab Erythro Rege nomen pelago inditum credere ſe, cuius ſepulchrum eius gentis literis inſignitum in inſula haud procul à terra intuiri eſſent: hæc illi, quorum eſt Curtius autor. Alij aquam videri rubram, etſi non ſit, affirmant, ſeu quia rubens ſit arena, qua leuiter commota talis exiſtat in fluctibus color, aut quia montium, qui argilloſi ſint, repercuſſu pacata pelagi facies fuceſcat.* Et hæ ſunt in vniuerſum Antiquorum ferme omnium, & recentiorum aliquot circa Rubri maris nomen opiniones: quas nos ex Neotericorum fide (complures enim ex eis oculati teſtes) examinare voluimus. Alphonſus igitur Albuquercius ducum ſui temporis ſiue animi magnitudine, ſiue rei militaris ſcientia, & rebus fœliciter geſtis poſtponendus nulli, in quadam ad Emanuelem immor- Ennead.4. l.6.

talis

Decad. 2. suæ Asiæ l.1. cap.1.

talis memoriæ Lusitaniæ Regem epistola (referente Ioanne Barros) optimè ait huic mari Rubri nomen conuenire: quo enim tẽpore ipse voluit maris huius fauces (portas vulgò vocant) classe penetrare, sese vidisse affirmat maximam aquarum vim inde exeuntem rubro infectam colore, quæ quidem extendebatur Adenum versus, Antiquis (vt Marius Niger vult) Adedi (vt verò Ioannes ipse Barros) Madoce dictum, neque Ocelis, vt falsò sensit Iouius: ac eodem tinctum colore visum id totum mare, quod ex summis nauium carchesiis, oculis poterat perlustrari. Progressum vlteriùs in maris interiora eodem sæpe colore maculata deprehendisse: cuius rei causam cùm à Sarracenis nauicularijs illius maris peritis ipse quæsiisset, intellexisse demum causam coloris esse aquarum ab imo mari reuolutionem; cùm enim mare illud præ cæteris minimæ sit altitudinis, ac ventorum turbinibus in ima penetrantibus frequenter agitetur, reuolutionem arenarum, & argillæ, quæ sunt in profundo rubri coloris, ventorum vi subtus vndas huc, illuc fluctuantium, hunc aquis colorem præstare, & cùm fluxui, ac refluxui maris nullum aliud pateat ostium præter freti huius fauces, ideò frequentiùs eas tales coloris rubri maculas ventis, & vndis erumpere in vastum mare voluentibus, ac argillam, & arenam secum asportantibus, videri. Ita Albuquercius, Ioannes Castrius, qui Prorex Indiæ postea fuit (referente eodem Barros) cùm in eam cum Stephano de Gama, Vasci de Gama Vi-

digeiræ

digeiræ Domitis filio pro rege deueniſſet, atque ſub eiuſdem Stephani auſpiciis freтum hoc vſque ad Arſinoë oppidum, vulgò *Suez*, penetraſſet, ac elaboraſſet anxiè in nominis huius cauſa perueſtiganda, rémque cum aliquot Sarracenis naucleris, aliiſque hominibus non indoctis cómunicaſſet, id ſcripto teſtatus eſt. Cùm Gamæ claſſis Æthiopiæ oram legeret, Abaſſiam, dictam (Arabiæ nanque præter Taurum oppidum, nullum alium tetigit portum) eſſétque triremium, aliorúmque naurgiorum, quę facilè poſſent mare illud vadoſum nimis ſuperare, vidiſſe ſe maximas quaſdam rubri coloris maculas in mari, quæ quidem magnum illius occuparent ſpatium, ſæpiúſque ex illa aqua cados aliquot extrahi feciſſe, quæ tamen nihilo erat obſcurior, aut minus pellucida. & cryſtallina cæteris aquis vaſti extra fauces Oceani; iuſſiſſe etiam vrinatores quoſdam in mare deſcendere, extraxiſſeque illos è profundo maris materiam quandam rubram coralio ſimilem; aliam verò lanugine cooperam coloris eius, quem recentiorum vulgus Latinorum, Aranciatum, nos *Naranjado* dicimus (qui forraſſe luteus antiquis, aut chryſomeleus.) Aliunde verò vbi maculatum viridi colore cernebatur mare, extraxiſſe lapides quoſdam viridis coloris. Vnde verò aquæ viſebantur albæ, arenas candidiſſimas; has verò maculas reperiſſe ſe per totum ferme id maris ſpatium, quod inter ciuitatem Zuaquen, & portum Alcocerij dictum, interiacet, id eſt centum

tum triginta leucarum,& eo amplius. Addit ipse è faucibus egressum illius freti vsque ad Farta-que Promontorium, Syagros Antiquis dictum (si Barrerio credimus) vidisse se coopertum ma-re maculis rubris,ita magnam boum copiam illic iugulatam diceres,aquam verò illam cado extra-ctam, claram ac crystallinam inuentam:vnde ap-parebat planè limo & arenæ maris illum inesse colorem rubrum. Redarguit etiam médacij eos, qui mari talem prouenire colorem dixere à lito-ribus,quæ rubri essent coloris: ipse enim toto il-lo itinere nullum deprehendit litus, promonto-rium nullum, quod tali esset maculatum colore, saltem quod animaduersione dignum iudicaret. Hæc ille,& alia multa, quæ videre est apud Ioan-nem Barros: ex quibus omnibus concludit opti-mè ipsemet Barros diligentissimus vir, nec non ex aliis Lusitanorum anterioribus, ac posterior-bus nauigationibus falsam esse omnem aliam opinionem tam Græcorum, quàm Romanorum circa nominis maris huius causam, præter eam quæ ex arenis, & limo Rubri nomen accepisse mare hoc iure asseruit: non enim aut Græci, aut Romani adeò accuratè illud nauigarunt, nautica bolide,& astronomico instrumento, Astrolabio dicto,eius naturam, & nominis causam explora-re cupientes,quemadmodum fecere Lusitani: at-que ideo credédum non esse ab aliquo rege Ery-thra, qui in illas fuerit dominatus regiones, sed à se ipso mare illud nomen accepisse. Sed & Odo-ardus etiam Barbosa Lusitanus ita de mari ru-bro. *Sinus hic plura habet nomina, dicitur Arabicus,*

In Summario Regno.

quatenus

quatenus Arabiam ex altera tangit parte, ex altera verò mare Rubrum, eo quòd in ſuis litoribus Arſinoem verſus (vulgò Suez) terra videatur rubeſcere, & ab Antiquis Erythreum dictum, id eſt rubrum. Simon Maiolus ex Diuo Iſidoro cauſam huius nominis affert, quæ eadem cum hac eſt (vt vidimus) eámque ipſe valde probat, nec aliam affert. Nos itaque perpenſis omnibus hiſce ſententiis, rationibúſque Ioannis Barrij (vt æquum eſt) probatis; experientiæ, & oculato Luſitanorum, & aliorum teſtimonio recentiorum fidem potiùs adhiberi debere cenſuimus, quàm Antiquorum minùs veris, & longè petitis relationibus. Quod enim attiner ad Curtium, & Arrianum (cæteri enim ab iis accepêre) illi Nearcho, & Oneſicrito minùs exactè eorum narratione examinata, vel credidêre, vel contradicere nõ curarunt; ad ipſos enim, vt poſt ſcriptores rerum Alexandri, ſolum pertinebat ea quæ illius duces retuliſſent, ſiue falſa, ſiue vera, in hiſtoriam redigere: atque ita ſiqua ſubeſt (vt ſubeſt) culpa, ea certè ab Oneſicrito, & Nearcho abſque dubio commiſſa eſt, vnde illos iure reprehendit his verbis Sabellicus. *Nec illud video, quod ad illorum nauigationem attinet, quonammodo Rubri maris naturam tam citò illi exploratam habere potuerint, quum priuſquàm in Perſidem venerint, Alexandro occurriſſe dicantur; cùm Rubrum mare dici conſtet, quod à Perſico ſinu in Arabiam extenditur. Sed fides apud illos erit, qui hæc tradiderunt.* Ita Sabellicus. Sed nil mirum; prædicti enim duces mendaces habiti ſunt etiam ab Antiquis. Strabo. *Sanè quicunque de India ſcripſerunt, pleraq;*

rum, Ciuit. & popul. Orientaliũ. tom. 1. nauigat. Rhamuſi. Dierum can. col. 10.

Vbi ſuprà.

l. Geog. 2.

mentiti sunt, præ reliquis Daimachus, proximè Megasthenes, Onesicritusq́, & Nearchus, aliiq́ tales. Sed alibi quoque ipsemet Strabo Onesicritum nominans, hęc subdit. *Quem meliori iure fabulosarum, & incredibilium de Alexandro narrationum, quàm gubernatorũ naualium eiusdem rectorem dicere possis.* Quod quidem manifesto exemplo comprobauerat ille priùs: Onesicritus enim Indiam esse affirmauit Trientem orbis habitati, Nearchus quatuor mensium iter per campum, cùm tamẽ vterque exiguam admodum Indiæ partem, orbis verò habitati non magnam peragrasset. Credo itaque, nec vana fides, ita me Deus adiuuet, Regem hunc Erythram, à quo isti mari nomen inditum finxêre, consanguineum, aut affinem fuisse Regum illorum nostratum Tagi, & Bœti, à quibus Tagum, & Bætim nostrum denominatos moriones aliqui, Aniani Berosi sectatores crediderunt; quare non possum non mirari prædictum Viterbiẽsem Anium, vt pote totius arbitrum antiquitatis, regnorúmque dispensatorem, Erythrá hunc Regem Hispanię non fecisse, quãdoquidẽ & Erythria, siue Erythrea Hispaniæ adiacẽs insula * Bœticæ secundùm aliquos (ea nimirum, quæ Gades, postea vulgò *Badiz*, Straboni, & Solino, aut altera illi proxima vt Plinius, & Festus Auienus sensêre) vel secundùm alios, Lusitaniæ, vt affirmauit Mela, & ex aliorum sententia Plinius: quasi indecorum sit (bone Deus) nomen aliquod priscum vel fluminis, vel maris, vel Prouinciæ ab aliquo etiam prisco Rege in familiam nõ fuisse adopratum. Cùm satius sit affirmare Regem Erythram

lib. 15.

* nullã hoc nomine insulam esse in Hispania affirmat Arist. l. de mirandis. Sed quanta illi in rebus Hisp. fides adhibenda alibi dixi. Strab. l. 3. Solin. c. 36. Plin. l. 4. c. 22 Auien. in Descript. oræ maritimæ Mela l. 3 c. 6 Plin. vbi supra

thram à mari Erythreo, in quo rerum potitus sit, nomen accepisse, quemadmodū certo certius est Regem Hispanum, Gallum, Polonum, Anglum ab Hispania, Gallia, Polonia, Anglia, quibus dominantur, denominatos, & non è contrà. Atq; ita siquis vnquā fuit Rex, qui in mari Rubro (vt ait Plinius) rates inuenit, is certe Erythra substātiuo pro adiectiuo nomine ab Erythreo mari dictus fuit. Quòd si recentiorum aliquis, vt Andreas Corsalius adnauigato illo mari eius aquas à cæteris colore non differre affirmauit, verum quidē asseruit, vt vidimus superiùs, non tamen ideo ex illius autoritate rubras videri aquas sæpiùs plurimis in locis negandum, nam neque ille hoc negauit, neque si negasset, fides illi esset adhibēda, qui vel non diligenter hoc examinasse credēdus, vel forte non vidisse pacato tunc mari, nec

Vbi suprà.

——— *turbantibus æquora ventis,*

vt ait Lucretius; & sic nulla arenarum, & limi facta reuolutione, vnde aquis prouenit color. Sed quoniam superiùs ex Sabellico retulimus, Rubrum mare dici omne id, quod à Persico sinu in Arabiam extenditur, ex re visum mihi est, conciuis mei Senecæ poëtæ Tragicorum facilè Principis partes agere, eúmque ab iniusta vindicare nota Martini Antonij Delrij viri aliàs eruditissimi, ac cui non parum nostra debet Hispania, ne dicam Orbis totus. Is enim in illum Senecæ locum in Troadibus,

Et quæ renatum prorsus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrim immiscet freto.

Act. 1. Scen. 1.

Ex Herodoti (inquit) *in Clio, Diod. Bibl. l. 2. Q. Curt.*

l.6.Iosephi l.1.Antiquitatum cap.2.B.Hieronymi, & aliorum sententia hæc est. Res tamen ipsa testatur Euphratem,& Tigrim in mare Persicum non in Erythreũ mare se exonerare.Idque ab Ariano l.7.Historiæ Alexandri, Ptolemæo, Mela, Plinio, & Solino traditur. Diuersas putat ille has esse sententias, posseque priori grauissimum scriptorem Polybium ex antiquis,ex recentioribus verò Sabellicum addere; Posteriori verò Geographorum lõgè diligentissimum Strabonem plurimis in locis,Festũ Auienum,& Priscianum in Periegesi; ex recentioribus verò Volaterranum.Sed fallitur optimus Senecæ Scholiastes,lapsúsque etiam est in hoc Guilandinus,sequuti forsitan antiquiores Senecæ interpretes, Badium Ascensium, & Bernardinum Parmensem,qui idem senserant: Mare enim Rubrum duos comprehendebat sinus,Persicum scilicet, & Arabicum (vt bene ex Plinio, & Solino adnotauit Ortelius) quin & latiùs id nomen patere idem probare conatus est ex Orosio, & Liuio, nimirum vt Rubri maris nomine Oceanus Eous etiam extra sinus comprehenderetur, & Orosius quidem ita.*A Rubro mari,id est ab Oceano Occasum versus extenditur.* At in Liuio intelligendo nonnihil meo iudicio dormitauit vigilantissimus alioqui vir Ortelius:non enim (vt ipse vult) Rubrum mare terrarum vltimum finem amplecti, vt Oceanus amplectitur Indicus, ait Liuius, sed è conuerso terrarum vltimum finem, mare ipsum Rubrum amplecti, quod videlicet duos illos sinus, Persicum, & Arabicum in se recipiat; Verba Liuij hæc.*Arabas hinc Indiámq;, qua terra-*

Polyb.l.9. Sabell. En. 2.l.6. Strab.l.11 & 15. Auien.in descript.Orbis Volaterr. Geogr.l. 12. In libell.de Papyro. In suo Thes. lib.1.

rum vltimus finis Rubrũ mare amplectitur, peragra- lib.45.
uit. quanuis verum sit posse aliquãdo apud Auienum, & Dionysium sub Oceani Rubri nomine Indicum etiam æquor intelligi, quemadmodum expressè inuenitur apud Martialem.

Quidquid Erythræa Niger inuenit Indus in alga. l.10. Epigr. 16.

Illud tamen more poëtico dictum. Quod verò Rubri maris nomine vterque sinus intelligatur, Arabicus, & Persicus, docent manifestè Plinius, & Solinus suprà citati ab Ortelio. Ille post ipsa verba capitis vigesimi tertij libri sexti in fine, quibus nominis maris rubri causas retulit varias (vt iam vidimus) subdit statim in initio capitis sequentis absolutè (quo verior appareat opinio negantium Plinij libros in capita esse ab ipso diuisos.) *Sed in duos diuiditur sinus, is qui ab Oriente est Persicus appellatur, XXV. M. passuum circuitu, vt Eratosthenes tradit. Ex aduerso est Arabia, cuius XII. M. passuum est longitudo. Rursus altero ambitu sinu Arabico nominato Oceanum qui influit Azanium appellant.* Solinus verò. *Irrumpit hæc litora Rubrum* Polyhist. c. 68.
mare, idque in duos sinus scinditur, quorum qui ab Oriente est, Persicus appellatur, quandoquidem oram illam habitauêre Persidis populi: vicies & sexagies centena millia passuum circuitu patens. Ex aduerso, vndè Arabia est, alter Arabicus vocatur. Oceanum verò, qui ibi influit, Azanium nominarunt. quibus adde Martianum Capellam, qui sic. *In his Ru-* lib.6.
brum mare litoribus sinu gemino disparatur. Verum Orticus Persicus dicitur propter habitationem Persarum, qui sinus vicies, & sexaginta millia circuitu patet. Ex aduerso alter Arabicus vocatur. Quod vali-

dissimo etiam probatur argumento, in ratione saltem eorum, qui Erythræum mare ab Erythra Rege nuncupatum dixerunt; illius enim Regis sepulchrum creditum (Ogyram videlicet insulam) non in Arabico sinu, sed in Persico iuxta Carmaniam posuêre Curtius, Auienus, & Dionysius Afer, vt vidimus. Nomen itaque Rubri maris apprimè competebat absque dubio in eorum opinione Persico sinui, licèt recèriores Arabicum duntaxat, aut mare de Meca, & potiori quidem iure Rubri nomine hodie intelligant. Meritò igitur Seneca noster Euphratem, ac Tigrim in Rubrum mare influere dixit: quandoquidem illi in Persicum se exonerant sinum (vt omnes credo sensisse) nullus enim, qui in mare Rubrum hos influere dixit fluuios, Arabici meminit sinus, vt bene adnotauit Ortelius, quod etiam planè voluisse videtur Strabo, qui cùm passim Euphratem, & Tigrim in Persicum elabi sinum affirmasset libro vndecimo, è vestigio deinde hæc addit. *Flumina Armeniæ sunt multa, notissima horum in Euxinum mare exeuntia Phasis, & Lycus, (pro quo non rectè Thermodontem Eratosthenes ponit) In Caspium autem Cyrus, & Araxes, in Rubrum mare Euphrates, & Tigris.*

De Ægyptianis, seu Zingaris; et vnde illis origo.

CAPVT L.

VIgo notum est errabundum illud vilissimorum hominum genus, quod Europam hodie totam vicatim peruagatur. Ægyptiani nobis, seu, *Gitanos*, Italis, *Zingani*, aut *Zingari*, siue *Cingali*, Gallis *Boëmiani*, vulgò *Baumiens*, superioribus Germanis *Ziegeiner*, & *Heidem*, inferioribus verò *Egyptenarem*, & *Hepliedem*, quasi gentiles, & Ægyptij dicti. Quæ gens, imò gentium fæx omnium, ac sentina, Nomadum more nusquam ferme certas habet sedes, in suburbiis sub dio plerunque degit, assueta, ——*humiles habitare casas*,

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen. Verg Ecl. 2.

colore subnigro: maxima enim matribus est *fuscandi cura coloris* infantulis Soli expositis. Fœminæ exotica vbique vestiuntur forma, victum ostiatim quæritant, quo prætextu domos, & apothecas furacissimè scrutantur, Chiromanticas se esse simulant, egregiè interim doctæ ad subtrahendam furtim è marsupio credulorum, quibus futura prædicunt, pecuniam. Viri quandoque ferrariam exercent artem, vt plurimùm tamen quadrupedum interceptores (Abigeos &

Idem Ecl. 1.

Ouid. Trist. 2.

l.1.&3.D. de Abigeis. Paulus Recept.sent.l.5. tt.10.l.8. §. siqua.c. de Repudiis.

Abactores I.C. vocat)asellorũ pręcipuè,&equorum,quæ deinde aliò translata,eo vẽdunt animo, vt emptorem decipiant:omnia enim illis fas,iura nulla nulla fides,sed neq; Christiana ferè quam se profiteri dicunt, quid namque Fidei nostræ cum fraudibus?cum latrociniis?cum veneficiis,quibus illi vbique locorum dediti? Præfectum, cui obediunt ex ipsis creant,Comitem vocant,sed tamẽ aut generis,aut morũ claritate nihilo cæteris meliorem,vt illud meritò Prouerbij loco vsurpatum sit in Hispania, *Tan ruyn es el Conde, como los Guianos*. qui plura de his velit, Sebastianum Munsterũ videat, & Albertum Krantzium, qui eadem prorsus cõceptis penè verbis scripsêre, ita vt iure dubitet referens doctissimus, ac piissimus vir Martin AntonjusDelrius in suis disquisitionibus magicis, vter ab altero illa desumpserit. Meritò itaque prædictis de causis à Francisco I. Valesio inclytæ memoriæ Rege (Arnoldo Ferrono teste) Galliæ finibus excedere iussi.Sed & tota quoque Germania iussi pariter excedere errones hi, velut Turcarum exploratores,Caroli Quinti constitutione in Comitiis Augustæ Vindelicorum anno 1549.habitis, Petro Gregorio Tolosano autore. Hispania etiã eos abire plurimis pragmaticis sanctionibus à Catholicis Hispaniarũ Regibus Ferdinãdo & Elizabetha,Carolo,& Philippo iussum est;neque iniuria, quãdoquidem annis præteritis Iuliobrigam vrbem,vulgò *Logroño* pestiléti laborantem morbo, & hominibus vacuam inuadere hi,ac diripere tentarunt, perfecissẽntque ni Deus O.M.cuiusdam bibliopolæ opera in eorũ capita,

Munster.l. 3. Cosmog fo. 267. Krantz.l.11. Saxonię.c.2. 2.p.l.4.c. 3. q.5. In vita Frãciſci. Syntagmat. iuris l.34.c. 16.n.13. ll.11. 12. 13.l. 8 tt.11. nouæCompilationis.

quam

quam vrbi moliebãtur,perniciem auertisset. Talis igitur hominum colluuies vnde orta sit *Grammatici certant,& adhuc sub iudice lis est.* Quot enim historici,qui horum meminêre, tot ferè sentẽtiæ circa eorum originẽ.Id certè ex historiis constat, testibus Genebrardo, Munstero,& Ortelio, gentem hanc Anno Domini 1417.in Germania primò visam,Europæis nostris primùm innotuisse. Pius Papa II.qui & Æneas Syluius,eos arbitratur à Zogoris populis,qui Caucasi radices inhabitãt,emanasse; Philippus Bergomas ex Chaldæa; Polydorus Vergilius Syros dicit,&ritus Sacerdotũ Syriç Deę,quales depingit Apuleius,adhuc retinere. Alciatus origine esse Anras Istri fluminis accolas credit,quos à veteribus Sporos dictos,quasi sparsim,& vulgò errãtes Procopius refert. Marius Niger ab ea Africę parte,quę Plinio,Solino,Martiano Zeugitana, & Africa propriè dicitur. Volaterranus,qui(teste Alciato)quartũ Procopij de bello Vandalico librũ trãstulit, Mauruslos eos quondã fuisse,& à Sarracenis pulsos ibi notat: Rhodiginus idẽ existimat. Auẽtinus ex cõfinibus Turciæ, & Hongariæ eos ad nos ducit,Bellonius ex Bulgaria, Vvalachiáque originẽ habere ait,vbi olim Sigynni,vox haud aliena à *Ziegeiner*,&idẽ genus, se in itinere, quo Cairo Macareã itur,itẽ alicubi ad Nili fluminis ripas reperisse,sed& ibi pro aduẽtitiis haberi subiũgit; Thevetus dicit eos ibidẽ ab Arabibus,& Mauris,*Rasel herami*, id est latrones nuncupari. Hos Ioannes Leo in Africa quibusdã in locis, vt in Agades,& Regni Nubiæ cõfiniis degere testatur. Hęc de his adeò diuersa scri-

Genebr. Chronol.l. 4.
Munst. vbi suprà.
Ortel.in suo Thesauro.
Suæ Geogr. c.27.
B. Supplemẽt.Chro.
Polyd. l.7. De inuẽtor. c.8.
Parerg. l.5. cap.8.
Rhodig l. Antiq.lect. 18.c.38.
Auentin. in annalib.
Boior. l.7. fol.826.
Bellon. l.2. cap.41.
Apud Ortel.vbi sup.

prores, ex quibus quem potiùs sequi debeamus, non satis liquet, quandoquidem ipsamet gens suam reuera ignorat originem, quanuis sese ex Ægypto minore ortos affirmẽt illi, atque ob iunctam sibi pœnitẽtiam per orbem peregrinari, cuius rei literas Imperatorum sese habere dicũt; hæc refert Munsterus, subiungítque Heidelbergæ se ab eis literas illas extorsisse, vidisseq; Sigismundi Imperatoris esse, in eisque mentionem fieri, maiores horũ ex Ægypto minore ortos, eo quòd deserta Christiana fide ad gẽtilitatis erroré relapsi fuissent, per aliquot annos demũ pœnitẽtia iniuncta per annos totidem, aliquos ex eorũ familiis per orbem peregrinari iussos, cuius ramen pœnitentiæ tempus iamdudum euanuisset. Ita Munsterus. Septem annorum hanc fuisse pœnitentiam ex ipsorum sententia irridens retulit Auentinus. Idem ferè quod Munsterus suppresso nomine refert Laurentius Palmyrenus Valentinus, nisi quòd Poloniæ Regis eas fuisse literas asserit, in eo forrè lapsus, quòd pro Sigismũdo Imperatore, Sigismundum Poloniæ Regem Augustum dictum intellexerit. Addit ipsemet Palmyrenus, virum illum, qui ab eis literas illas extorsit, Ægyptio eos alloquutum sermone, ac nequaquã intellectũ ab his, temporis, quo à patria exulabãt, diuturnitatem causantibus; Vulgarẽ verò Græcã, qua Peloponesi, vulgò, *Morea*, & insularũ Archipelagi incolæ vruntur, quosdã intellexisse, alios verò non item. Breuiter ergo vniuscuiusq; autoris opinione examinata, nostrã exponemus sententiã. Et Pius quidẽ Papa non sanè firmis cõiecturis

Vbi suprà.

Vbi suprà. In l. Estudioso Cortesano.

hos

hos putat à Zogoris originem trahere, eo ſcilicet ſolùm quòd Italis dicantur Zingari, quod quidē nomen Zogorum nomini aliquantulùm eſt affine. Sed quid ſi Ægyptianos, aut Boëmianos eos vocemus? Sed neque Philippi Bergomatis, aut Polydori Vergilij Chaldæos, & Syros eos exiſtimātium magis mihi probatur opinio; quā-tunuis enim Syriæ Deæ ſacerdotibus ſimiles iſti ſint, illud certè falſum omnino eſt, homunculos hos apud Italos Cilices vocari, quòd ex Cilicia, quæ Syriæ proxima eſt (vt ait Polydorus) proficiſcantur: non enim ab Italis ita vnquam vocati, quo magis mirer Italum hominem talia ſcripſiſſe. Neque Alciati placet ſententia, Antas Iſtri fluminis accolas eos afferentis, nam licèt Spori olim dicti à priſcis Antæ, quòd diſperſi, & ſeorſum ſinguli habitarent, quòd loca ſæpe mutarent, tale illis nomen commune cum Sclauinis tunc temporis fuit; hodie mos ille mutandi loca communis etiam eis cum Tartarorum gente, cum Arabum, Aforum, vulgò, *Arabes*, cum multis denique aliis: Adde, quòd callidi hi Ægyptiani, Boëmiani, aut Zingari, & malefici omnes, de Antis verò ita Procopius. *Callidi tamen, ſiue malefici minimè ſunt.* Sed neque à Zeugitana regione, vbi hodie Regnum Tunetanum, vulgò, *Tunez*, profectos (vt exiſtimat Marius Niger) credibile eſt, cùm quia innotuiſſent primùm Italiæ, cuius ex aduerſo Carthaginenſis ora ſita eſt, déque eorum migratione meminiſſent hiſtorici; tum quia Chriſtianam hi profitentur fidem, cùm tamen iamdu- De bell. Goth. l. 3.

dum multis abhinc annis ab Africana exulet regione nostra religio, neque vbi interim hæc delituerit gens, possit intelligi. Sed neque Mauruſij, vt Volaterrano, & Rhodigino placet, esse possunt ob prædictas rationes; Hispaniæ enim, cui opposita est Mauritania, innotescere debuissent primò, &c. Deinde, quia licèt Mauruſij priùs (vt Procopius vult) sub Iebuseorum, Gergeseorumque nomine arma Iesu filij Naue formidantes, Palæstinámque deserentes in Ægyptum migrauerint, quam deinde ob numerosam sobolis multitudinem deserere coacti, eam Africæ oram, quæ vtranque amplectitur Mauritaniam, occupauerint, in quarum altera ad oppidum Tingem ab ipsis ædificatum, ex albo lapide duæ constituræ sunt columnæ Phœnicum lingua huiusmodi literas incisas cõtinentes, *Nos à facie fugimus Iesu prædonis filij Naue.* Licèt, inquam, hæc ita se habeant, infirmum certè suæ opinionis, ne dicam nullum, Volaterranus, ac Rhodiginus fundamentum iaciunt, hos affirmãtes Ægyptianos Mauruſios esse, olim Africa pulsos à Sarracenis, cùm non à Sarracenis, sed à Vandalis pulsi fuerint Mauruſij, neque est cur potiùs hi dicantur Mauruſij, qui à Vandalis, qui à Gotthis, quàm Gotthi, qui à Sarracenis ex Tingitana pulsi sunt; & Mauruſiorum quidem nomen à Vandalis extinctum cõstat, quousque illud Sarraceni Arabes in Christianorum perniciem, quibus Maurorum sibi nomine arrogaro adeò sunt infensi, velut ab inferis excitarunt. Bellonij certè sententia Ægyptianos, seu

De bello Vandal. l. 4.

Zingaros

Zingaros hos exBulgaria, Vvalachiáque originẽ habere asserentis (à qua nihil ferme distat Auentini ex confinibus eos deducentis Turciæ, & Hũgariæ) quanuis coniecturis duntaxat nitatur, mihi tamen magis probatur cæteris omnibus, neque iniuria (vt credo) & hoc triplici de causa. Primò, quia reliquæ circa huius gentis originem sententiæ nullo probabili fulciuntur fundamẽto, vt ostendimus, mitto nostratis vulgi opinionem, Ægyptiam eam falsò credentis, quandoquidem vbique locorum diuersa hi sortiti nomina, pro aduenis habentur, quin & in ipsamet Ægypto, Bellonio teste, vbi à Mauris, & Arabibus *Raselheramı*, id est latrones nuncupari ex Theueto retulimus, ita vt Ægyptiorum illis nihil (vestes excipias muliebres, quæ cum antiquis Ægyptiarum qualemqualem habent similitudinem, vt ostendit Maginus) penitus insit. Secundò, quia innotuisse hanc gentem primùm Germaniæ (vt superiùs diximus) argumento nobis est, exiguam inter ipsammet Germaniam, & regionem, ex qua gens orta, intercesse distantiam. Denique, quia eorum lingua *Slauica*, seu *Sclauina*, (quæ vulgò nobis, *Esclauona*, Italis *Schiauona*) eos arguit vel Sclauinos origine, vel Sclauinis affines, aut finitimos. Linguam autem eorum esse Slauicam Alciatus plane affirmauit, quam etiã Venedicam esse, quæ eadem cum Slauica est, experimento se cognouisse asseruit Auentinus: Venedi nanque Germaniæ olim populi Tacito, Plinio Sarmatiæ, Europæ, Venedæ Ptolemæo ad Balticum mare siti, Regni hodie Polonici pars

In Comm. in Tabulas Geograph. Ptolem.

Vbi suprà. Auent. vbi suprà. Tacit. De moribus German. Plin. l 4. c. 13. Prole. Tab. Europ. 8. Ortel. vbi suprà.

(iidem

(iidem cum Vandalis, & Sclauis, teste Ortelio, quique eam quondam Sarmatiæ occupabant orá (quantum ego possum coniicere, quam nunc Prussiani, & Samogitii incolunt) lingua vtuntur Sclauica, eadem nimirum saltem origine qua Poloni, qua Hungari, qua Bohemi, vt autores sunt Volaterranus, ac Bohemus, & alij recentiores. Vnde non immeritò gens hæc Zingarorum, seu Ægyptianorum Boëmiani à Gallis dicuntur, ob sermonis videlicet vsum vtrisque ferè communem. Quod confirmare videntur literæ, quas suprà retulimus ex Palmyreno (simodò vnquam fuêre, neque in nomine lapsus est Palmyrenus) Poloniæ Regis; demonstrant enim illæ, vel ipsimet Regi subditam, vel suæ ditioni finitimam fuisse hane gentem, quorsum enim, si secus esset, Regiæ literæ? Esse verò homines hos ab ea ortos Prouincia, vbi olim Sigynni, nemini opinor persuasum fore: nam licèt ad Istrum fluuium Sigynnas collocet Herodotus, cuius fines accedere ait proximè ad Henetos, seu Veneros, qui sunt in Adria: hos tamen Sigynnas, seu Sigynnos, ita enim ille appellat, ad Caucasum montem, & Hyrcanum mare magis exactus rerum indagator collocat Strabo. Ex quo verò gens hæc orta sit terrarum tractu, aut vnde Zigeiner nomen apud Germanos adepta, certò sciri posse non credo, crediderim tamen à Zigere Thraciæ oppido circa Mœsiam inferiorẽ Plinio, quod forte Zargidana Mœsiæ inferioris Ptolemæo; Mœsiam autem inferiorem Vvalachiam hodie dici putant Taurinus, Maginus, & alij: Vvolfangus

Volater. Geogr. l. 7.

Bohem. de morib. gẽtium.

Magin. in Ptolem.

l. 5. quiet Terpsichore.

Geogr. l. 11.

fangus verò, Cuſpinianus, & Chalcondilas Bulgariam: vtrumque noſtram corroborat ſententiam. Porrò à Ziegciner Zingarorum emanaſſe vocabulum, ſatis mihi perſuaſum habeo. Si tamé malit quis cum Alciato mutata Z, in C, à Cinglo aue maritima dictos putare, non incongruè ſentiet: hæc nanque auis, cuius cauda continuò mouetur, adeò infirma eſt, vt ne nidum quidem ſibi parare poſſit, ſed in alieno pariat: vnde prouerbium in errones, & inopes, quo vtitur Menander. Vbi ſuprà.

Mendicior Leberide eſt, & Cingalo. In Thaide.

Index

INDEX
QVORVNDAM LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI aut explicantur, aut illustrantur.

Ex Libro Geneſis.

Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuiſitq; aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita; vocauitq; Deus firmamentum, Cœlum. 38

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. 2

Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth. 14

Emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt. 210

Inclinauit ſe homo, & adorauit Deum. 15

Et incuruati adorauerunt eum. *ibidem.*

Et adorauerunt proni in terram. *ibidem.*

Ex libro Exodi.

Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad

Dominum

Index locorum

Dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit. 17
Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis ceremonias iſtas; &c. 18
Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſraël carmen hoc Domino, &c. *ibid.*

Ex I. Regum.

Cadens pronus in terram adorauit tertiò.

Ex II. Regum.

Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui ſuper terram. 235

Ex III. Regum.

Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal.
Malleus, & ſecuris, & vllum ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur. 66
Elegitq; Rex Salomõ operarios de omni Iſraël, & erat indictio triginta millia virorum, &c. *ibid.*
Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram. 335

Ex IV. Regum.

Confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum.

Ex I. Paralip.

Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad cõmiſſuras, atque iuncturas præparauit Dauid. 69

Ego autem totis viribus meis præparaui impensas Domus Dei mei, aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea. ibidem.

Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas Domus Domini, auri talenta centum millia, argenti verò mille millia talentorum: æris verò, & ferri non est pondus, &c. 66

Ex I. Esdræ.

Fecerunt autem filij Israël transmigrationis Pascha quartadecima die mensis primi. 12

Ex III. Esdræ.

Et eleuatis sursum manibus procidentes in terram adorauerunt Dominum. 16

Ex libro Iudith.

Et cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum prosternens se super terram. 22

Ex libro Iob.

Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. 21

Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. 77

Ex Psalmis.

Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superio-

riora eius. 38
Et aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini. ibid.
Genua mea infirmata ſunt à ieiunio. 18
Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. 16
Extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. ibidem.
Similes illis fiant, qui faciunt ea. 2
Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.

Ex Eſaia.

Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurrent demonia, Onocentaurus, & Piloſus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit Lamia, & inuenit ſibi requiem, &c. 104

Ex Daniele.

Benedicite omnes aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino. 38

Ex 1. Machab.

Et audiuit eſſe ciuitatem Elymaidem in Perſide nobiliſſimam, & copioſam in argento, & auro, templúmque in ea locuples valde, &c. 233

Ex Actis Apoſt.

Quia nullius veſtrûm capillus de capite peribit. 235

Quidam

riora eius. 38
Et aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini. ibid.
Genua mea infirmata ſunt à ieiunio. 18
Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. 16
Extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. ibidem.
Similes illis fiant, qui faciunt ea. 2
Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.

Ex Eſaia.

Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurrent demonia, Onocentaurus, & Piloſus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit Lamia, & inuenit ſibi requiem, &c. 104

Ex Daniele.

Benedicite omnes aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino. 38

Ex 1. Machab.

Et audiuit eſſe ciuitatem Elymaidem in Perſide nobiliſſimam, & copioſam in argento, & auro, templúmque in ea locuples valde, &c. 233

Ex Actis Apoſt.

Quia nullius veſtrûm capillus de capite peribit. 235

Quidam

INDEX

LOCORVM

QVI EX HVMANIORIBVS LITERIS, ET AVctoribus explicantur.

Ex Arbitro.

CVm Aſcyitos grauatus tot mális in ſomnum laberetur, illa, quæ iniuria depulſa fuerat ancilla, totam faciem eius fuligine longa perfricuit, & non ſentientis labra, humeroſque ſopitionibus pinxit. 237.239

Ex Auſonio.

In claris vrbibus. Hunc cuperes Rex Mede tuis
coniungere caſtris,
Flumina conſumpto cùm defecere meatu.
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbes,
Vnum per cunctas ſolitus portare Choaſpem.
284.

Ex Catullo.

——Nanque totius vobis
Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam. 239.240

Hoc

Hoc vt dixit amans, Amor ſiniſtram
Dextram ſternuit ad probationem. 152

Ex Horatio.

Lib. Car. 2. Dum Capitolium
Scander cum tacita Virgine Pontifex. 287

Ex Iuuenale.

Ille ſupercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos. 239
Satyr. 6. Ferre potes dominam ſaluis tot reſti-
bus vllam? 305
——Cùm fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediúmque oſtenderet vn-
guem 306

Ex Lucano.

Lib. 6. Viperei coëunt abrupto corpore nodi.
Ibid. An ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concuſſa tremit? 250
Ibidem. Pretióque nefandæ
Lampados Herculeis audax Melibœa ſagittis.
262

Ex Martiali.

In Amphit. Epig. 22. Namque grauem gemino
cornu ſic extulit vrſum.
Lib. 2. *Epigr.* 8. Rideto multùm qui te Sextille
cinædum
Dixerit, & digitum porrigito medium. 306

Lib. 3. *Epig.* 80. Conuiua quiſquis Zoili poteſt eſſe
Sumenianas cœnet inter vxores. 314
Lib. 4. *Epig.* 70. Nihil Ammiano præter aridam veſtem
Moriens reliquit vltimis pater ceris. 305
Videbis altam Liciane Bilbilim
Equis & armis nobilem. 334

Ex Ouidio.

Lib 1. *Faſtorum.* Ne tamen ignores variorum iura dierum,
Non habet officium Lucifer omnis idem.
Ille nefaſtus erit per quem tria verba ſilentur,
Faſtus erit per quem iure licebit agi. 298

Ex Plauto.

In Penulo. Stulta ſoror es magis quàm volo, an verò pulchra videre obſecro,
Si tibi illi non os oblitum eſt fuligine? 239
In Trucul. Huic homini amanti mea hera apud nos dixit næniam de bonis,
Nam fundi, & ædes obligatæ ſunt ob amoris prandium. 317
In Bacchidibus. Si tibi eſt machæra, & nobis veruina eſt domi,
Qua quidem te faciam, ſi tu me irritaueris,
Confoſſiorem ſoricina nænia. 316
In Moſtellaria. Si tamen hinc conſilium dedero, nimio plus ſapio ſedens.
Tum conſilia firmiora ſunt de diuinis locis. 20
Ibidem. Illi buccedæ erũt multò potiùs quã ego

Sim

Sim Reſtio. 305

Ex Seneca Tragico.

In Hercule furente. Túque ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ
Volucre matris genus Aſtręæ. 292

Ex Terentio.

In Eunucho. Bono animo es,
Accede ad ignem hunc iam caleſces plus ſatis.
295.
In Phormione. Opera tua
Ad reſtim mihi quidem res rediit planiſſimè.
305

Ex Tibullo.

In Elegia 1. *l.* 7. Carnuti, & flaui cærula lympha Liger. 275
Alba Palæſtino ſancta columba Syro. 279
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaſpes
Profluit. 283
Lib. 4. Aut rapidus Cyri dementia Gyndes. 284

INDEX
RERVM, ET
VERBORVM.

A

A Bvna voluntate contrarij effectus. 175

Abderitani humanis hostiis vsi. 195

Absolutus reus apud Romanos tondebatur. 236

Absurda quæ emanant ex doctrina collocantiũ aquas supra cœlos. 42

Adorantium capita cur velarentur. 19

Adorare quid. 14

Adorandi Reges Persarum modus. 15

Adorandi modus apud antiquos quotuplex. 15

Adorandi mos quis hodie vsitatior nobis. 16

Adam poëta primus. 198

Ægyptij tribuunt Mercurio inuentionem carminum. 198

Ægyptiorum annus. 86

Æsculapius quomodo depictus. 4

Æsculapius sub specie Draconis Romam aduectus. ibidem.

In Tyberinam Insulam descẽdit, nec postea comparuit. ibidem.

Index rerum, & verborum.

Ægyptij sub forma serpentis Regem depingebant. 3
Aliquot sacra volumina in Græcam linguam versa ante Philadelphi Regis tempora. 33.34
Amaramis pater Moysis. 207
Ante Olympidas omnia tempora apud Græcos confusa. 208
Anni magni conuersio. 74
Antiquorum placita circa poëticæ finem. 213.214
Animalia quædam πυρρίχια. 76
Aphthartodocitarum hæresis. 160
Aquarum locus. 3
Artium ferè omnium inuentores barbari 203
Aristoteli nihil naturalis scientiæ occultum. 96
Arcas Salius primus Romanos saltare docuit. 268
Ariana hæresis penè extincta 165
Asinorum syluestrium venatio Regibus tantùm permissa apud Indos. 124
Astus Q. Fabij Labeonis. 175
Attrita Deorum simulacra adorantium osculis. 23
Aues quasdam ex foliis arborum in mare decidentibus creditum generari. 96
Aulicæ adulationis inuentum. 22
Aurium indicium sapiẽtibus, & stultis commune. 276

B

Baculum dextra, & clauem sinistra cur Ianus tenens pingeretur. 183
Bacchi sacris initiati, serpentibus coronabantur & Euam, Euam inclamabant. 5

Index rerum,

Bassara quid significet. 358
Belisarij imago. 157
Bellus ferrei gladij inuentor. 65
Bellum vnde dictum. 64
Bernestæ aues in Hebridibus insulis deprehensæ. 96
Branchias pisces, non pulmonem habent. 127.128

C

CAptiuorum notæ in frontibus aut genis. 240
Cæsar à matre linguam Latinam edoctus. 325
Centauri poëtarum inuentum. 100
Centauri dantur in rerum natura. 101
Celtiberorum oppida trecenta excisa. 176
Centauri vnde procreati. 98
Centauri vnde dicti. ibid.
Chalybes primi inuentores ferri. 58
Chalybes Scythiæ populi. ibid.
Choaspis aqua delicatissima. 281
Choaspes vnde oriatur. 282
Eius aquæ Regibus Medorum, Persarum, ac Parthorum pro potu. 283
Chrysippi de resurrectione sententia. 31
Clauis custodiæ symbolum.. 184
Claudio Imperatori allatus Hippocentaurus ex Ægypto. 208
Consecrationis nota apud Antiquos duo depicti angues. 8
Consecrationis nota apud Christianos quæ. ibid.
Cœlum crystallinum quid. 51

Cothurni inuentio. 247
Columba ſacra Syris, & quare. 278
Contra naturam creata, ſtatim pereunt. 108
Cothurnorum genera. 244
Conſules Maiores apud Romanos qui. 181
Ab iis anno dabatur nomen. *ibid.*
Codex Iuſtinianeus promulgatus. 155
Coma dicata, & tonſa. 235
Crumata quid. 272
Curetes quorum filij. 64
Cyrus quare mulus dictus. 284

D

Daphnis Mercurij filius. 199
Bucolici carminis author. *ibid.*
Dea Nænia. 318
Delphicum oraculum antiquiſſimum. 207
Democritus Abderita reſurrectionem agnouit. 30
Deteſtabile ſymbolum turpes Ethnicorum Deos decuit. 8
Deucalion longè Noë poſterior. 186
Digitus medius porrectus. 307
Diabolus ſe adorandum præbuit in forma ſerpentis, in qua humanum genus circumuenit. 3
Diuinatio Themidi data. 209
Druides Gallorum ſacerdotes. 187
Vnde nomen ſortiti. *ibid.*
Duo inſtantia in ſeruitute diſtinguenda. 174

Index rerum,

E

EBrietas seruitutis causa. 172
Elementa quomodo corrumpantur. 25
Elei seruatoris nomen serpenti, quem colebant, imposuerunt. 3
Elegorum carminum autor. 199
Elias in quod cœlum subleuatus. 49
Ephesiorum vrbs quomodo expiata. 189
Equæ è vento concipiunt. 375
Eremus monstrorum ferax. 103
Ex sinu initiatorum mysteriis Iouis Sabaziis Draco extrahebatur. 5

F

FAma cera flexibilior. 102
Fasti, & nefasti dies qui. 298
Ferri conglutinationem quis excogitarit. 64
Firmamenti nomine quid intelligendum. 44
Florida noui orbis pars. 154
Fluuius obliuionis quis. 353
Fœminæ vno tantum nomine olim vtebantur apud Romanos. 310
Frequens Italis & Hispanis manus proprie deosculatio. 22
Fuligine comas olim fœminæ tingebant. 239

& verborum.

G

Gaditana saltatio. 271
Gallorum olim sacrificandi ritus. 196
Galli olim naturâ, & arte flaui. 276
Genua robur significant. 18
Gentilium primus scriptor. 206
Gentes osculo manus propriæ suos Deos adorabant, & quare. 20.22
Græcorum consuetudo in immolandis hominibus. 289
Græcis qui sint primi poëtæ. 198
Gymnosophistarum origo. 35
Gyndem fluuium Cyrus consumpsit. 285

H

Hannibalis obitus 176
Heliades sorores. 338
Heroum arma qualia. 55.57
Heroici carminis autor. 108
Heua asperatum nomen quid significet. 6
Hippopodes Septentrionalium quarundam insularum accolæ. 107
Hippocentaurus occurrit Magno Antonio in eremo. 102
Hispanorum origo. 185
Homerus carmen suum literis non mandauit. 206

Honorificum non fuit Consulatum minorem gerere. 181.
Humane mactari hostiæ quando desierint. 187

I

IAmbici carminis autohr. 198
Iani facies duplex,& quare. 183
Ianoë apud Hebræos quid. *ibidem.*
Ianam Noë nepos. 185
Imperatores Orientis vbi sepelirentur 164
Imperatorum tituli superbi. 168
Impiorum pœna. 28
Incensum adolebant Israelitæ serpenti æneo. 3
In regionibus noui orbis ferri venæ repertæ. 57
Interlunium. 286
Inundationis symbolum Phœnix. 72
Inuentio æris,an ferri prior fuerit. 54
Iones vnde ducant originem. 186
Ismeniæ Thebani astus. 15
Iubal pater canentium cithara. 200
Iure gentium propagata seruitus. 173
Iustinianus defensus. 154
Illiteratus non fuit. 156
Iustinianus diuortium permisit. 168
Iustiniani Canticum. 166
Iustinianus Euthyciana hæresi infectus. 160
Iustinianus delubrum Ephesi construxit. 161

Labeonum

& verborum.

L

Labeonum familia. 175
Labeonis παρῤῥυσία. 179
Labeonis mors voluntaria. 177
Lapides dolati, atque perfecti è monte aduehebantur ad structuram templi Salomonici. 67
Liber Iob Syria conscriptus lingua. 35
Versus in linguam Hebraicam. 202
Lignorum ac lapidum adoratio inducta diabolica fraude. 2
Lucretij opinio de Centauris. 99
Lusitanarum equarum fœtura. 380

M

MAgi didicerunt doctrinam de resurrectione, & vnde. 35
Manuum extensio & eleuatio. 16
Manus duplices. 17
Manus fortitudinis symbolum. 19
Manumissi quot nomina habebant. 312
Manibus mortuorum hostiis humanis ab Ethnicis parentatum. 192
Marianum æs opti mum. 62
Massiliotæ Græci. 187
Massiliensium institutum. 196
Mensis Nisan Martio respondet. 9
Mercurius Trismegistus philosophus, Rex & Sacerdos. 24
Monoceros.

Index rerum,

Monoceros qualis. 110
Monoceros vbi reperiatur. 112
Monocerotis cornu venena expellit. 113
Monoceros & Rhinoceros animalia diuersa. 119
Monoceros piscis. 124
Mors violenta ab antiquis damnata. 304
Quæ pœna imposita. ibid.
Mos salutandi sternuentes vnde. 153
Mos Romanorum in faciendis libertinis. 177
Moyses à Græcis Musæus dictus. 206
Mulieres sumenianæ. 314
Mundi senectus qualis. 25
Mundum ingenitum, ac proinde immortalem quidam asseruêre philosophi. ibid.

N

NAuis ex aduerso Iani cur depicta. 184
NNauis salutis symbolum apud posteros Noë. 185
Nobilitatis definitio. 343
Noë vini inuentor. 183
Nonum cœlum quando deprehensum. 52

O

OLympiades quando cœptæ enumerari. 208 209
Omen sternutationis. 151

Onocentauri descriptio. 102
Onocentauri unica natura & forma. 106
Oraculum Pythium. 199
Oratione soluta primò respondit Apollinis oraculum. 209.
Oraculi inuentio. 209

P

Palæstina Syriæ pars. 279
Pan à quibus genitus. 358
Pascha Chaldaicum vocabulum. 9
Quo tempore celebraretur & quomodo. ibidem.
Pascha cur transitus dicatur. 9. & seqq.
Pascha quotuplex. 10
Pascha figuratè in sacris immolari dicitur. 13
Passibus mille & quingentis leuca terminatur 347
Pastores priores agricolis. 211
Pedis Romani mensura. 349
Penelope frequentauit conuiuia. 359
Persarum reges adorati. 15
Pes Hispanus minor antiquo Romano. 348
Pherecidis Syri de dæmonibus sententia. 8
Philosophorum opiniones de mundo. 26
Phœnix quomodo ex se renascatur. 76
Phœnix arbor, & auis. ibid.
Phœnix symbolum resurrectionis. 78
Phœnix vbi viuat, & pascatur. 79
Phœnix qualis ex Herodoto. 71
Phœnicis castit[illegible] 80

Phœnix an detur in rerum natura. 85.96
Phœnix peregrinantis ſymbolum. 72
Phœnicis vita. 74
Phœnicis ſingularitas impugnata. 89.95
Piorum præmia. 28
Plato reſurrectionem aſſeruit. 32
Plinius atheos. 30
Poëmatum origo. 199.200
Poëſis quid ſit. 197
Poëſis loquens ſaltatio. 268
Pœnalia ampliata, ſunt odioſa. 350
Populi Galliæ Leuci. 346
Nomen ab his Leuca ſumpſit. *ibid.*
Populus nigra, & alnus eadem arbor. 341
Procopius Iuſtiniano infenſus. 158
Prodigioſi partus. 106
Progne & Philomela in aues mutatæ. 332
Pſalmus 92. ab Adamo compoſitus. 198
Pſalmos quot compoſuerit Moyſes. 201
Pueri & fœminæ ſeruant proprietatem antiqui ſermonis. 325
Pulmo cordis flabellum. 125
Pythagoras myſteriis omnium populorum initiatus. 56
Pythagoræi cur ſedentes adorabant. 20
Pythagoræ ſymbolum. *ibid.*

Q

Quarta pars leucæ milliario reſpondet. 348
Quinquennium tantùm vixêre equi. 375

R

Rerum ortus & occasus. 25
Respiratio effectus pulmonis. 125
Restringenda odia, & fauores ampliandi. 350
Resurrectio antiquitati minus persuasa. 30
Rex Argiuorum primus. 203
Rhinoceros vnde dictus. 120
Rhinocerotis descriptio. 116
Rhinocerota ostendit Pompeius Romanis. *ibid.*
Rhinocerotis pugna aduersus Elephantum. 118
Ridicula sternutationis consideratio. 152
Ritus orgiorum Bacchi. 5
Romæ nomen proprium scire nefas fuit. 254
Romani quomodo adorarent. 19
Romani olim suis diis humano sanguine faciebãt. 194
Romanis qui nobiles habebantur. 345
Romanorum olim consuetudo in nominibus. 308
Romanduorum Augusta. 347

S

Sacramentum duabus de causis fide firmandum. 328.
Salacia ciuitas cognomento Imperatoria. 376
Salonis fluuij aquæ. 374
Saltationum duplex genus. 270
Saltationis vtilitas. 267

Sanctæ Sophiæ delubrum 163
Scabella apud antiquos quid 272
Scriptura sacra figurarum ornamentis condecorata. 13
Semenda auis. 91
Sepulchrum Penelopæ. 360
Septentrionales quare flaui. 277
Serpens salutis symbolum, & quare. 3
Serpentis nomine significatur Diabolus in sacris. 2
Seruitus est nomen culpæ, non naturæ. 172
Seruitus naturali iuri quomodo contraria. 173
Seruitutis etymologia. 170. 171
Seruitus rerum duplex. 169
Seruitutis definitio. *ibid.*
Seruitutis nomen quando primùm lectum. 172
Soricis vox importuna. 321
Spectaculum Rhinocerotis contra Elephantum certantis. 119
Sternutatio vnde fiat. 151
Sternutamentum manè, & in inchoatione rerum, mali ominis. 152
Structura templi Hierosolymitani quandiu durarit. 70
Sublime genus dicendi Cothurnus dictum. 244
Sub Iustiniani imperio multi populi Christiani facti. 164
Suffici in demortui locum ominosum olim. 180
Superstitionis vinculo captiui ducuntur homines. 2
Supra cœlos collocatæ aquæ. 39
Sybilla Erythrea. 36
Sydera neque ignea, neque calida in se. 42
Syderalis scientiæ peritia. 35

T

Tagus flumen. 370
Taurica Diana. 196
Taurus Ioui mactatus. 258
Tela Penelopes Dialectica comparata. 361
Telegonus Vlyssis, & Circes filius. 365
Telegonus Vlyssem occidit. 367
Telluris oraculum. 209
Thamus nauta magnum Pana obiisse nuntiat. 2
Thamur vermis Salomon. 69
Thessali Centauri appellati. 105
Thespij Solei resurrectio. 29.33
Tiresias vaticinatur mortem Vlyssis. 365
Tragœdiæ autor. 198
Tragœdia speculum Principum. 216
Tragœdiæ, & Comœdiæ discrimen. 222
Tragœdiæ definitio. 223
Tribonianus impius. 167
Tribunorum plebis apud Romanos potestas. 180
Trigenta Deorum gentium millia. 252
Trium literarum homo quis olim. 312
Tullum ciuitas Lotharingorum. 347

V

Vaticinandi munus Trismegisto concessum. 34
Vectones populi vbi siti. 378
Velocitas equorum Bæticorum commendata. 384

Vento concipere equas, fabulosum. 382
Ventus, aër multus fluctuans, & coactus. 41
Versicolores, & variegati Celtiberorum equi. 374
Vesperi, & in fine rei boni ominis sternutatio, 152
Vestigia errorum Vlyssis ostenduntur. 369
Veteres religiosè vestes dicabant voti causa. 234
Vipera sola parit animal viuum. 48
Vipera vase inclusa. 150
Virga gubernationis & imperij symbolum. 184
Virtutes animarum genus. 344
Vis minerum quanta. 361
Vis satyrij. 240
Vlysses quomodo ab vxore agnitus. 364
Vlysses à quo occisus. 365
Vlyssis fanstum coniugium. 360
Vlyssipona à quo condita. 370
Vnde manarit superstitio, quæ religioni ducit angues domesticos occidere. 8
Vnde didicerint Gentes doctrinam de resurrectione. 33
Vnde monstra nascantur. 106
Vnicorne à Rhinocerote diuersum. 121
Vnicornij cornu naturalis vis. 123
Vulcania insula. 175

Z

Zarabanda. 274
Zembla noua. 97
Zephyro an ingrauidentur equæ. 382

FINIS.